



BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
4
D
37



AVSONII POPMÆ
DE
DIFFERENTIIS VERBORUM,
TOMUS II.

ITEM
DE USU ANTIQUÆ LOCUTIONIS
LIBRI II.

ACCEDIT
CHRISTOPHORI CELLARII
ANTIBARBARVS.



P.

PABULATOREM inter & *frumentatorem* hæc differentia eſt, ut *ille* equis & jumentis, *hic* hominibus ſupportet alimenta.

PACISCI eſt de re certa & indubitata, ſeu de dandis & reddendis certa conditione, convenire, ut *paciſci* nuptias, vel mercedem, *paciſci*, ne petatur; *Tranſigere* vero eſt rem dubiam, & litem incertam, neque finitam. aliquo dato, retento, promiſſove decidere, auctore Ulpiano l. 1. D. de Tranſ. Virg. V. Æn. v. 230. Vitamque volunt pro laude *paciſci*.

PACTUM (Leg. 1. & 6. D. de Pact.) eſt Contractus inter duos pluresve, qui proprium nomen habet, ut Emtio, venditio, Locatio, aut Conductio; *Pactum Conventum* (1) eſt, quod inter aliquos convenit tantum, nec proprium Contractus nomen adſumit; ita adpellatum, quod non Lege firmetur, ſed ex ſolo Conventu valeat, ut Iuriſconſulti ſcribunt. Cic. II. Rhet. Sunt idem *pacta*, quæ ſine Legibus obſervantur ex *conventu*, quæ jure præſtari dicuntur.

(1) *Pactum Conventum* in Iure adpellatur ſine conjunctione ſeu conventione media, nudum *pactum* intelligitur, quod ſolo conſenſu conſtat. Nam alterum veſtitum adpellant, hoc eſt, aliquo certo jure formatum, quod præter conſenſum partium etiam vim habet ex Iure Civili, & tunc aliud nomen accipit, *Hoc* proprie Actionem parit; *Illud* exceptionem dumtaxat. Leg. Goelen. loc. cit. p. 240. ſeq.



Pactus dicitur, qui cum altero convenit; *Depectus*, qui turpiter pactus est. Alias Verbum *Depacisci* Germanis nostris idem est, ac *sich endlich vertragen, doch nicht ohne (gar sebt grossen) Schaden.* Cic. pro Sext. Roscio: Ipse tria prædia *depectus* est. Ulpian. ad Edict. X. l. 3. D. de Calumn Hoc Edicto tenetur etiam is, qui *depectus* est. *Depectus* autem dicitur turpiter *pactus*. Similiter *Pactor*, qui convenit, aut Societatem coivit cum altero, sive proprie, qui inter partes paciscitur; *Depector*, qui turpis quæstus, aut lucri gratia rem aliquam paciscitur. Cic. Orat. VII. in Verr. Fœderum Interpretes, Societatis *Pactores*, religionis auctores. Apul. lib. II. Apol. Litium *Depector* omnium falsorum commentator.

Pactum & *pactio* sunt diversa apud Oratores, & Historicos, apud quos *pactio* est conventio de re communi aut publica inter Collegas, Socios, Mancipes, aut eos, qui pacem vel amicitiam conditionibus dictis paciscuntur; *Pactum* vero est conventio de re quacumque & inter quoslibet. Ponitur etiam pro conditione, vel modo; ut cum dicimus nullo *pacto*, aut aliquo *pacto* aliquid fieri. Vid. Doletus loc. persæpe alleg. fol. 121. fac. b. col. 2. Sall. in Catil. Collegam suum Antonium *pactione* provinciæ perpulerat, ne contra rempublicam sentiret. Cic. pro Cæcinna. Quod edictum Magistratus, quod fœdus, aut *pactio*. Id. IV. ad Att. Hæc *pactio* non verbis, sed nominibus & perscriptionibus multorum tabulis cum esse facta diceretur. Sed apud Iurisconsultos nullam Vocabulorum istorum Differentiam esse animadvertimus. Nam & nudam *pactionem*, & nudum *pactum* promiscue & indistincte

dicunt;

dicunt; ut ex ipſorum Reſponſis liquet.

Pædagogus, puerorum ductor, & ſubinde etiam doctor, præſertim morum, & valetudinis curator; *præceptor* artes & litteras docet. *Ille* olim ſervus; *hic* fere liber & honeſtus. Plin. V. Ep. 16. Vt nutrices, ut *pædagogos*, ut *præceptores*, pro ſuo quemque officio diligebat: Paræus. R.

Pædagogus inſtituit; *Magiſter* docet. Sen. lib. II. de Nat. cap. 21. Pertinebit ad rem, *præceptores*, *pædagogosque* pueris placidos dari. H.

Pagi ſunt villæ ruſticanæ in eodem tractu & parte regionis diſpoſitæ; dictæ a pangendo, & jungendo, non, ut Grammatici opinantur, ἀπὸ τῶν πηγῶν, id eſt, a fontibus, quod illi, qui in uno *pago* habitant, plerumque uno & eodem fonte utantur (1). *Vici* (2) ſunt plures junctæ domus, remotæ ab urbe, & abſque mœnibus; dicuntur autem *vici*, quod *vias* circum habeant. Itaque *pagi* ſunt partes provinciarum, ſeu præfecturæ, in quibus *vici* inſunt, & nonnunquam etiam *oppida*; ut Helvetia olim diviſa erat in quatuor *pagos*, qui urbes duodecim, & *vicos* quadringentos habebant. Tac. lib. I. Hiſt. Reliqui omiſsis *pagis*, *viciſque*. Id. de Mor. Germ. Eliguntur in iiſdem Conciliis & Principes, qui Iura per *pagos*, *vicoſque* reddant.

Palam eſt aperte, manifeſte, & coram pluribus; *Vulgo* eſt plerumque, fere, *communiter*, paſ-

 ſim,

(1) Ald. Manut. de quæſ. per Epiſt. 3. 7. *Vicus* eſt vel extra urbem, vel in urbe. In urbe continuata ſeries domorum, *eine Gaſſe*, non ipſa via.

(2) Vid. Perotti Cornucopiæ Epigr. II. col. 156. lin. 57. ſeqq. Hic *pagani* dicti, quaſi ex eodem fonte potantes, hoc eſt, Villani.

ſim, & a multis, vel in multis locis. Vnde *vulgaris* mulier in Iure Civili dicitur, quæ *vulgo* & paſsim ſui copiam facit. *Aperte* ad verba pertinet non obſcura. Virgil. III. Georg. v. 493. Hinc lætis vituli *vulgo* moriuntur in herbis. Marcellus Digeſtorum XXVI. lib. 41. de Ritu Nupt. Probrum etiam intelligitur in his mulieribus eſſe, quæ turpiter viverent, *vulgoque* quæſtum facerent, etiamſi non *palam*, id eſt, cum multis corpus miſcerent, etiamſi non in propatulo, veluti in lupanari.

Pallas & *Minerva* ſunt nomina ejuſdem deæ. *Pallas* dicitur belli. *Minerva* quum dicitur, pacis præſes eſt. Sed diſcrimen iſtud raro curant auctores, præſertim poetæ.

Pallorem Burmannus ad Lucan. III. 625. a *ſqualore* ita ſeparat, ut proprie ſit in coloris mutatione a ſitu, *ſqualor* a ſordibus inductis. Sed ipſe dubium relinquit, an ſemper illum canonem vel auctores, vel librarii certe obſervarint. Defenderat autem Burmannus ad Quinctil. Decl. V. 19. pallorem a librariis male poni pro *ſqualore*, ea in re Heinſium non nimis provide ſecutus, qui in auctorum emendatione ſæpe pro pallidus repoſuit ſqualidus, pro palleo, ſqualeo; ſed contra fidem librorum; quamquam negari non poſsit, hæc duo nomina confundi, Geſn. theſ. v. pallor & pallidus.

Palpitatio fit præter naturam, & accidit homini, etſi nullum membrum moveat: *Tremor* ex dimidia parte voluntarius eſt motus. Illos enim *Tremere* dicimus, qui cum membrum movere conantur, libere id & pro uſu ſuo non poſſunt, nec protenſum, nec ſuſpenſum ſervare, ſed iis membrum a Facultate in altum ſublatum pondere ſuo

κατω-

κατωφέρεται, rursumque a Facultate animali erigitur, quæ vicissitudo motus *Tremor* est. Deinde *Tremoris* subjectum est cutis, caro cum musculis, nervis, & ossibus; *Palpitatio* vero carnis solum cutisque est effectus. Tandem in *Tremore* membrum sursum deorsumve, dextrorsum vel sinistrorsum movetur continue; *Palpitatione* vero in eodem situ manens, & immotum nunc distenditur, repletum quasi a Corpore extraneo nunc subsidit; & propterea in *Palpitatione* Facultas animalis nullo modo læditur, quia palpitans membrum pro voluntate movere potest æger; *Tremor* vero a Facultatis motricis imbecillitate, vel ab ea onerata dependet. Hæc illustris Thomas Reinesius lib. II. Var. Lect. cap. 3. p. 139. H.

Differentiam *papillæ*, & *mamillæ* ita definit Servius XI. 803. *Papilla* est breve illud, unde lac trahitur; *mamilla* est omnis eminentia uberis, conf. Gesneri thes. voc. papilla.

Par esse dicitur, quod tantumdem habet aut virium, aut magnitudinis, quamquam alia sit forma aut specie: ut contra *simile*, quod eamdem figuram habet, magnitudine dispari, puta, duobus angulis rectis pares sunt, qui triangulum constituunt, quam dissimiles, quadratum quadrato simile, quamquam possit esse dispar. *Sic intelligenda sunt illa Quinctiliani X. 1. T. Livius immortalem illam Sallustii velocitatem diversis virtutibus consecutus est*. Nam mihi egregie dixisse videtur Servilius Novianus, pares eo magis, quam similes Liv. XXXV. 43. Similia omnia, magis visa hominibus, quam paria; cet. v. Pitiscus ad Curt. V. 5. Paria, si res brevibus expedienda est, con-

veniunt in omnibus, ſimilia tantum in aliquibus. *Par* reſpicit plerumque ætatem, ac dignitatem, raro mores. *Similis* mores magis, ac corporis formam.

PARANYMPHUS, quaſi aſſecla ſponſi, deductor ſponſi, *Brautigasfuhrer*. *Nymphagogus*, qui deducit ſponſam, *Brautfuhrer*, *Pronneſtria* mulier, quæ adeſt ſponſæ, deducit eam ad lectum, ſolvit ei cingulum, latine Pronuba. Goclen. R.

PARARE (1) eſt ad neceſsitatem inſtruere; *Apparare* eſt ad Dignitatem & Pompam parare, ut *apparare* cœnam, nuptias. Ter. in Heaut. Video alios feſtinare lectos ſternere, cænam apparare.

PARENTARE & *juſta alicui facere* pro ſynonymis haud raro habentur. Enimvero, quum ſynonyma linguam potius imperfectam faciant, quam perfectam, & ab initio ſynonyma procul dubio e linguis exſulaverint, diſcrimina vocum curatius excutienda ſunt, ut pateat, ſynonyma olim non fuiſſe ſynonyma. Ipſe Budæus putavit, parentare idem eſſe ac juſta facere ad 2. D. de in jus voc. Sed *juſta* a lege ſunt, & jure pontificio; at contra multi, qui nullis illis legibus obſtricti eſſent, ultra ad virorum fortium ſepulcra *parentarunt*, ut Caligula, qui ſicubi clamorum virorum ſepulcra cognoſceret, inferias manibus dabat. Suet. in Caligul. 3. ut Adrianus & Severus imperatores Pompejo parentarunt. Xiphilinus in Adrian. & Sever. Alexander heroibus, qui in Trojæ obſidione ceciderant, Plutarch. in Alex.

A pa-

(1) Hoc Verbum pro Comparare, ſeu Emere, etiam ſumi tradit Giſanius loc. cit. p. 169.

A *parentalibus* differunt *inferiæ*, quæ privatæ sunt feriæ, uti parentalia publica, atque omnis parentatio a civibus, aut incolis festo colebatur. Lapis Arelate: L. Julio. Secundo. Utriclario. Cor C. I. P. A. Qui. Legavit. Eis. Testamento Suo * T.C. Ut Usur. Eor. Omnibus Annis Sacrificio. Ei. Parentetur. Item. Naut. Druentior. Corpor. Mogituma Epipodius. Filius Na Latri. Pientiss. v. Gutherius de jure manium p. 249.

PARERE est obedire; *apparere* autem est videri. Servius. *Parere* minus est, quam *Servire*. Tac. in Agricola de Britannis. Jam miti ut *pareant*, nondum ut *serviant*. Paræus. R.

PARMA & *pelta* breve scutum est, comparatione cum Romanorum clypeis facta; *pelta* tamen est brevior, quam *parma*. Nep. Iphic. 11. *Quum ante illum imperatorem maximis clypeis uterentur, ille e contrario* peltam *pro* parma *fecit a quo peltastæ equites adpellantur, ut ad motus concursusque essent leviores*.

PARSI semel, *peperci* sæpius. R.

PARTICEPS est, qui certam habet partem, non divise agit, ut *socius*. Ascon. Pædian. R.

PARVUM in Tempore; *Breve* in Spatio: *Exiguum* in Corpore infantis; *Pusillum* in Corpore Pumilionis. Corn. Front.

PASCI proprie Bestiarum & Pecudum est; *Vesci* hominum, sic vescis carnibus libenter vescimur, si non veniunt a vesculo Animali. Comen. *Illud* ad saginam dumtaxat refertur; *Hoc* ad victum atque etiam usum quarumlibet rerum; ut *Vesci* voluptatibus dixit Cic. *Vesci* auris vitalibus, Sermone, Lucret. Interdum tamen *pasci* hominum est

pro

pro foveri & sustentari, *vesci* etiam Bestiarum, Cic. *Pasci* scelere & maleficio. Sic idem Cicero ad Attic. (& quidem in bona significatione) dicit *pasci* (id est, delectari) alicujus Bibliotheca. Quando autem Ovid. lib. I. Amor. infit: Livor pascitur in conviviis, tunc eleganter *pascere*, pro crescere usurpatur. Varro de R. R. in specie de Ovibus: Quæcunque jubentur, *vescuntur*, ut folia ficulnea, & paleas & vinacea. Plin. lib. X: Aves nonnullæ vescuntur & ea, quæ rapuere.

PASCENTIA sunt, quæ ex se pascuntur, ut Prata, & pascentia Mancipia, quia pascuntur. Ideo etiam Pastores vocantur; *Pabulantia* vero, quæ iis utuntur, ut Jumenta. Corn. Fronto.

PASSIM aliquid inveniri rerum, de re corporali recte dicimus: *Affatim* de re aliqua incorporali; *primum* enim de incessu, *illud* de affatu dictum. Agr. R.

PASTUS significat cibum, & omni Animantium generi, præcipue homini convenit, & tunc est Substantivum. Quando vero est Adjectivum, tunc significat eum, qui cibum sumsit. *Pastio* proprie est non tam actus ipse pascendi, quam in se cibus, & de Brutis tantum dicitur, ut Pastio Villatica. *Pabulum* id ipsum idemque significat, sed est proprie cibus herbaceus, fœniceus, paleaceus, stramenticius, potius quam seminum. Cic. lib. II. de Nat. Deor. Quis pecudum *pastus*, quæ vita Silvestrium? Varro III. de R. R. Altera est villaica *pastio*, altera agrestis.

PATENS est, quod ad tempus patet & quod aperitur, & clauditur, ut Januæ, Portæ patentes, Oculi; *patulum*, quod semper & per se naturali-

ter

ter patet, ut Nares; Bos patulus, qui cornua diversa & late distantia habet. Plaut. Truc. Arbor *patula* ; & *patulæ* quadræ Virg. Eclog. I. 1. de Fago, & VII. Æn. 115. Sic Nares patulæ I. Georg. 376. & patulæ Puppes III. Georg. 363. Conf. Taubmanni Commentarii ad Virgilii Culic. v. 16. *Patulus* Mundus Lucret. lib. VI.

PATRII Dii sunt singulis Civitatibus, ut Minerva Athenis, Juno Carthagini, Bacchus Thebis, Pluto Elidi, Vulcanus Lyparæ ac Lemno, &c. *Indigetes* autem proprie sunt Dii ex Hominibus facti, quasi in Diis agentes, ut Æneas, Romulus. Servius.

PATRIUM a patria, *paternum* a patre. R.

Discrimen quidem est maximum idque varium inter *patronum clientis*, atque *tutorem*, quem paterfamilias liberis, quos in potestate habebat sive liberos, sive servos, aut etiam feminis propter infirmitatem consilii dabat, quod satis patet, si evolvimus Heineccium de Tutelis in antiqu. l. 1. tit. 13. sqq. Interim tamen & patroni erant clientum tutores, quorum tutelæ illi & opes eorum suberant, quosque & consiliis & cura sollicite protegebant.

PATRONUS (1), qui defendit accusatum vel quemque alium adflictum in judicio, si orator est, dicitur, vel *advocatus*, si aut jus suggerit, aut præsentiam suam commodat Amico, seu paratus venit alium defendere, etiamsi nihil agat, Valla IV.

(1) *Patronus* aut temporale nomen est defensoris, aut certe appellatio, per quam ostenditur, quid illi cultus, aut obsequii debeatur. *Parens* autem veri amoris nomen est. Donat. R.

IV. c. 12. *Procurator*, qui negotium Abſentis nomine ſuſcipit; *Cognitor*, qui præſentis cauſam novit, & ſic tuetur, ut ſuam. *Hic* in controverſiis ſtatus; *ille* in reliquis ſtatibus conſtituitur, *hic* item ſolemni ritu, *ille* ſolo mandato ſine ulla cærimonia accitus fuiſſe dicitur, v. Heineccii antiq. Rom. ad inſtit. l. 4. tit. 10. p. 295. Hodie omnis hujuſmodi functio Cauſidicorum & Procuratorum ſaltem, i. e. Cognitorum, nominibus continetur. Aſcon. Pedian. Vid. Goclen. loc. ſæpiſsime denomin. p. 241. H.

PATULUM non poteſt claudi, *patens* poteſt. R.

PAVIDUS eſt ſemper timens; *Pavens* ex cauſa. Serv.

PAUCITAS refertur ad Quantitatem diſcretam, ſeu numerum, & opponitur pluribus; *Parvitas* ad quantitatem continuam & ad Corpus, & opponitur magnis. Id. Gocl. 16. H.

PAUPER a paulo lare, *mendicus*, a minus, cui, cum opus eſt, minus eſt. Varro. R.

PAUPERTAS (1) eſt ipſa Pauperis conditio; *Pauperies* eſt damnum, ſive injuria facientis datum, ut cum animal, quod ſenſu & ratione caret, damnum intulerit, de quo prodita eſt Actio, ſi quadrupes *pauperiem* feciſſe dicatur; per quam conſequimur, ut vel detur ipſum Animal, quod noxiam commiſit, vel noxæ & damni æſtimatio præſtetur. (Inſt. ſi quadrup. pauperi). Sic interdum *pau-*

(1) *Paupertas* minus, Egeſtas plus eſt. Senec. Epiſt. 17. Non eſt, quod paupertas, nos a philoſophia revocet, ne egeſtas quidem. Et Epiſt. 59. Quanta verborum nobis paupertas imo egeſtas ſit, nunquam magis, quam hodierno die intellexi. R.

pauperis significat ipsam Paupertatem, ut apud Horatium non semel. Sed differentia nugatoria videtur, quum compluribus veterum locis confutari possit.

Paulo minus est propemodum pene, & opponitur *paulo magis*: *Paululum* remissionis est, & significat aliquantulum, ac apponitur τω multum vel plusculum; aliquando idem est, quod paulisper; *Paulisper* vero significat temporis modum, hoc est brevitatem. Goclen. R.

Pax est inter Personas publicas, & de maximis Principum dissidiis, ita ut contraria sit bello cum externis. R. *Concordia* seu *otium* inter privatas, & de rebus domesticis, ita ut seditionibus domesticis adversetur. Panæt. R. *Compositio* in offensione. Goclen. H.

Peccat (1) aliquando, qui, quod debuit, fecit, sed non recte; *Delinquit* proprie, qui fecit, quod non debuit. H.

Pecora mixtura Animalium; *Pecudes* non item. H.

Pecuaria ab eo, quod est pecuare, venit. Nam *pecua*, ut ait in Pompejana Cicero, ab eo, quod est *pecu*, venit, ut genu, genua. Serv. R.

Pedale mensura est pedis; *Pedule* vero Pedibus involvendis præstat utilitatem. Front.

Pejus est a malo, quod in usu est, & creberrime frequentatur; *Deterius* vero a Bono, ut minoris sit meriti, quam id, quod placet. Non. Marc.

Pene

(1) Commerui minoris culpæ est, peccavi multo minoris, vel levioris. Donat. R.

Pene notat imperfectionem, *Fere* raritatem. Iul. Scalig. R.

Penetrale dicitur, quod penetrat; *Penetrabile*, quod penetratur. Serv. H.

Percontatum a Conto dicitur, quo nautæ utuntur ad exploranda loca navibus opportuna. *Percunctatum* vero ab eo, quod a cunctis perquiratur. Donat. R.

Perculsum animo, *percussum* corpore dicimus. Cicero: Tamquam illa face perculsos esse. *Percellere* proprie ita est impellere, ut loco moveatur, quod impulsum est, diciturque tam de animo, quam de corpore. Evertere, percutere inquit Nonius. Varro Parmenone alius teneram abietem solus percellit. Cum ad animum refertur, est illum quasi loco movere & gradu dejicere, certe efficere, ut consilium mutet. Eodem modo *percutere* & de corpore & de animo adhibetur. Animum percutere suspicione religionis; Sen. ep. 41. Sæpissime tamen a librariis confundi videas percellere & percutere. v. Bentlejus ad Horat. epod. & cel. Ernesti ad Suet. Tib. 11. Hinc Suet. Calig. 35. Lipsius & Perizonius legere jubent: non alia de causa repente perculit, pro vulgato percussit, quod est proprium latinorum de repentina pernicie in primisque Suetonii, verbum. v. Suet. Tib. 5. Ner. 35. *Percussit* nimis lene, quam pro re, verbum est. v. cel. Ernesti not. ad Suet. Calig. 35. & Gesneri thes. Obtinet etiam differentia inter verba *percellere* & *adfligere*. Gravius enim *adfligere* est, quam *percellere*. Cic. Tusc. III. 12. Existimant enim, diis immortalibus se facilius satisfacturos, si eorum plaga perculsi, *adflictos* se

& stra-

& ſtratos eſſe fateantur. v. Geſn. theſ. v. percello.

Percutere de Inſtrumentis gravioribus dicitur, quibus vulneramur, vel occidimur; *Verberare* de Virgis & Fuſtibus. Conf. Giſanii Obſervat. L. L. p. 350.

Perdere plus : *Amittere* minus. Sed quod Litteratores quidam dicunt, *perdimus* conſulto, *amittimus* inconſulto, ei refragrari. Latinorum uſum conſtat. Leg. Goclen. loc. cit. p. 241. ſeq. H.

Perditum, quod inveniri non poteſt; *Profligatum*, quod poteſt. Pædian. R.

Peregri in loco, *peregre* ad locum ſignificat, ut *peregrinatus*, peregre profectus. Plaut. in Perſa: Quia herus *peregri* eſt. Id. in Amphit. Bene expedite vultis *peregrique* & domi. Id. ib. Ita *peregre* adveniens. Sed hæc differentia, cujus auctor Chariſius, non eſt certa & perpetua; & conſtat, Veteres propter affinitatem Litterarum E & I promiſcue hæc talia efferre here & heri, veſpere & veſperi, præfiſcine & præfiſcini.

Perfuga eſt, qui ad hoſtes profugit. Aliquando dicitur *transfuga*, qui a ſuis deficiens aliis ſe adjungit, vel in hoſtium caſtra transfugit; *profugus*, qui e patria ſeu domicilio, ſive finibus, in quibus ante egit, profugit. *Perfugium* autem atque *profugium* Ciceroni unum ſunt. *Perfuga* ſupplex eſt. *Transfuga*, ut adjuvetur, fit *perfuga*. *Transfugas* ſuſpendimus, non *perfugas*, quos & capimus.

Periculum contra quamvis rem timetur, *pernicies* contra necem. Corn. Front. R.

Perjurare ſeu *pejerare* & *falſum jurare* diſtinguit Cic. III. Off. c. 29. Non enim *falſum jurare*

rare pejerare eſt, ſed quod ex animi tui ſententia juraveris, ſicut verbis concipitur noſtro more, id non facere perjurium eſt. Struvius in ſynt. A. R. p. 324. ſeq. *Falſum jurare* Ciceroni eſt ſine propoſito, & animo non deliberato jurare. Scite, ait Cic. l. c. Euripides: Iuravi lingua, mentem injuratam gero. Talis eſt, qui ſimpliciter tantum juramentum recitaverit, vel etiam ejuſdem verba concepta in prima, ut loquuntur, perſona alteri præiverit. H. Grotius de I. B. ac P. II. 13. §. 2. adde annotationes Becmanni. *Perjurabant* autem, qui profitebantur jurare præmeditate, utque ſe res haberet, id quod ſolemnis formula: jurare ex animi ſententia, præcipiebat, de qua vid. Briſſonius in form. ſolemn. p. 711. ubi ad loca a Cujacio notata multo plura teſtimonia addidit ex Livio, Quinctiliano, Petronio, Gellio, reliquis.

PERMITTIMUS, quod poteſtati concedimus, ut liceat; *Committimus*, quod fidei credimus, ut deceat. Goclen. H.

PERNA eſt pes porci, ſeu armus porci ſalitus & infumatus, ventriculo in primis conveniens; cum contra *pernio*, Comenio teſte, pedes affligit. *Petaſo* autem eſt ipſa coxa. Ita *perna* eſt pars petaſonis, auctore Athenæo lib. XLIV. Dipnoſoph. his verbis: Εχει δε πετασωνος μερος εκαςω κειται, ην περναν καλουσι. *Perna* a pede ſuis dicitur ſecundum Varronem, quaſi ſit pes porcinus cum carne, præcipue priores, poſteriores vero petaſones. *Perna* eſt tam prior, quam poſterior coxa porcina; quod ex Plauto, & Horatio quoque apertum eſſe videtur. Varro II. de R. R.

E Gal-

E Gallia apportantur Romam *pernæ* , tomacinæ , & teniacæ , & petasones . Cato de R. R. Cum *pernas* emeris , ungulas earum præcidito. Hor. II. Serm. Sat. II. 117. tamen dixisse videtur *pernam* pro petasone his verbis synecdochice ; Quidquam præter olus fumosæ cum pede *pernæ*.

Pernicitas est celeritas , quæ cum nisi & conatu tendit , ut in Avibus , quarum alæ pernices; sic pernix est , qui summa celeritate pernititur . *Celeritas* est animorum & corporum . *Velocitas* est Corporis & Pedum agilitas , levitasque , ideoque velox , quod summa quoque celeritate utitur , quasi volax , h. e. volans , a volando , est dictus. Notandum autem , quod velox Tabellarius velociter quidem currit ; velocitate tamen a præveloce equo longissime superetur . *Agilitas* membrorum & motus est . Cic. V. Tusc. Præstans valetudine , viribus , forma , acerrimis integrisque sensibus , adde etiam , si lubet , *pernicitatem* . Liv. lib. XXXV. Quos in expeditione , *velocitate* corporum , ac levitate armorum aptissimos esse ratus est . Id. lib. XXXVI. Iuvenes maxime vigore ac levitate corporum veloces .

Pernicies significat interitum , calamitatem ac exitium ; unde Formulæ Ciceronianæ illæ : *Pernicie* opprimi , *perniciem* depellere , *perniciem* comparare, in *perniciem* incurrere , *perniciei* occurrere , *perniciem* moliri , ad *perniciem* instruere , &c. *Pestis* afflictionem & nocumentum ; sic dicimus cum eodem Cicerone , Pestem machinari , pestem afferre, pestem importare . Et e contrario pestem comprimere , pestem reprimere , pestem avertere , pestem depellere & exsecare , &c. Alterum enim di-

citur a pernecando; alterum a pessumdando, quod minus est. Lucil. II. Satyr. Hostibus (1) contra *pestem*, *perniciemque*. Terent. in Adelph. *Pernicies* omnium Adolescentum, perjuriis *pestis*. Cic. I. Off. ad bonorum *pestem*, *perniciemque* convertere. Id. I. in Catil. Cum tua peste, ac pernicie, cumque eorum exitio. Et pro Rabirio: Contra pestem, ac perniciem Civitatis valeret.

PERNIX pedum est, ut: pernicibus ignea plantis; *Celeritas* pennarum, ut: celerique fuga sunt sidera lapsæ. Serv. R.

PERPETUUM proprie ad Homines: *Sempiternum* & *æternum* ad Deos & Cæli Incolas pertinet, inquit Donatus. Ter. Andr. Ego vitam deorum propterea *sempiternam* esse arbitror. Et *perpetuum* est continuatum, non interruptum; *Sempiternum*, & *æternum*, quod semper manet. *Perpetuum* est, quod intermissione, *sempiternum* & *æternum*, quod fine caret. Goclen. obs. 345. Cic. IV. Catil. Vobis illum ignem Vestæ *perpetuum*, ac *sempiternum*.

PERPETUITAS est continuitas, cum non intermittitur aliquid, ideoque designat medium, & tollit interruptionem; *Æternitas* extrema curat, & tollit finem. Goclen. obs. 339. it. 341.

PERSEQUI in malam partem, *prosequi* in bonam partem inclinat magis. Cum autem *persequi* in bonam partem sumitur, nude id fit, ac sine addito. Quum *prosequor* in malam partem sumitur, fere id fit non nisi cum addito.

PERSIS & *Persia* diversam notionem sibi habent adjun-

(1) Stephani Editio p. 153. legit heic pro Hostibus, Hostilibus.

adjunctam. *Persis* eam significat regionem, ubi sermo persicus quam minime erat corruptus; *Persia* autem de toto persico regno intelligenda est. v. Heusinger ad Corn. Them. c. 10.

Pertinax est, qui obstinate tenet, & pertendit id, in quo non debet pertendi; *Pervicax* & *contumax* est, qui constanti & infracto animo rem modo laudabilem, modo illaudabilem gerit. *Hic* laudem, *ille* vituperationem meretur. *Pertinax* in re mala, sic & in abstractis: Pertinacia malæ rei; perseverantia bonæ. Goclen. R. *Perseverans* in bona; *Pervicax* in utraque. Ita *pertinacia* malæ rei, raro bonæ, *perseverantia* non nisi bonæ, *pervicacia* & *contumacia* modo bonæ, modo malæ. Accius in Myrmidonibus: Tu pertinaciam esse, Archiloche, hanc prædicas, ego pervicaciam ajo, & ea uti volo: Nam pervicacem dicis me esse, & vincere: Perfacile patior; pertinaciam nil moror: Hæc fortes sequitur, illam Indocti possident. Tu addis, quod vitio est, demis, quod laudi datur (1) Plaut. Capt. Quid ais? tenax ne ejus Pater? Immo pol *pertinax*. Sed confunduntur interdum, & *pertinax* in bonis; sic Val. Maximus pertinacem (quoque) Deorum indulgentiam dicit. Inde factum, ut pertinacia sæpe pro constantia; quæ cum perseverantia semper in bonam partem accipitur, ponatur; quamquam perseverantiam generaliter alias sumi e Classicis constat. Goclen. *Pervicax* in malis rebus est. Liv. XXXV. Vicit tamen omnia *pertinax* Virtus. Sen.

(1) Heic pro laudi datur, legit Stephanus p. 29. præeunte Nonio laudatur.

ad Lucil. Nihil est, quod non expugnet *pertinax* opera, & intenta ac diligens cura. Ter. Hec. adeo ne pervicaci esse animo, ut puerum præoptaret perire.

Pestis significat omne Malum, quod rem aliquam sive inanimam, sive animatam affligit (1); *Pestilentia* vero, quæ plerumque Loci est, & Salubritati opponitur, est morbus contagiosus, homines infestans. Atque ita veteres & idonei Auctores his nominibus fere utuntur, & raro admodum *pestem* pro Morbo pestilenti dicunt, ut nunc vulgus, conf. Gifanius loc. alleg. p. 182. Liv. II. Ibant unius Familiæ viribus Vejenti populo *pestem* minitantes. Id. LI. Ad quam *pestem* frugum tollendam. Et V. *Pestilentiam* agris urbique illatam. Immo soli Poetæ *pestem* pro Morbo pestilenti usurparunt. Ennius XVI. Annal. Hos *pestis* necuit, pars occidit illa duellis. Plaut. Amphitr. *Pestis* te tenet. Hor. I. Carmin. 21. v. 13. seq. hic miseram famem: *Pestemque* a populo, &c. Quos imitatur Iustinus, non bonus Latinitatis auctor, L. II. Hist. Multorum deinde dierum inopia contraxerat &. *pestem*.

Petere est simpliciter rogare; *Poscere* est instanter, & imperiose exigere; *Postulare* est jure repetere. Unde & pro Agere in judicio sumitur, &

(1) Ceterum Valla lib. IV. Elegantiar. cap. 72. p. 299. inter *luem* & *pestem* hanc dari differentiam dicit, ut inter genus, & speciem. Nam cum in Vrbe, aut in agro Febris, aliudve genus morbi sævit, sive solos Homines, sive sola Pecora, sive utrosque corripiens, *lues* dicitur. Interdum etiam si Arbores ac Sata (corripit). *Pestis* vero aut cito occidit, aut cito abit ab eo, quem invasit, quæ eadem dicitur pestilentia. Nonnunquam tamen pro lue ponitur, atque ad Animi vitium transfertur.

& postulationes sunt Interpellationes judiciales. Ter. in Heaut. Tibi credere omnia; abs te petere, & poscere. Cic. in Frumentaria in Verr. Incipiunt postulare, poscere nimia. Curt. *Postulabat* autem magis, quam petebat. Sed hæc Verborum proprietas non semper observatur. Nam *petere* interdum est jure exigere, & vindicare, a quo petitor pro Actore apud Ciceronem & Iurisconsultos. Contra *poscere* & *postulare* est submisse orare, ut Virg. Tu modo *posce* Deos veniam, Cic. de Arusp. Resp. Telluri *postulatio* debetur. In eo tamen perpetuo differunt, quod *petunt* soli Homines alter ab altero; *Poscunt* & *postulant* etiam Res inanimæ, ut, Locus, Tempus, Oratio, Causa postulant vel poscunt.

Distinguit Cicero inter *petere* & *rogare*. Phil. or. II. 30. *Qui magister equitum fuisse tibi videre, in proximum annum consulatum peteres, vel potius rogares, per municipia coloniasque Galliæ, a qua nos tum, quum consulatus petebatur, non rogabatur, petere consulatum solebamus, cet.* Cell. ad h. l. *Petitur*, tamquam in præmium virtutis, *rogatur* precario & gratia concedi. Cic. tamen ipse *petere* & *rogare* pro synonymis posuit L. II. ep. 6. n. 3. Grave est homini pudenti, *petere* aliquid magnum ab eo, de quo se bene meritum putet, ne id, quod petat, exigere magis quam *rogare*, & in mercedis potius, quam beneficii loco numerare videatur.

PETO precario, gratis: *posco* jure. Serv. *Flagito* cum ardore (1); *postulo* sæpe caute. H.

 PE-

(1) *Postulo* pro juste volo, jubeo. Impetro pro extorqueo. Petimus enim precario, poscimus imperiose, postulamus jure. Donat. R.



Petitor & *actor* quidem non ſemper diſtinguuntur apud veteres. At ſi curatius rem penſites, diſcrepant, ut petitio & actio. *Petitor* enim in rem actionem inſtituit, & quaſi repetit, quod ad ſe pertinere exiſtimat. *Actor* vero contra perſonam agit, quam patrati criminis accuſat. Ille in hæreditatibus, pecunia mutuo data, cet. hic in criminibus verſatur. Vid. Barn. Briſſonius de verb. ſignif. p. m. 1053. Interim actoris nomen quam ſæpiſsime eſt commune, competitque omnibus in foro actionibus.

In cauſis privatis *petitor* dicitur potius, quam *accuſator*, ſicuti in publicis *accuſator*, & non *petitor* dici ſolet. Ceterum proprie *petitor* eſt, qui petit, & litem intendit, & plerumque in rem agit; *Actor* vero agit in perſonam., quemadmodum ex Cujacio ſcribit Schardius in Lexic. Iurid. p. 702. col. b. H.

Petulans eſt, qui ſe in omnem nequitiam effundit; *protervus* eſt importunus & laſcivus, ut, qui obvium cubito ferit, aut ſibi cedere cogit; *procax* eſt, qui mordaciter & contumelioſe loquitur. Itaque *petulans* plus eſt, quam *protervus*, & uterque dictis ſimul & factis modeſtiam excedit; *procax* dictis tantum. Cic. pro Cœlio: Si vidua libera, *proterva* petulanter, dives effuſe, libidinoſa meretricio more viveret. Tac. Lib. III. Hiſt. Vt ſunt *procacia* urbanæ plebis ingenia. *Petulantibus* jurgiis illuſerunt. Quæ tamen differentia non ſatis ubique ſibi conſtat. Phædr. I. fab. 3. Valla IV. 105. ita diſtinguit. *Protervus* minore contumelia, *procax* majore, *petulans* maxima injuria.

Pha-

Phalera differt a *torque*, quod *illa* laxior, & ad pectus demissa penderet, *haec* vero collum magis stringeret. Nieupoortus rit. Rom. p.386. *Phalera* & *torques* equitibus, *armillae* autem peditibus muneri dabantur.

Phantasma visum est animi, cujusmodi fit in somniis; *phantasia* vero est formae in animo impressio, hoc est, mutatio, sicuti ex Chrysippo refert Diogenes Laertius in Zenonis Vita, ubi verba Graeca sic sonant: Φαντασμα εστι δοκησις διανοιας, οια γινεται, κατα τους υπνους, φαντασια δε εστι τυπωσις εν ψυχη, τουτεστιν αλλοιωσις. H.

Picenum vas dicimus, *picentem* vero hominem. Acron. ad Hor. p. m. 1929.

Pietas & *sanctitas* non nihil differunt, quando utraque vox refertur ad deos. Cic. off. II. 3. deos placatos pietas efficiet & sanctitas. Hildebrand. ad h. l. ita: *Sanctitas* est scientia deorum colendorum, *pietas* justitia adversus deos. Cic. de nat. deor. I. 41. *Sanctitas* quid agendum sit imperat, imperata *pietas* facit. Sic vero relatio non fit ad deos, tum aequitas, quae ad deos pertinet, dicitur *pietas*, quae ad manes, *sanctitas*, quae ad homines, *justitia* & *aequitas*, Cic. top. quaest. c. 23. extr.

Piger similis aegro; *Segnis* & *Deses* sine fervore; *Tardus* terit tempus; *Iners* ad nullum idoneus. *Secors* stupidus. *Piger* & *Secors* natura, *Segnis*, *Deses*, *Tardus*, *Iners* voluntate sunt, quamlibet hoc non perpetuum est.

Piget ad Futurum spectat, *pudet* ad Praeteritum, & licet pene una sit significatio, tamen di-

cimus: *Piget* me illud dicere, *pudet* me fecisse. Donatus, *Pudere* est in his, quæ turpiter fiunt; *pigere* in his, quæ cum malo damnoque. Firmari potest illa observatio loco Plaut. capt. III. 1. 9. At nos pudet, quia cum catenis sumus. Lorarii, at pigeat postea nostrum herum, si vox eximat vinculis. Ceterum piget minus, quam pudet. Cic. pro domo c. 29. Me non solum piget stultitiæ meæ, sed etiam pudet. Pudet & piget hoc distant. Pudet verecundiæ est, piget pœnitentiæ. Non. V. 11.

PIGMENTUM & *color* differunt. Plin. XXXV. c. 5. *Quibus coloribus singulis primi pinxissent, diximus, quum de pigmentis traderemus in metallis.* Cel. Gesnerus chrestom. Plin. p. 588. Ita XXIX. 8. comperi, inquit, vulgo pro cinnabari indica in medicamenta minium addi inscitia nominis, quæ esse venenum docebimus inter pigmenta, i. e. ubi de pigmentis & coloribus agetur. Denn eigentlich heisset color die Farbe, so ferne sie als eine Wirkung, oder vielmehr gewisse mischung des lichts in die augen fallt; pigmentum aber die gefarbte materie, damit andere korper angestrichen und gemahlet werden konnen.

PIGNERA rerum, *pignora* filiorum & affectionum. Agræt. R.

PIGRITIA est metus consequentis Laboris; *Terror* metus concutiens; ex quo fit, ut Pudorem Rubor, Terrorem Pallor, Tremor, & Dentium crepitus consequatur. *Timor* metus mali appropinquantis, *pavor* metus mentem loco movens; *Exanimatio* metum subsequens & quasi comes Pavoris. *Conturbatio* metus cogitata excutiens; *Formido* me-

do metus permanens. Hæc Cic. IV. Tusc. Quæst. f. 213. fac. a. Edition. Sturmiano Argentorat. in 8. f. H.

Romani pila datatim; vel raptim, vel expulsim ludebant. Qui datatim, *pilicrepi* vocantur a latinis, a græcis σφαιρισταί. Vetus inscriptio: Ovantes. Convenite. Pilicrepi. Utitur hoc significatu Sen. ep. 56. ubi vid. Lipsius. Alii ab his sunt, quos Firmicus *pililudios* vocat, & quos Manilius l. V. elegantissimo carmine descripsit, Scaliger autem notis suis illustravit, ut & Bulengerus l. I. de Theatro, conf. Taubmannus ad Virg. Cic. p. 36. Manilii verba l. V. 165. seqq. hæc sunt: ille pilam celeri fugientem reddere palma & pedibus pensare manus & ludere saltu, mobilibusque citos ictus glomerare lacertis: ille potens turbam perfundere membra pilarum, per totumque vagas corpus disponere palmas ut teneat tantos orbes, sibique ipse reludat, & velut edoctos jubeat volitare per ipsum. Scaligeri expositionem addere nequeo, quum nesciam, an Fayus, cujus editione Parisiana utor, eam integram dederit. Cel. Gesnerus docet, Scaligero *pililudios* cum pilariis eosdem esse. Erant vero pilarii præstigiatores, qui levi agitatione pilulas, seu parvas pilas, videntur emittere, aut in vas injicere quum secus faciant.

PINGUEDO (1) est inter cutem, & carnem; *Sevum* inter carnem, & ossa. Illa Græce πιμελή, hoc

(1) Hæc proprie sueci altilis abundantiæ non incommode dicitur. Ejus Contraria Ciceroni sunt Puritas atque Tenuitas.

hoc στεαρ dicitur. Sed veteres Auctores, qui pure atque integré locuti sunt ante tempora Imperatorum, non utuntur voce pinguedinis, sed in ejus vicem usurpant Adeps, aut pingue, in quo errat Servius, qui putat, nec pinguedinem, nec pinguetudinem esse Latinum. Nam Plinius lib. 2. dixit; Plerisque Animalium est pinguedo sine sensu. Id. lib. 3. Sevum ex omento pecudis. *Pinguedinem* & *pinguetudinem* nonnulli putant esse eadem, cum tamen *pinguedo* sit ipsa Obesitas, & Crassitudo, quæ est ex *pinguedine*. Cato in Originibus: Sus usque adeo *pinguedine* (seu, ut alii legunt, *pinguetudine*) crescere solet, ut se ipsa stans sustinere non possit, neque progredi usquam. Varro IV. R. R. Lux *pinguetudinis* Vindicta.

Pinnas murorum, *pennas* avium dicimus.

Pirata est, qui Mare habet infestum, *piratæ* conducti ab archipirata faciunt piraticam piraticis navibus. Comenius. *Latro*, qui itinera terrestria reddit intuta. *Prædo*, qui portus & itinera obsidet. Cic. pro Sext. Roscio: Quis *prædo* fuit nefarius, quis *pirata* tam barbarus. Id. I. in Verr. Qualis in Bello prædonum *prædo* ipse fuerit, qui in Foro populi Rom. *Pirata* nefarius reperiebatur. Et IV. in Verrem: Hæc civitas isti *prædoni*, ac *piratæ*.

Piscatores & *cetarii* differunt ut majus & minus. Ter. Eun. II. 2. 26. Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores, aucupes. Nonius II. 44. *Cetarii* genus est piscatorum, quod majores pisces capit, dictum ab eo, quod cetæ in mari sunt

funt majora piſcium genera, conf. Weſterhovius ad Ter. l. c.

Plagæ ſunt, quæ Virgis infliguntur; *Verbera*, quæ Fuſtibus, Colaphis, Flerulis, Flagellis, leg. Vallæ lib. VI. Elegantiar. Cap. 47. p. 412. ubi & *Verberare* eſt cum dolore cædere; *Pulſare* vero ſine dolore. Suet. in Vitell. Quoſcumque libebat, in libertatem aſſerebat, *verbera* & *plagas* ſæpe Vulnera, nonnunquam Necem repræſentantes adverſantibus.

Schefferus de re vechic. lib. II. c. 5. *plagulas* & *plagas* diverſas eſſe ſtatuit. *Plagulas* exponit velum illud, quo operiebantur lecticarum feneſtræ; *plagas* autem ſindonem, qua oblevabantur lecti. Huic ſententiæ etiam favere videtur Budæus in annot. poſt. ad pandectas, plagam ſtragulum & tapetia confundens. An vero apud veteres hæc differentia fuerit obſervata, haud immerito dubitatur. Alſlorphius de lecticis p. 201. ſ. Res nulla laborat difficultate. Nonius XIV. 5. Plagæ, grande linteum tegmen, quod nunc torale, vel lectuariam ſindonem dicimus, quarum diminutivum eſt plagulæ. Differunt igitur plaga & plagula ut majus & minus, plagula vero & cum lectica & cum lecto conjungitur. Suet. Tit. 10. Quum inde lectica transferretur, ſuſpexiſſe dicitur dimotis plagulis cælum. Nonius IV. 361. Palam facito Demea & plagulam de lecto pellis demitte ordine, conf. Geſn. theſ. voc. plagulæ.

Plantæ raptæ ſunt de arboribus; *Plantaria*, quæ ex ſeminibus nata, eum radicibus & terra propria transferuntur. Serv. Virg. lib. II. Georg. v. 27. Et viva ſua *plantaria* terra.

FLE-

Plenum est, in quo est aliquod intervallum; *Refertum*, quod coactum est, in quo nullum spatium est. Goclen. obs. 340. Sed hæc differentia nulla est, eique tot veterum loca obstant, ut vix in numerum veniant.

Plura comparativus est & de duobus dici potest, *Complura* neque Positivum neque Superlativum habens, nonnisi de majore numero dicitur. H.

Plus a *multo* vetustas voluit discrepare, & potest vderi hanc habere posse distantiam, ut sit *Multum* a plurimo minus ac non supra modum, *Plus*, sicut in plerisque quod majoris modi est, quam necessarium est, atque ideo M. Tull. discrevit Epist. ad Catonem: Nec idcirco mihi desiderandam esse dignitatem meam, quod eam multi impugnarint, sed eo magis recolendam, quod plures desiderarint. Non. R.

Poculum vas est, *potio*, quod hauritur. Cicero: Accepto poculo subito in media potione exclamavit. Agræt. R.

Podacrosus a podagra bene dicitur, sed & *podagricus* a pedum ægritudine. Caris. R.

Poesis est perpetuum Argumentum ex rhythmis, & respicit verba, dictionem, & totum orationis habitum poetæ cujusdam, ut Ilias Homeri, & Annales Ennii. Quid proprie sit Poesis, vid. Libellus meus Historico Philologicus de Poetarum Corona Not. *ee* ad §. III. c. 3. p. 116. seq. Edition. Cygn. *Poema* est inventio parva, quæ paucis verbis expeditur: *Poetica* est Ars earum & præcepta notat. *Poesis* respicit actum exercitum, *poetica* signatum. Lucil. lib. 9. Satyr.

tyr. Cujusvis Operis pars est non magna poema, pars est parva Poema, proinde ut Epistola quævis. Illa poesis Opus totum, ut tota Ilias una est Thesis Annalesque Enni. Atque istoc opus unum est majus multo, quam, quod dixi ante, Poema.

POETICE est rei, ut historice: *poesis* operum contextus: *poema* certis pedibus & legitimis numeris inclusa materia. *Poeticum* in poeta utile est. Front. *Poesis* opus tantum, totaque, illa summa est una θεσις, ut Annales Ennii, *poema* est λεξις ευρυθμος, id est, verba plura modice in quamdam conjecta formam: itaque etiam Distichon epigrammaticon vocant poema. Non. R.

POLIMUS rudia (1); *Novamus* vetera. Fronto.

POLLICERI est res magnas promittere, ut montes aureos *polliceri*, *polliceri* novas tabulas. Unde *Pollicitatio* est magnarum rerum promissio, veluti si quis Reipubl. aut Civitati opus aliquod publicum ludosve polliceatur: *Promittere* est res quaslibet parvas, sive magnas offerre. Cic. pro Plancio: Nihil tibi ego tum de meis opibus *pollicebar*, sed horum erga me benevolentiam *promittebam*. Plin. X. Epist. Huic theatro ex privatorum pollicitationibus multa debentur. Sed Jurisconsulti (l. 19. D. de Ædil. Ed. l. 45. D. si contra Empt.) nonnunquam quamlibet aliam Promissionem vocant Pollicitationem, ut ex ipsorum Responsis liquet. Sic *pollicemur* sponte, *promitti-*

(1) Gifanius in Observ. L. L. p. 183. ex Festo adnotavit; nos quoque posse dicere frumentum, agros & vestes polire. Is autem Latine adpellatur Politus, qui Græcis est Λαμπευς.

mittimus rogati. Posteriorem hanc Differentiam minime esse perpetuam, non inique docet Goclenius loc. cit. p. 243. Servius.

POLLICITATIO & *promissio* eandem vim habent: sed *pollicitatio* majoris assecurationis est. Donat. R.

POMETA dicuntur, ubi Poma nascuntur, ut Oliveta; *Pomaria* (1), ubi servantur, ut Penuaria. Fl. Sosip.

POMPEJI Porticus, si possidet; *Pompeja*, si publicavit; *Pompejana*, si in alterius Dominationem venit. Fronto.

POMUM generale & mollioris corticis, *Nux* durioris, *malum* speciale. R.

POPULUS & *Plebs* varie differunt. Nam interdum *populi* adpellatione omnes Civitatis Ordines continentur. Unde Populorum adpellatione Num. Plur. Urbes significamus; *Populi* Num. Sing. Multitudinem unius civitatis. Serv. *Plebis* vero nomine sine Patriciis & Senatoribus ceteri Cives significantur, ut Gellius & Jurisconsulti Inst. de Jur. Nat. Gent. & Civil. §. 4. tradunt. Aliquando *populus* nominantur Patricii; *Plebs* autem ceteri cives. Cic. pro Muræna; Populo Plebique Romanæ bene ac feliter eveniret. Liv. II. de Tribunis Pleb. Non enim Populi, sed Plebis eum magistratum esse. Rursus *Populus* ea pars Civitatis dicitur, in qua sunt Cives Romani honestiores & opulentiores; *Plebs* vero inops & vilis. Multitudo, in omnes Tribus diffusa. Tacitus lib. 1. Historiar. Neque Populi, aut Plebis ulla vox. Et:

(1) Antiqui ideo plantabant pomaria, & in illis pomosas Arbores, ut ex Pomis potum pararent.

Et: Non tantum in Populo ac Plebe. Idem lib. 1. Annal. Et Populo & Plebi 435. dedit, quod Suetonius dixit in Augusto; Legavit Populo Romano quadringenties; Tribubus tricies quinquies HS. *Plebs* igitur a *populo* eo differt, quo species a genere. R.

Populati avaritia, *vexati* libidine & crudelitate. Pedian. R.

Populatio est agrorum & locorum; *Vexatio* corporum & animorum. Goclen. H.

Porto humeris; *Fero* corpore. H.

Portus & *navalia* non sunt omnino eadem. Cic. off. II, 17. Muri, *navalia*, portus, aquarum ductus, omniaque, quæ ad usum reipublicæ pertinent. Hildebr. *Navalia*, locus, ubi naves texuntur, & subducuntur; *portus*, manu scilicet facti, ubi naves tuto consistunt.

Portus est, ad quem applicant Naves, & in quo hiemant (1) *Statio*, ubi ad tempus stant. Serv. Nam *portus* est conclusus, & tutior, quam *Statio*. Lentulus ad Senatum: Urbe: *portu*, *Statione*, quæ extra urbem est. Rex Eumenes apud Liv. XXXVII. 15. illos, tutissimo, inquit, portu, opulentissima urbe fruentes, omnia Asia præbente, quieta æstiva acturos; Romanos aperto in mari fluctibus tempestatibusque objectos, omnium inopes

(1) Alias portus differt I. a Vocabulo Bavarico *Kuste*, quod Latus significat & denotat regionem terræ adjacentis, ut *die Englische Kuste die*, *Franzosische Kuste*. II. a Vocabulo *Rheede*, quod significat confinium circa Portum, in quo Naves anchoras jacere, & aliquo modo etiam tutæ stare possunt. Conf. illustris Rherii cap. I. de Iure Portuum, n. 12. & ex eo celeberrimi Fritzschii Addition. ad Speculum Speidelii litt. *k.* p. 685. col. b.

inopes in adfidua ftatione futuros ; Talis Appii ftatio, de qua Liv. XXIV. 27. Naves ad oftium portus, quid aliæ partis hominibus animi accederet, operiens in ftatione habere cœpit. Schefferus de mil. nav. p. 210. ita; patet ex his verbis diverfas ftationes a portubus fuiffe & qualiacumque commoda navibus ad quiefcendum loca etiam inculta fignificare. Unde Cæf. III. B. C. Saxa inter & alia loca periculofa quietam nactus ftationem, & portus omnes timens, quos teneri ab adverfariis arbitrabatur, ad eum locum, qui adpellatur Pharfalus, omnibus navibus ad unam incolumibus; milites expofuit. Sed & longius a terra diftare, quam portus, Livius oftendit XXII. 19. Scipio altero ab Tarracone die ad ftationem decem M. paffuum diftantem ab oftio Iberis amnis pervenit. Afdrubal; cujus naves erant in ipfo oftio, militibus nunciari jubet, arma caperent, claffem Romanam haud procul a portu effe. Stationem græci ορμον & στασιν, portum vero λιμενα vocant. Plura vide apud Schefferum.

Poscere fecundum Varronem eft, quoties aliquid pro merito noftro depofcimus: *Petere* vero eft, cum aliquid humiliter & precibus poftulamus. Serv.

Possessio Bonorum, & Bonorum poffeffio differunt. *Hæc* enim hæreditatem prætoriam; *illa* illam poffeffionem, in quam creditores legatarii aliive immittebantur, denotat. Briff. de Verb. fignif. p. m. 74. R.

Possidere eft pro Domino re fua: *in poffeffione effe* eft Corpore incumbere & infiftere poffeffio-

ſeſſioni, rem detinere (1) *Illud* & animo & corpore ſit, & juſtam poſſeſſionem conſtituit: *Hoc* corpore tantum. Itaque Servi non dicuntur poſſidere; at iidem, & Inquilini, Coloni, & qui precario rogaverunt; ſi corpore in prædio ſunt, *In poſſeſſione eſſe* cenſentur, ut ſcribunt Juriſconſulti, (l. 49. D. de acqu. Poſſ.)

Possum & ad potentiam refertur, & ad caſum, ſic *potero* eſt promittentis; *potuero* dubitantis, ut, poſſum errare, poteſt fieri; *Valeo* ad potentiam, denotat enim non ſolum (& quidem proprie) integris eſſe viribus, ſed & ad aliquid conducere atque magni pretii eſſe; non ad caſum pertinet. Itaque dicimus: *Valeo* opibus, gratia auctoritate, viribus, non item valeo errare, valet fieri.

Postulio a *poſtulatione* diſtincta erat. Struvius in ſyntagm. A. R. p. 217. Cum obſecratione in quibuſdam convenire videntur poſtulationes, quas in cærimoniis rebuſque divinis agnoſcit Arnobius. Ob oſtenta enim & portenta, vel ſi quid in ſacris prætermiſſum, aut commiſſum, decernebantur. De quo Cic. exauditus in agro propinque & ſuburbano eſt ſtrepitus quidam reconditus & horribilis, fremitus armorum; de ea re ſcriptum eſt, poſtulationes decretas eſſe Jovi, Saturno, Neptuno, Telluri, diis cæleſtibus. Sic & ob oſtentum quoddam Telluri poſtulationem deberi ait. Quare & fulmina poſtulatoria Seneca dicit, quibus ſacrificia intermiſſa, aut non rite facta repetuntur.

(1) Sed in poſſeſſionem mittere dicitur Iudex ex Edicto, qui rem alterutri Litigantium adjudicat, & quidem ex Doleti mente loc. perſæpe alleg. fol. 130. fac. b. col. 1.

Ab hoc distincta erat *postulio*, non, uti Iac. Gutherius putat, ut hæc inferis diis competeret, superis postulatio, sed ut *postulio* sit illud ipsum, quod ad expiandos Deos præstabatur, sive hostia, sive donum, sive simile quid, *postulatio* vero consisteret in precibus pro avertendo malo. Videmus hoc ex Varrone. A Procilio, inquit, relatum in eo loco, ubi tunc lacus Curtius, dehisse terram & ex SCto ad haruspices relatum, esse responsum, Deum Manum postulionem postulare, i. e. civem fortissimum eo mitti, cet. *Postulio* ergo erat illud ipsum, quod dii piaculi loco postulabant.

Postulatur aliquid honeste; *poscitur* improbe. Cicero in Frumentaria: Incipiunt postulare, poscere nimia. Agræt. *Petimus* precario; *postulamus* jure; *poscimus* imperiose. Donat.

Potius est Correctionis particula, & interdum aliquam Exclusionis in Electione vim habet: ut mea ac tua causa, vel aliorum potius. Itaque aliud est: Homines potius amare tenebras, quam lucem, quam: Homines magis amare tenebras, quam lucem. Unde & ICti dicunt, hanc Vocem poni elective, & non comparative, sicut annotavit Strauchius in Lexico Particular. Iuris p. 175. col. a. *Magis* vero idem fere, ac *Plus* est. Leg. Goclenius l. c. p. 243. H. *Magis* in comparatione non nisi fere quantitatem, *potius* vero desiderium & voluntatem rei cujusdam eligendæ vel præferendæ respicit, & sic particula exclusionis est. *Magis*, *plus* vel *amplius* quantitatem respiciunt; tamen in eo differunt, quod *magis* comparationem & quantitatem, quæ est in facto rebusque gestis vel gerendis, potissimum intendet, *plus*

plus & *amplius* non nisi ad quantitatem, quæ est in tempore & numero, referatur, & speciatim *plus* contrarium habeat *minus*, prousque accedat ad nomen, quam *magis*.

Potum & *potionem* nonnulli ita distinguunt, quod *potus* sit Vini, Aquæ & similium rerum; potu carere nullum vivens potest, estque cuique sua naturalis potio afsignata. Comen *potio* sit confectio, quæ Ægrotantibus præbetur. Cicero, Varro aliique primarii Auctores potionem pro potu frequenter usurpant. Itaque verius est in eo differre, quod potio generale Nomen est, quæ & quarumlibet rerum potum, & confectionem medicam significat; potus autem de Pharmaco non dicitur.

Præcipue non est idem, quod specialiter, uti Indocti interpretantur, sed quod maxime & potifsimum, (*vor andern*); *singulariter* vero idem est, quod unice, unico modo, singulari modo, opponiturque ei dupliciter, bipartito. *Præcipue* est particula exceptionis, & usurpatur, quum aliquid excipitur, vel omnibus aliis præfertur, idemque est, quod in primis, cum primis, potifsimum, maxime, singulariter, præ ceteris, eique opponitur communiter, commune, universum. *Præsertim* autem est particula restrictionis seu restringendi rem, innuens, ita sese habere κατ' ἐξοχήν, idemque notat, quod nos germani dicimus *eigentlich zu sagen*. Aliud est; Hunc *præcipue* diligo, i. e. ante omnes alios, omnibus præferendo, aliud: hunc *in primis* vel *cum primis* diligo, i. e. non quidem hunc præfero omnibus; at ita tamen diligo, ut diligere soleo amicorum meorum antesigna-

nos. At nec hanc differentiam veteres ubique observant.

PRÆDES sunt, qui fidem suam pro Redemtoribus obligabant populo, datis in publicum Prædiis: *Prædicatores* sunt, qui Sponsorum prædumque Tabulas curabant: & si Reus ad constitutum diem non solveret, prædia obsignata vendebant. Meminit & horum Cujacius lib. V. Observ. cap. 29. in fin. Unde & Lex prædiatoria, quæ de prædiis prædibusque cavebat, & prædiatorium Jus. Cic. ad Atticum: Quod pro Cornificio me abhinc amplius annis 25. spopondisse dicit Flavius, etsi reus locuples est, Appulejus prædiator liberalis. Id. pro Balbo: Etenim si C. Scævola ille Augur, cum de Jure Prædiatorio consuleretur, homo Juris peritissimos consultores suos nonnunquam ad Turium & Cascelium prædiatores rejiciebat. Suet. in Claud. Cum obligatam Ærario fidem liberare non posset; invacuum lege prædiatoria venalem pependisse sub Edicto Præfectorum.

PRÆDIA *bona* dicuntur bona satisdationibus obnoxia, sive sint in mancipiis, sive in pecunia numerata; *Prædia* vero, domus, agri *Prædia* sunt res ipsæ, *prædes* homines, id est, fidejussores, quorum res, *bona prædia* nunc uno nomine dicuntur. Pædian. R.

PRÆDICAMUS ut Res sunt. *Laudamus* extollendo. *Prædicamus* Voce. *Laudamus* Argumentis. Donat.

PRÆJUDICIUM dicitur res, quæ cum statuta fuerit, adfert judicaturis exemplum, quod sequantur; *Judicium* autem res, quæ causam litemque determinat. Ascon. Pædian. R.

PRÆ-

Prælium (1) eſt certamen hoſtile ſive eminus, ſive cominus fiat; *Pugna* vero eſt, cum hoſtes cominus congrediuntur, dicta a Pugno, eo quod ante Uſum Telorum atque Miſsilium pugnis, & Calcibus & Morſibus, Corporumque luctatione certabatur. Aliquando etiam eſt Verborum atque Controverſiæ, ſicuti probat Doletus loc. cit. fol. 138. fac. a. col. 2. Ceterum pugna & lucta ita differebant quondam, ut in pugna (Scaligero lib. I. de Re poetic. cap. 22. pag. 84. teſtante), ſolis pugnis pugili uti liceret; in lucta autem impulſu tantum & tractu, & preſsione, & ſupplantatione, ut non cæderetur concertator, ſed proſterneretur. Lucr. II. de Rer. Nat. v. 116. 117. Et velut æterno certamine prælia pugnaſque edere turmatim certantia.

Præmium, quaſi Præemium dictum, quod quis præ aliis emit, vel accipit, eſt, quod recte factis redditur, in ſpecie eſt id, quod in Ludis proponitur iis, qui ſe ſtrenue geſſere & Victores evaſere *Pretium* eſt, quod pro re emta datur, vel eſt Merces conductionis, operæ & artis, a quo Manipretium & operæ pretium. Gellius III. Nobis non placet pretio aut præmio, aut dolis pugnare. Aliquando tamen *præmium* latiori ſignificatione Lucrum & Commodum quodlibet denotat, a quo præmioſum pro pecunioſo Veteres dixerunt, & præmiari id eſt, Lucrari & quæſtum facere. Suet. in Tito. Lucret. II. Omnia perfunctas vitæ Præmia. Et V. Pectore parta ſuo quæſitaque

(1) Bellum etiam ſine prælio eſt, cum indicitur; prælium ipſa pugna. Corn. Front. R.

præmia liquit. Sed & Pretium interdum accipitur pro præmio. Cato in Oratione apud Milites. Majores seorsum atque divorsum pretium paravere bonis atque strenuis. Lucil. XXX. Satyr. p. 196. Virginis hoc pretium, atque hunc reddamus honorem. Liv. XXXII. Haud satis dignum tanti laboris periculique pretium erat.

PRÆPARARE prius: *Comparare*, undique parare. Corn. Front. R.

PRÆS (1) significat Sponsorem datum in civili causa & Lite Nummaria: *Vas* proprie est Sponsor alterius in re capitali, qui propterea capite cavere dicitur, inquit Festus. Budæus inter Prædem & Vadem hanc facit Differentiam, ut *hic* pro altero Vadimonium promittat; *Ille* autem a Magistratu interrogetur, in publicum ut præstet: a quo, cum responderit, dicitur *præs*. Seu *præs* est ille, qui Sponsor Reipublicæ, vel Principi est factus pro eo, qui Pecuniam publicam dispensat; alias & barbare quidem receptor dictus. Ausonius in Monosyllabis Idyll. XVI. v. 99. seq. Quis subit pœnam capitalis supplicii? Vas qui cum Lis fuerit nummaria, quis dabitur? *Præs*. Id. in Ludo Sapientum in specie in Thalete v. 21. Prædes Vadesque pœnitudinis reos. Sed tamen interdum *Vas* dicitur Sponsor, qui ex Pactis Conventis & Mancupiis sese pro Reo obstringebat, si fortasse res ab Emtore evinceretur, ut in Lege Mancupiorum;

(1) Prædes dicuntur satisdatores locupletes pro re, de qua apud Iudicem lis est, ne interea, qui tenet, diffidens causæ, possessionem deteriorem faciat, recta dissipet, excidat arbores & culta deferat. Pædian. R.

rum; *Vadem* ne poſcerent, nec dabitur; vel qui in privato Judicio Reum ſiſti, aut ni ſiſtatur, pecuniæ ſummam promittebat. Nam, ut ait Varro, conſuetudo erat, cum Reus parum eſſet idoneus inceptis rebus, ut pro ſe alterum daret, qui illum Iudicio ſiſtendum certa die promittebat, ad quam diem, qui in Iudicium veniebat, vadimonium obire & ad Vadimonium occurrere, aut venire dicebatur. Cic. pro Quintio: Vadimonium quidam non objit ſocius & Affinis meus. Id. ib. Ad Vadimonium non venit, qui tibi præſto ſemper fuit. Non dubitavit, inquit, cum Vadimonium deſertum eſt. Suet. Calig. Et Litigantium plerique, quod occurrere ad Vadimonium non poſſent, cauſa caderent.

Præsidium eſt auxilium militare, quod ad cuſtodiam & defenſionem alicujus præſidet; ſic præſes inprimis is eſt, ad quem potiſsimum (Vlpiano Auctore Tit. de Offic. Præſid. pertinet curare, ut pacata & quieta ſit Provincia, cui præeſt, & quam gerit. *Subſidium* vero eſt, quod poſtponitutur ad ſubvenientium laborantibus, aut deficientibus, dictum a ſubſidendo, quod in extrema acie ſubſidebant Triarii, qui ceteris uſu & fortitudine præſtabant, & ſi priores duo Ordines, nimirum Haſtati & Principes, loco moti fuſique ab hoſtibus fuiſſent, tum ipſi, renovata pugna, hoſtes invadebant. Quo alluſit Plaut. Agite nunc, ſubſidite omnes, quaſi ſolent Triarii. Cic. pro Flacco: *Præſidia*, immo centum *ſubſidia* Retpublicæ, conſilia, auxilia. *Subſidium*, quod ſubeſt deficientibus, *præſidium* imponitur, *auxilium* repentinum eſt. *Subſidium* ad ſecundos caſus præparatur, *præſidium*

ad custodiam collocatur, *auxilium* ut prosit, ex insperato venit.

PRÆSIDIUM est dictum, quia extra castra præsidebant in loco aliquo, quo tutior regio esset: *Obsidium* dictum ab obsidendo, quo minus hostis egredi possit in die. Varro. R.

PRÆTEREA est præteriti temporis. Sallust. Nunquam Hispanos præterea tale facinus facere audivi, & temporis futuri, Præterea haud suspecteris. R.

PRÆTEXTA honestiorum, *Toga* viliorum, quod etiam circa mulieres servabatur. Pædian. R.

PRÆVARICATOR differt à *patrono* quod *hic* ea dicit, quæ causæ conducunt, *ille* vero se causam simulans defendere, quæ sunt, dicendo, causam prodit, Gocl. obs. 39.

PRÆVERBIUM est euphonon: *Adverbium* vitiosum & fictum, tamen in usum nunc est receptum.

PRAVUM est, quod & ipsum lædit facientem, *Malum*, quod alios tantum. Donat. R.

PRECARI est rogare, *deprecari* est Purgare & Excusare. Virg. Equidem metui, nec *deprecor*. Cic. Quid faciet Hortensius, Avaritiæ ne crimina Frugalitatis laudibus *deprecabitur*.

PRECATIO a *precibus* differt & magis solemnis erat apud romanos. *Precationes* enim dicebantur de omnibus precibus sacerdotum atque magistratuum publicis, quæ solemni more fierent. Qua ratione solemnis comitiorum precatio dicitur, quæ comitiis præmittitur. Augurum quoque erat precatio publica, & vota Tacito dicuntur precationes faustæ. *Comprecatio* autem solemnis dicebatur, quod

quod precari, priusquam populum alloquebantur, magistratus solebant, quum omnium rerum initia a diis immortalibus facienda veteres vellent. Comprecationes quidem dictæ videntur, quod plures Deos simul comprehenderent. Struv. Syntagm. A. R. p. 213.

Primicerius falso a nonnullis dicitur is Puer, qui primam facem in promotione Magistrorum gerit, sed potius idem est, ac Λογοθέτης Secretorum atque quæstor sacri palatii; quem hodie minus Latine Litteratorum vulgus Cancellarium solet appellare, cujus munus est inprimis, Litteris principis, quibus aut Donum aliquod, aut Honorem Magistratumque concedit, cereum illius Sigillum apponere, unde & primicerius dictus. Qui vero primus in magistrorum promotione faculam gestat, græcis optime πρωτοδαδῦχος nuncupatur. H.

Primipilus est Centurio primus & supremus inter decem Centuriones Triariorum, qui primum locum in Legione post Tribunum Militum obtinebat. Quis sit ejusque Centurio, vid. apud Schardium in Lexico Juridico p. 744. col. a. Liv. VI. P. Salonius alternis prope annis & Tribunus militum & primus Centurio, quem nunc *primipilum* appellant. Id. VIII. Duo *primili* ex utraque acie inter Triarios erant; primus ille Ordo, quem ducebat *primipilus*. Sallust. in Jug. Centurio primi pili tertiæ Legionis. Cæsar I. de B. C. L. Pupius primi pili Centurio. Et III. de B. G. Crastinus primum pilum superiore anno in Legione decima duxerat.

Primus e Multis, sic primus hæres dicitur, qui pri-

primo gradu eſt ſcriptus, (Briſſon. lib. VII. de Formul. p. 606.) & primus ordinis Advocatorum, qui in ſede prior eſt. Idem ibid. Primitus autem & primiter, pro primo dici, tradit Laurenbergius in Antiquario p. 355. col. b. *Prior* e duobus; ita *poſtremus* de multis; *Poſterior* de Duobus dicitur. *Alius* de multis, *alter* de Duobus dicitur. Agræt.

Primum eſſe aliquid dicitur, reſpectu ſui ipſius, *primo* relative ad alterum, *illud* reſpicit iterationem ejuſdem rei, quæ tot vicibus ſequatur, *hoc* ordinem temporis vel loci, quo quia locetur.

Priores comparativi gradus ſunt, *primores* ſummæ quæque res, qui, auctore Modeſtino pro optimatibus ponuntur. Cic. in Orat. Quæ iſti rhetores ne *primoribus* quidem labiis attigiſſent. Non.

Priscus & *priſtinus* aliquid differunt. *Priſcus* reſpondet græcorum αρχαιω, *priſtinus* τω παλαιω. Eſt itaque *priſcus*, qui ſuperiore ætate fuit. Cic. Tuſc. I. 27. Itaque illud erat inſitum priſcis illis, quos caſſos appellat Ennius, eſſe in morte ſenſum. Et de Univ. XXXIV. credendum nimirum eſt veteribus, & priſcis, ut ajunt, vitris, qui ſe progeniem deorum eſſe dicebant, itaque eorum vocabula nobis prodiderunt. *Priſtinum* autem eſt, quod ſuperioribus annis, menſibus diebus, & noſtra memoria fuit. Cic. pro Sulla c. 26. Si ille labor meus priſtinus, ſi ſollicitudo deſerviunt amicis. Orat. pro Cluent. c. 18. odio priſtino incenſa mulier.

Probatum aliud eſt, quam *Spectatum*, quod *Illo Hoc* majus eſt. Lucil. lib. XXVI. Satyr. Tuam *probatam* mihi & *ſpectatam* maxime Adoleſcen-

ſcentiam . Enim vero Cic. de Orat. 124. invertit: Ceterarum homines artium ſpectati & probati, v. Becmanni origines L. L. p. 7.

PROBATOR eſt poſt factum; *Suaſor* ante factum. Goclen. H.

PROBRUM ſignificat omnem turpitudinem, quæ ignominia delinquentem afficit, ut ſtuprum, adulterium, furtum, mendacium, & id genus alia; *Opprobrium* eſt convitium, quod ob admiſſum *probrum* fit. Si vacas *probro*, *opprobrium* non erit tibi *probro*, ſed ille potius probroſus fiet, qui tibi falſa exprobratione opprobraverit: Comen. Itaque recte ſcribit Vlpianus l. 42. D. de Verb. Signif. *probrum* idem eſſe & opprobrium, quaſi objectum *probrum*, quod Valla fruſtra reprehendit. P.Africanus de Multa: Omnia Mala, *probra*, Flagitia, quæ homines faciunt, in duabus Rebus ſunt Malitia atque Nequitia. Cicero ad Attic. Epiſtolas mihi legerunt plenas omnium in me *proborum*.

PROBUS ſibi, *modeſtus* apud alios. Donat. R.

PROCONSULES & *Proprætores* forte (& a ſenatu), *Legati*, ſeu *Rectores* Cæſaris delectu mittebantur in Provincias gubernandas. Suet. Auguſt. 47. §. 1. Proc. pacato habitu & gladio non accincti fuerunt: *Rectores* paludamentum geſtarunt, & gladium. R.

PROCUL & longe & prope ſignificat. Ut: Clypeo eſt excuſſa ſagitta; *proculque* Egregium auctorem latus inter & ilia fixit. Agræt. R.

PRODERE pejus, quam *Oppugnare*, propterea quod *Oppugnare* inimici, & hoſtis officium eſt: *Prodere* gravius, cum ad eos, qui amici eſſe debent, referatur hoc verbum. Pædian. R.

PRO-

Profani erant, sacris non initiati, qui fanum intrare non poterant. Acron. R.

Profesti & *Festi* Dies discernuntur sic: *Profesti* sunt a Festivitate vacui. Non. Afranius in Privigno p. 54. Edition. Stephanianæ, ubi veteris Poetæ verba sunt hujus tenoris: Quæ Festis nos facere solemus, de quotidiano opere promiscue atque Profesto concelebras Focum. Quæ *festivo* nos facere solemus die, quotidiano opere promisces omnia, atque profecto concelebras (die) focum.

Prohibere est avertere & impedire Dictis Factisve, ne quid fiat; *Vetare* est dictis resistere. Plaut. in Curcul. Nemo hinc prohibet, nec vetat.

Prohibemus ante inceptam rem, *Inhibemus* cœptam. Comenius. H.

Proletarii erant, qui in Plebe Romana tenuissimi pauperrimique non amplius, quam mille quingentum Æris in Censum deferrent, *Capitecensi*, qui nullo, aut perquam parvo Ære censebantur. Dicti Proletari, quod tantum Reipublicæ prolem sufficerent. Goclen. H.

Prologus est velut Præfatio quædam Fabulæ, in qua aut Poeta excusatur, aut Fabula commendatur; Conf. Iul. Cæs. Scaligeri lib.I. Poet. c.9. p. 33. *Prologium* autem est, cum Argumentum Fabulæ tantum describitur. Quam Vocem Latini fecerunt ex Græco πρόλογος, ut ab ἔξοδος Exordium, quo aliquoties utitur Varro in Satyris: Exanimasti me Prologio tuo.

Promittere est nudis Verbis polliceri, ex quo constituitur tantum nudum pactum; *Spondere* autem est per stipulationem promittere, unde nascitur Actio ex Sponsu: *Recipere* est fidem dare se

præ-

præstaturum. Ita *recipere* plus est, quam *promittere* & *spondere* plus est, quam utrumque istorum. Cic. pro Muræna: Futurum esse promittunt, & spondent. Id. pro Domo; Præsto, promitto, spondeo. Et ad Crassum: Quæ tibi promitto ac recipio. Sen. ad Lucil. Iam non promittunt de te sed spondent. Quamvis Iureconsulti interdum promittendi Verbum latius interpretantur, & non modo ad nudam promissionem, sed etiam ad Sponsionem referunt. Itaque si scriptum in Instrumento fuerit, promisisse aliquem, perinde haberi volunt, atque si, interrogatione præcedente, responsum sit, spondeo, auctore Ulpiano Inst. D. de Inutil. Stip. §. 17.

PROMULGARE *legem*, quando lex publice proponebatur, ut quilibet e populo eam legere, expendere, &, ferenda ne esset, an antiquanda, secum statuere posset. *Rogare legem* populum rogare velint ne legem accipere. *Ferre legem*, quando ferebantur suffragia tabellis. Lex rogatur, dum fertur, abrogatur, dum tollitur, derogatur eidem, dum quoddam ejus caput aboletur, subrogatur, dum aliquid adjicitur, abrogatur denique, quoties aliquid in ea mutatur. Ulpian. Fragm. I. 3. R.

PRONUBA seu *promnestria* est Mulier, quæ sponsæ adest; *Nymphagogus*, qui deducit sponsum, *auspex* & *paranymphus* sunt affeclæ, & deductores sponsi. H.

PROPERARE & *festinare*. Qui *properat*, apparet non esse fessus: qui *festinat*, videtur esse defatigatus. Nam qui multis simul rebus *properandis* defessus est, is jam non *properat* sed *festinat*. Corn. Front. Qui unum quid mature transigit, is *properat*,

perat, qui multa ſimul incipit, neque perficit, is *feſtinat*. Gell. R.

Inter *propolas* vel arillatores, & *negotiatores*, quos Apuleius magnarios vocat, diſtinguit Cic. off. I. 42. de illis: Sordidi etiam, inquit, putandi, qui mercantur a mercatoribus, quod ſtatim vendant, nihil enim proficiunt, niſi admodum mentiantur. Nec vero quidquam eſt turpius vanitate. Hos vero qui magnariam exercent mercaturam; multaque undique adportant, vanitate impertiuntur, non admodum vituperandos putat Cicero, qui alias mercaturæ ob philoſophiam platonicam, cui deditus erat, non admodum favebat, quod videbantur, ei luxui occaſionem dare, ſicque plus damni, quam emolumenti habere, ſed tum demum laudandos, ſi ſatiati quæſtu, vel contenti potius, ut ſæpe ex alto in portum, ſic ex ipſo portu ſe in agros poſſeſſioneque receperint. Heinecii antiq. IV. 7. p. 273. Faber propolam vocat, qui pluris vendit merces, quas in portu primus anticipat minori pretio.

Proprium cujuſque ſuum, *privatum* non publicum. Corn. Front. R.

Prospicere & *reſpicere* diſtant, ut adverſum videre *proſpicere* recte dicatur: *reſpicere* qua retro adſpicere. Varro Manio. Sedens altus alieno ſumtu neque poſt reſpiciens, neque ante proſpiciens. Non. *Proſpicere* futura, *Judicare* præſentia. Donat. R.

Protenus ſignificat porro tenus, id eſt, longe a Finibus; *Protinus* eſt ſtatim, ac ſine intermiſſione, vid. Virg. lib. I. Georg 1. *Alterum* eſt Adverbium Loci, *alterum* Temporis, ut Servius

vius notat ad illud Virg. Ecl. I. 13. 14. En ipse capellas *protinus* æger ago. Ego nullam Vocabulorum istorum Differentiam esse puto, sicut nec differunt quatenus & quatinus, de quibus infra.

PROVINCIAS *inter se comparare*, quando proconsules in eligendis provinciis ipsi dispónebant & conveniebant. *Sortiri provincias* est, si sortito tales mittebantur. *Ornari provincia* est vasario instructum ad provinciam abire, R.

PROVOCARE, tum in malum, tum in bonum accipitur, *lacesso* in malum frequentius, *irrito* raro in bonum, sed eleganter tamen.

PROVOCATIONES & *Appellationes* communiter ICti ita discernunt, ut illæ sint, quæ ab omni actu, vel decreto, tam in judicio, quam extra fiunt, judicis officium auxiliumque implorando, hæ in judicio tantum legitime interponantur, quo causa injuste definita ad superioris judicis cognitionem atque decisionem meliorem ab inferiore devolvatur. Ex quo consequitur, ut illæ semper & initio causæ, hæ non, nisi post sententiam latam adhiberi possint. Verum non eodem modo antiquitus distinctum fuit, & licet provocationis vox ab ipsa provocantium formula transsumta, vetustior videatur, usus tamen postea promiscuus obtinuit, nisi quod provocationem ad populum magis, quam appellationem dici, imo quoties provocatio ponitur sine significatione, ad quem fiat, popularem innui, apud auctores observes, ut apud Cic. variis locis. Livio vero id magis adhuc familiare. Certe unum scio Plinium majorem H. N. VI. 22. qui appellationem ad populum dixerit.

rit. Ergo frustra sunt, qui monent, esse provocare majus quam appellare, quasi ad meliores potentioresque auxilii ferendi causa proprie spectet provocatio. Sed Fronto etiam appellationem docet, appellantis vocem esse, qui appellat ad potentiorem propter injuriam, ut cum invocat auxilium magistratus. Enimvero in singulis provocationum speciebus videmus, appellationem & provocationem de cujuscumque magistratus imploratione sive judiciali, sive extrajudiciali, tamquam synonyma usurpari, v. Fr. Car. Conradi jus provocationum ex antiquitate erutum, L. 1723.

PROXIMA nobis aut præterita sunt aut futura: *Præsentia* ea sunt, in quibus nunc sumus. R.

PROXIMUS is est, quem nemo antecedit, & quo nemo vicinior est, *vicinus* proximus & idem non *proximus* potest esse.

PRUDENTIA naturalis est, *gnavitas* extrinsecus venit, *Imprudens* per se, *ignavus* per alios. Donat. R.

PUDET in his, quæ turpiter facit, *piget* in his, quæ cum damno ac malo, *pudere* etiam ad decus, *pigere* ad dolorem refertur. Donat. *Pudet* & quæ de alterius facto, & quæ de suo, ut in Adelph. de verbis Æschini: Ubi eum pudet fratris, non ante confessum. Agræt. R.

PUDOR (1), (2) est metus rerum turpium, & inge-

(1) *Pudor* est tantum bonorum, *timor* etiam malorum. *Pudor* est mali facti, *Verecundia* recti & honesti. Donat. R.

(2) *Pudorem* olim interdum idem valuisse, quam *pudicitia* valuit, Gifanius in Observationib. L. L. p. 202 testatur additque inde factum esse, ut *pudoris* nomen pro Verecundia a doctis qui-

ingenua quædam Timiditas dedecus fugiens, laudemque maxime confectans, ex quo ortum Ruborem Virtutis colorem Diogenes Cynicus appellabat; *Pudicitia* eſt continentia a Libidine; *Verecundia* eſt Reverentia quædam adverſus homines, cujus proprium eſt, neminem offendere.. Plaut. Amph. Sed *pudicitiam* & *pudorem*, & ſedatam cupidinem. Varro II. de Vita populi Rom. Multo præditi pudore & pudicitia Adoleſcentes. Salluſt. Catil. *Pudorem*, *pudicitiam*, divina & humana promiſcua omnia. Id. de Rep. ordinanda: Ubi Divitiæ claræ habentur, ibi omnia vilia ſunt, fides, probitas, *pudor*, *pudicitia*. Lactant. H. *Pudorem* extinxit, *pudicitiam* flagitavit. Id. ib. Unuſque igitur, quantum poteſt, formet ſe ad *verecundiam*, *pudoremque* colat.

Qualis ſit differentia inter *pueritiam* atque *puerilitatem*, tradit doctiſſimus Seneca lib. I. Epiſt. IV. his verbis: Adhuc enim non pueritia in nobis, ſed quod eſt gravius, puerilitas remanet: & hoc quidem pejus eſt, quod auctoritatem habemus Senum, vitia puerorum: nec puerorum tantum, ſed Infantium. Illi levia, hi falſa formidant: Nos utraque. H.

Pugnat, qui reſiſtit, *oppugnat*, qui obſidet; *impugnat*, qui per omnia inimicus eſt. Itaque *pugnat* Exercitus; *Oppugnantur* caſtra vel urbes; *Impugnantur* Inimici. Corn. Fronto.

Pugno magis eſt & ſpecialius; *Certo* minus & generalius. H.

quibuſdam ſit poſitum. Vt autem *pudor* vultu proditur: ſic *pudicitia* animi, virtutum præceptis imbuti latebris continetur. Goclen.

Pulchritudo formæ in viris Dignitas . Unde Cic. pro Cæl. Quis non possit huic ætati, atque dignitati, etiamsi sine suspicione, at non sine argumento maledicere ? In fœminis autem *honestas* dicitur . Unde Ter. de horrido & sene Eunucho: Illumne obsecro, inhonestum hominem , senem , mulierem? Agr. *Formosus* vero in luxuriosis, ut : *formosum* pastor Corydon ardebat Alexin. Cic. ep. fam. 9. 14. Nihil virtute *formosius* , nihil *pulcrius*. Videntur *formosa* non posse dici, quæ sensu carent, aut quibus quasi sensus non tribuitur, ut, oratio, vestis, domus *formosæ* non dicantur, sed *pulcræ*, formosus tamen annus appellatur, ceu quædam quasi persona . Vavassor. antibarb. p. 532.

Pulsare est vehementi & crebro ictu tundere, ut fit pugnis, calcibus, malleis, saxis (1); *Verberare* est cædere verberibus . aut infligere plagas, quod fit Manu , Virga , Fuste , Flagello , Ferula , Loris, & similibus . Cic. Orat. I. in Verr. Lictores consistunt valentissimi , ad pulsandos verberandosque homines exercitatissimi . Jurisconsulti paulo aliter hæc Verba distinguunt in Lege Cornelia de Injuriis , quæ Actionem Injuriarum ei dat, qui se pulsatum verberatumque dicit , sic enim interpretatur Ulpianus l. 5. D. de Injur. *Verberare* est sine dolore; *Pulsare* cum dolore fieri dicitur. Quæ differentia , quantum ad illam Actionem Injuriarum attinet, vera & necessaria est. Nam qui per Contumeliam impulsu cubiti, aut manus alterum loco dejecit, aut qui pileum

(1) Conf. quæ supra ad p.... Titulum sunt adnotata.

leum capite excuſſit, hic injuriam fecit, nec tamen verbis Legis teneretur, niſi *pulſare* ſine dolore cædere interpretemur. In quo Valla fruſtra reprehendit Ulpianum, quem frivolis levibuſque rationibus tuentur Juris Interpretes, atque etiam Alexander Neapolitanus in Libris Genialium Dierum. Quanquam illi ipſi Juriſconſulti interdum hæc Verba confundunt. Ulp. ad Edict. 56. l. 4. D. Vi Bon. rap. Si cum Servum meum Titius *pulſaret*, turba fuerit collecta. Et mox: Ceterum ſi alia cauſa *verberandi* fuit, ceſſat actio.

Ant. Schorus in phraſ. p. 609. obſervavit diſcrimen ciceronianum *pulvini* ac *pulvinaris*. *Pulvinaria* erant deorum, *pulvini* hominum. Differunt etiam hoc, quod *pulvinaria* capiti dormituri ſupponebantur, in *pulvinis* autem veteres commodius cubabant vel ſedebant. v. Voſſii etymol. in pulvinar. De pulvinis ita Martial. III. 82. 6. 7. cubitiſque tradit hinc & inde convivas, effultus oſtro, ſericiſque pulvinis. Monet tamen Alſtorphius de lecticis vet. p. 32. contra Voſſium, ſe hanc differentiam apud antiquos non adcurata obſervatam reperiſſe.

Pumilio & *nanus* notant brevi corpore hominem paullulum ſupra terram exſtantem. Differre tamen in eo videntur, quod *pumilio* de reliquis animalibus dicatur, *nanus* non item. Plin. XI. 49. Pumilionum genus in omnibus animalibus eſt, atque etiam inter volucres. Dicitur tamen nanus, vox eſt græca ſecundum Gellium XIX. 13. etiam de equuleis, vel mulis humilioribus, conf. Geſn. theſ. v. *pumilio*.

Puniceus & *phœniceus* color differunt, ut ex Li-

Libanio ostendit Salmasius, atque eam ob causam Gellium reprehendit. *Color* enim *puniceus* exsuperantiam & splendorem ruboris ostendit *phœniceus* autem, qualis immaturæ palmulæ. Salmasius ad Solin. p. m. 935.

Punctum proprie in lineis est, *momentum* in tempore. Sed confunditur subinde hæc differentia.

Punire & *animadvertere* in aliquem distant. *Punire* est, si quis quocumque modo, sive jure sive etiam injuria malum pro malo alteri reddat, sed *animadvertere* est ejus, qui rite & ordine in alterum habet potestatem i. e. cum animadversione puniendi, v. Gesn. thes. v. animadverto.

Pupillus refertur ad tutorem, *orphanus* simpliciter quidem & sine adjunctione positum, ad defunctos parentes.

Puri, *probi*, *profani*, *sui*, *auri*, dicitur in manumissione, sacrorum causa: ex quibus *puri* significat, quod in usu spurcum non fuerit: *Probi*, quod recte excoctum purgatumque sit: *Profani*, quod sacrum non sit & quod omni religione solutum sit: *Sui*, quod alienum non sit. Fest. R.

Purpura & *conchylium* non eamdem rem denotant. Suet. Cal. 17. pueris ac feminis fascias *purpuræ* & *conchylii* distribuit. Plinius quoque IX. 36. purpuram a conchyliis aperte separat, & de purpura quidem haud mirandum dicit, tantopere ab omnibus expeti, cujus tam insignis & eximius color. De conchylis miratur, quod pretiosa & illa essent, quum tam male olerent, nec gratum haberent colorem. Differebant conchylia a purpuris solo tingendi temperamento. Plura dabit

bit Salmasius in not. Schildii ad Suet. l. c.

Differunt *purpureus* & *coccineus*. Brodæus misc. I. p. 14. Coccos qui tingendo est, inquit IV. Dioscor. cui nemo adversatur, surculosus, parvus frutex est, cui grana ceu lentes adjacent. His colorem coccineum fieri eoque infecta vestimenta coccinea appellari censeo. *Purpura* autem, ut fatentur omnes, piscis est e concharum genere, qui florem illum tingendis expetitum vestibus in mediis habet faucibus. Quæ quum ita res se habet, qui fieri potest, ut vestis purpurea a coccinea nihil differat? Scio tamen, Parrhasium, Garinum atque alios complures vestem eamdem credidisse ac litteris etiam mandasse, sed eorum auctoritas plus veritate valere non debet. Coccum diversum a purpura, clare intelligitur ex l. 70. §. 13. D. de legat. Purpuræ autem appellatione omnis generis purpuram contineri puto: sed coccum non continebitur. v. Gesn. thes. v. coccum, ubi ita: coccum nobile illud granum, quo efficitur ille laudatus color, coccineus acutissime rubens seu puniceus ex purpura etiam exsplendescens, sed explendescens, seu radians tantum e violaceo.

Putant (1), qui omni genere errant; *Suspicantur*, qui aliquo modo prævident. Fronto.

Putat dubitans; *Æstimat* ex natura rei; *Opinatur* opinioni suæ, vel alienæ credens; *Arbitratur* dubio fidem dans. H.

Pyrgus & *fritillus* differunt. *Pyrgus* erat tur-

 ris

(1) *Putare* est ejus, qui simplicitate pectoris aberravit. Donat. Cic. non putavit, lapsus est. R.

ris lignea, in modum modii facta, quæ in parte alveoli hærebat, in summo aperta & gradus intus excisos habens, in imo vero foramen, quo tesseræ effundebantur in tabulam. At *fritillus* erat pyxis, quæ manu tenebatur & movebatur cum tesseris, quæ inde in pyrgum mittebantur, ut per scamillos intus excisos, crebro subsaltantes, in tabulam demum exciderent. Salmasius exerc. plin. p. 50. Gesn. thes. v. *fritillus*. *Fritillus* in lusu aleæ est vasculum poculo simile, quo conjecti tali agitatique mittuntur in alveolum. Præstitit igitur eum usum, quem pyrgus seu turricula, obstitit fraudis eorum, qui argutis nimis digitis possent tesseras, prout e re esset, non tam jactare, quam ponere. Graphice hoc describit Sen. in ludo Claud. *Pyrgus* turricula est intus cochleatim structa, ut temere devoluti tali vel tesseræ suo motu intra prosiliant in alveolum seu forum. Porphyr. ad Horat. serm. II. 7. 17. pyrgum cum fritillo confundit, quando ait, pyrgum, quod nos fritillum dicimus, quo conjectæ tesseræ, agitatæque, mittuntur. Rectius dixisset, pyrgus idem præstat, quod fritillus. Plura hac de re legere cupientibus satisfaciet Senftlebius de alea p. 155. f. 167. seqq. qui errorem quoque Turnebi corrigit, cujus hæc sunt verba: Fritillus videtur fuisse vasculum longum, in quo mittebantur tesseræ, vel tali, vel calculi; pyrgus turris, per cujus altitudinem mittebantur in alveum. Calculos mitti solitos in fritillum, nemini persuadebit. Calculi enim in tabula dabantur, non vero mittebantur.

QUÆ-

Q.

QUÆRERE *aliquem*, *einen ſuchen*; *Quærere ab*, vel ex aliquo, *einen fragen*. H.

QUÆRERE & *petere* differunt. Nam qui *petit*, vult obtinere, qui *quærit*, vult ſcire vel invenire. Sic cum apud Plaut. aul. I. 2. 13. dicitur, quis ignem *quærere*, intelligendus eſt ignem reperire cupere, non petere, obtinere. Hanc differentiam doctis probaſſe peculiari oratione Pariſiis Lambinus gloriatus eſt, v. Taubm. ad Plauti l. c. De more veterum, ignem non ſemper domi ſuæ excitandi, ſed petendi plerumque a vicinis, quibus haud facile illum petendi negare licebat, uberius agit Rittershuſius ad Phædri verba: ignem ergo quærens aliquod luſtravit domos.

QUÆRIMONIA gravius, *querela* levius eſt. R.

QUÆRIT, qui ad plenum & perpetuum reponit: *Quæritat*, qui vix quotidie inquirendo victum invenit. Donat. *Quærimus* diſciplinam; *Inquirimus*, de quo dubitamus; *Deſideramus*, vel quod diligimus, vel quod amiſimus. Fronto. *Quærimus* inquirentes; *Querimur* deplorantes. *Quærimus* lucrum; *Querimur* lacrymis; *Requirimus*, dum diu quærimus. Afranius in Fratriis & Fratribus p. 50. Proin tutum quæram, ne requiram te vide.

QUÆSTOR eſt, qui quæſturam gerit (1); *Quæſtorius*, qui *quæſtor* fuit, quem poſterior Ætas ex quæſtore vocat, ut ex conſule, ex præfecto; *Proquæſtor*, qui mortuo, vel abſente quæſtore ejus

 mu-

(1) *Quæſtoris* urbani Partes quænam ſint, tradit Briſſonius lib. II. de Form. p. 252.

munere fungitur.. Cic. II. Verr. De Verre, qui mortuo Malleolo quæstore, statim proquæstore jussus est esse. Similiter differunt Consul & consularis, prætor & prætorius. Sed Pro-Consul dicebatur, qui post gestum Consulatum anno insequenti in Provincia eodem summo cum Imperio mittebatur; Proprætor autem, qui ex prætura provinciam obtinebat. Unde Provinciæ aliæ Consulares, aliæ Prætoriæ vocabantur. Etsi interdum proprætor significat eum, qui absente Duce vicario munere Exercitui præerat. Nam Prætor appellabatur etiam is, qui Exercitum ducebat. Sic, scribente Sallustio, Syllam legatum Marius Consul in expeditionem proficiscens proprætore reliquerat, & Albinus consul, Aulo fratre in castris proprætore relicto, Romam decessit.

QUANDO, acuta prima syllaba interrogationem temporis significat, ut: *quando* erit illa dies? sed si posterior gravetur, significat quoniam, vel quandoquidem, Virg. *quando* tot stragis acervos Teucrorum, tua dextra dedit. R.

QUANTUMVIS & *quantivis* differunt, alterum contemtionis, alterum laudis. Donat. R.

QUARTO locum significat, & tres ante factos. *Quartum* tempus denotat, & ter ante factum. Similiter distant Tertium, Quintum, Sextum, & Tertio, Quinto, Sexto.. Legatur Nonius Marcellus de Proprietate Sermonis fol. 211. fac. a. Ennius VIII. Annal. Quintus Pater *quartum* fit Consul. Sed hanc differentiam, quam Varro & Gellius tradiderunt, non observant veteres Auctores. Nam & Gellius in Historiis dixit: Tertio & *quarto* Cos. & Quadrigarius lib. XIX. Annal. C. Marius

rius creatus septimo Consul. Item Inriptio Romana: P. Decius P. Decii. F. Prin Cos. De Samnitibus Triumphans Spolia Ex Hisereri Consecravit Iterum Et Tertio Cos. Nec t ulla ratio, cur magis differant *quartum* & *qrto*, quam primum & primo, postremum & posmo: quæ promiscue & indifferenter dici notissimm est.

Quatenus significat qua fine, quousque, ut hactenus hac fine; *quatinus* vero sigficat quoniam, quia, ut tradunt Festus & Victoius. Quæ differentia arguta magis est, quam ver. Nam ut jam ante monui, una eademque vox ropter diversas significationes non debet variescribi, & fuit alioqui Veteribus usitata commutati litterarum E & I, de qua dixi Libro primo de su antiquæ Locutionis. Ut non sit dubium, mihi iidem, antiquissimos in utraque significatione indistincte scripsisse *quatenus* & *quatinus*. Sed pris significationis usus tritissimus est; posterioriexemplum suppeditat Hor. III. Carm. Od. XX. v. 30. seq. ubi Editio Cruquiana & Thomæ reteri Index legunt inprimis *quatinus*: *Quatinus* heu! nefas). Virtutem incolumem odimus. EI. Serm. Satyr. III. v. 76. seq. conf. II. Serm Sat. IV. v. 57. Denique *quatinus* excidi penitus vitium iræ, cetera item nequeunt. Sueton. in Cud. Confirmavitque *quatinus* matrimonia sibi ale cederent, mansurum se in cœlibatu. Plin. I. Epist. Et *quatenus* nobis denegatur diu vivere relinquamus aliquid, quo nos vixisse testemur. ven. Sat. XII. v. 102. *Quatenus* hic non sunt, re venales Elephanti.

Quatio est violenter, commovendo at pulsando

do tremefaci, & agito, vel impello ; *quasso* est in varias p[ar]tes jacio, vel moveo cum magna indignatione [ma]gnoque vehementia, quod gravius & violentius es[t] quam *quatio*. Liv. Carthaginis mœnia nunc *q[ua]tit* ariete. Plaut. in Trin. Quid *quassas* cap[ut] ? Hinc *quassata*, quæ disjecta & fracta defer[u]nt. Virg. I. Æn. verf. 555. ubi Paulus Ma[n]ius in Editione Plantiniano Antuerpiana pro [su]bducere, in terram trahere rectissime in ma[ch]ine subftituit : *Quassatam* ventis liceat subduc[er]e classem. Liv. *Quassata* muri reficere.

QUERIMO[N]IA certæ rei est : *Querela* supervacua est. Itaque [p]rior gravitatis est ; posterior levitatis : brevite[r] *Querela* est querimonia levior ; *querimonia* aut[em] *querela* gravior. Front.

QUIA ca[usa]m reddit plerumque & respicit quare. *Quoni[am]* plerumque rei statum aut conditionem decla[rat], & est idem quod siquidem, quando, quand[o]quidem. Nec desunt loca veterum, ubi quia pro q[uo]niam, & v. v. quoniam pro quia ponitur.

QUIDAM [n]otat Rem certam ; *Quispiam* vel *aliquis* incert[a]m & vagam. Gocl. Sed hæc differentia non se[m]per ita vera est, ut flagitiosum sit, contra fec[e].

QUILIBE[T] non universale, sed indefinitum est. Universale autem est *unusquisque* sed *quisque* indefinitum [ej]usmodi, quod distributive sumitur.

QUIETU[S] & *placidus* non nihil differunt. Phæd. II. fab. 7 Comes *quieto* sequitur & *placido* gradu. Infi[ni]ta docent exempla, hæc duo vocabula non plane eamdem vim habere, Virg. Æn. V. 848.

843. Valer. Max. VI. 3. Sen. de provid. II. id. ep. VII. id. IV. quæst. nat. 2. id. de ira, I. 1. Apul. de deo Socr. Virg. V. 836. IX. 107. placidam quietem dixit. Denique ex oppositione apud Phædrum l. c. differentia rectius intelligitur. Nam placido gradu opponitur τοις celsa cervice eminens, quieto τοις jactans collo tintinnabulum, v. Burmanni notæ ad Phædr. l. c.

Quis infinitum ad unum refertur, ut Cic. Si *quem* tuorum Fidelium voles ad me mittere. *Quisquis* vero, vel *quicunque* ad universos confuse dicitur. Similiter *quot* certum desiderat Numerum; *Quotquot* vel *quotcunque* omnes denotat, ut observavit Priscianus.

Quis & *quid* Interrogativa sunt; *Qui* & *quod* Relativa, *quidquid* & *quodcunque* indefinita. H.

Quot de discretis; *Quantum* de Substantia. H.

Quotannis & *quotidie* Tempus continuatum significat: In singulos Annos, & in Dies singulos, Tempus interruptum, per intervalla Annorum & Dierum, seu quotannis fere est continuum; Singulis annis intervallum. Sic quotidie est continuum; Singulis diebus est intervallum. Cic. ad Attic. *Quotidie*, vel potius in *Dies singulos* breviores litteras ad te mitto. Ulp. ad Sabinum 23. leg. 13. D. de Tritico l. 17. D. de Annuis. Hæres meus amphoras decem *quotannis* in *annos singulos* dato. Labeo lib. II. Posterior. Vini Falerni, quod domi nasceretur, *quotannis in omnes singulos* binos culleos Hæres meus Accio dato.

Quotus interrogat; *Quotusquisque* paucitatem simul infert. H.

R.

RACEMI ſunt Uvæ minores, & exilioribus granis, qui plerumque a Vindemiatoribus ſub pampino latentes fallenteſque relicti poſt colliguntur. *Uvæ* ſunt majores, ac craſsioribus acinis, ideoque *Uvæ* plenæ ſunt ſuavi uxore, qui in Uvis paſsis & paſſulis inſiccatur. Plin. III. 3. Quando non *Racemos*, ſed *Uvas* alias gignunt.

RADERE & *tondere* non ſunt eadem. Suet. Cæſ. XLV. circa corporis curam moroſior, ut non ſolum *tonderetur* diligenter ac *raderetur*, ſed velleretur etiam Aug. 79. Nempe *radendo* auferuntur ab imo pili novacula, ad *tondendum* forſex ſufficit. Martial. II. ep. 17. Non *tondet*, inquis? ergo quid facit? *radit*. Diſtinguunt etiam ita, ut *tondeo* de homine, & pecore dicatur, *radere* numquam de pecore.

RAPI dicebantur res mobiles. Immobiles non *rapi* ſed *invadi* dicebantur. R.

RAPTIO ad Perſonam refertur; *Rapina* petulantiæ & ad Rem, *raptus* ad perſonam, ſtuprum proprie. *Præda* ad victoriam.

RASORES diverſi ſunt a *cœlatoribus* & *tornatoribus*. Diſtinguit eos Theophraſtus. *Tornatores* exſculpunt & inſculpunt ligna, non vice verſa tornant ſculptores; præterea ſtrias & ſulcos in ligno tornatili facere poſſunt tornatores, figuras & ſigilla torno exprimere nullo modo queunt. Radunt utrique, tam tornatores, quam cælatores. Τορνευταὶ dici etiam poſſunt γλυπταὶ, non tamen e contrario γλυπταὶ dici poſſunt τορνευταί.

Diſtant *raſtrum* & *rutrum*. Varro de L.L.IV.31.

Ra-

Rastri sunt, quibus dentalibus peritus eradunt terram, atque eruunt, a quo & rutabri dicti. Dentati igitur *rastri*, & sane a radendo dicti. Cato II. oportet habere villicum palas sex, rutra quatuor, rastros quadridentes quatuor. Ergo aliud rastrum; aliud rutrum. Ennius: Rastros dentifabres capsit agni poliendi. Rastri eradendæ potius & poliendæ terræ, quam fodiendæ & eruendæ facti, cui rei rutrum inserviebat, v. Salmasii exerc. plin. p.365.

Rastri sunt, quibus dentalibus penitus eradunt terras atque eruunt. *Rastelli* vero, quibus in pratis fœni secta abradunt, quo abrasu rastelli dicuntur. Anton. in Virg. Georg. 1. R.

Ratio distinguendi gratia appellatur ea, quæ affertur a reo, ad recusandum depellendi criminis causa: quæ nisi esset, quid defenderet, non haberet. *Firmamentum* autem, quod contra ad labefactandam rationem refertur, sine quo accusatio stare non potest. Cic. in Partit. Orator. R.

Recidiva sunt, quæ ex suo casu restituta eodem modo & genere seu post interitum redeunt, & quasi retro, seu iterum in aliquid cadunt, ut recidivas febres dixit Plinius. Virg. VII. Æn.322. & X. 58. Recidiva pergama; Tertull. Reciprocarum Frugum & uvidorum Elementorum, & recidivi Anni fidem argumentantur. Arnob. IV. Quidquid prior ætas abstulisset, recidiva substitutio denegaret; *Rediviva* autem sunt, quæ ex vetustis renovantur; & quasi in vitam nova adsumta forma, denuo revocantur, seu suo casu restituuntur, ut Redivivus Lapis, qui ex vetere in novum Ædificium translatus de integro politur. Cic. I. Verr. Minus operis esse unam columnam reficere

ab

ab integro novam, nullo Lapide redivivo, an quatuor illas reponere. Id. ib. Rediviva sibi habeto.

Recipere & *suscipere* eo differunt, quod *suscipitur* totum, *recipitur* pars: Et *Suscipitur* id, quod principale est, *recipitur*, quod hinc pendet (1). Denique *suscipitur* solum aliquid propter se; *recipitur* etiam propter aliud, ut notat Asconius Pædianus. *Recipimus* aliquid rogati, *Suscipimus* sponte. Agr. Sed poterat etiam hoc discrimen dare, verba sunt cel. Gesneri in thes. v. suscipio, *recipiuntur* delata, *suscipitur* aliquid ultro, quod forte in locum Ciceronis, ego in hoc judicio mihi Siculorum causam receptam, populi Romani susceptam esse arbitror, optime convenit.

Recipio quod habui; *Suscipit*, qui, quod non habet, sponte accipit. H.

Recipere (2) aut *promittere* amplius quippiam significare, quam *Polliceri*, argumento est, quod Cicero inquit: De Æstate polliceris, vel potius recipis. *Recipere* enim est, quasi periculum & eventum rei suscipere in se. Vid. Goclenius cit. p. 246. H.

Recitant proprie, qui de scripto legunt, *Pronuciant*, qui memoriter dicunt. *Recitant* eruditi in cœtu amicorum, *pronunciant*, qui aliquid pro auctoritate dicunt, notatu dignum.

Re-

(1) *Recipere* & *suscipere*. Cicero in Divinat. Ego in hoc judicio mihi siculorum causam receptam, populi Romani susceptam esse arbitror. R.

(2) *Recipere* plus est, quam promittere. Cic. lib. 13. Epist. 28. & lib. 5. Epist. 8. Qui enim in se recipit, præstaturum se promittit. Et lib. 13. Epist. 41. dixit: confirmo & spondeo. R.

Recta Loca dicuntur, quæ absq́e ullis anfractibus surgunt in altum, vel in longitudinem extenduntur; *Porrecta* sunt plana & patentia; Ita Recti Montes, Rectæ Turres, Porrecti Campi: Cæs. II. de B. G. Porrecta ac Loca aperta Id. VI. Rectaque Fluminis Danubii regione Horat. I. epist. *6.* ad Mæcenatem 41. seq. Non est aptus equis Ithacæ locus, ut neque planis porrectus spatiis. Minut. Fel. in Octav. Qui loquar apte disposita recta Montium, Collium flexa, porrecta Camporum.

Recusare est denegare; *Accusare* est culpare Pares & Inferiores; *Incusare* est culpare Superiores; *Excusare* est culpam dimovere H.

Redditur nobis, quod nostri cupidum est, *restituitur* nobis, cujus cupidi sumus. *Restituimur* iis, quibus nos volumus, *reddimur* iis, qui nos volunt. Donat. R. *Reddere* est acceptum & ablatum, vel abductum retro dare; *Reddere* nonnunquam & pro solvere atque dare capi, Gifanius loc. sæpissime alleg. est auctor p. 211. & quidem præeuntibus Plauto, Cicerone, atque Horatio. *Restituere* vero est amissa & alienata, aut immutata, ad priorem Dominum atque Statum pristinum reducere. Ter. Eun. Præterea ut suis *restituam* ac *reddam*, id est, ut Virginem servam in Libertatem restituam, & abductam reddam. Cic. pro Flacco: *Reddat* misero Patri filiam. Id. pro Domo: Lucem Salutemque *redditam* sibi ac *restitutam* accipere debuit. Gellius III. Captivosque omnes, quos tum habuerit, *restituisset*, & *reddidisset*. Sed ἀκρίβεια non usquequaque observatur.

Reditus & *reversio* non sunt synonyma. Est enim

enim *reditu* ejus, qui, quo ſtatuerat, pervenit, *reverſio* autem ejus, quem ex itinere cauſa aliqua revocat & ducit ad eumdem locum, unde a principio diſceſſat. Quod Ciceroni in Græciam proficiſcenti cotigiſſe oſtendunt ea, quæ in Orat. Phil. I. 3. narantur. Propterea, cum hac ipſa de re ad Att. XVI. 7. ſcriberet, Dii immortales, inquit, quam valde ille reditu, vel potius reverſione mea lætus. Itaque Cic. Or. Phil. I. 1. exponam vobis breviter conſilium & profectionis, & reverſionis meæ, proprie loquitur, quia reverſio illa potius quam reditus. Non enim in Græciam Cicero pervenit. Interdum tamen confunduntur, & reverſio capitur pro reditu, ut L. II. de Fin. Vt omnium ſierum eodem, unde profecta ſunt, fiat ad unum tempus reverſio. Reditus autem pro reverſione. Cic. Phil. I. 4. Tum vero tanta ſum cupiditate incenſus ad reditum, & Phil. II. 30. Qui vero Narbone reditus? Non dicit, quæ Narbone reverſio, cum tamen reverſio illa potius Antonii fuerit, quam reditus, profectus enim ab urbe, ut in Hiſpaniam iret, Narbone dies aliquot manſit, deinde mutato conſilio Romam revertit. v. Manut. ad Cic. Phil. I. 11. Quin Cicero Phil. II. 30. ſibi ipſi mox reditum, mox reverſionem tribuit. Et tamen quærebat, cur ego ex ipſo curſu tam ſubito revertiſſem. Expoſui nuper cauſas reditus mei. Nam quod quærebas, quomodo rediiſſem? Attigit hoc diſcrimen etiam Geſn. in theſ. v. reverſio. Qui regreditur ante, quam eo perveniat, ubi animum intenderat, is non redire dicitur, ſed reverti, redire autem, qui cœptum iter abſolvit.

Reddo, quod prius habui; *Trado*, quod non fuit in poteſtate alicujus. H. Redditur quid ei, a quo prius datum fuit, traditur autem ab eo, in cujus poteſt, ei, in cujus poteſtate non eſt. Goclen. R.

Refellit, qui negat, *purgat*, qui fatetur & ſic defendit. *Refellimus* per conjecturam, *purgamus* per ceteros ſtatus. Donat. R.

Referre reſpicit ſimplicem narrationem, *exponere* addit omnes ac ſingulas circumſtantias, *explicare* uberius interpretatur & illuſtrat.

Refutatio in rem eſt, *Confutatio* in perſonam. Donat. R.

Regium, quod Regis, ut, regia Domus, vel Aula ſive Veſtis regia, *Regale*, quod Rege dignum eſt. Fronto.

Regnum eſt, cui Rex, & quidem cum Regiis inſignibus præeſt, *dominatus*, ubi unus imperat, ceteri ſervi ſunt, *principatus* eſt ſtatus monarchicus quidem, ſed qui cum dominatu libertatem miſcet.

Inter *regulam*, *perpendiculum* & *normam* Vitruv. VII. 3. ita diſtinguit, longitudines ad regulam & lineam, altitudines ad perpendiculum, anguli ad normam exigantur, v. Figul. ad Hor. carm. II. Op. 15. Plura v. in Geſn. theſ. voc. perpendiculum.

Relegatus jus civitatis retinebat, certo loco concludebatur, aut urbe, provincia, aliove loco prohibebatur ad tempus vel in perpetuum, & tamen omnia jura ſua & bona, præterquam ſi quædam bonorum pars ademta fuerat, ſervabat integra. *Exul* jus civitatis amittebat, in perpetuum vel

vel ablegabatur in insulam, quam princeps adsignarat; vel extra Italiæ fines ad socios transire jubebatur, & omnia jura sua & bona, quæ publicabantur, amittebat. Differunt ita ut minus & majus.

Religio est cultura Dei; *Superstitio* (1) vero est cælestium & divinarum rerum, quæ super nos stant, inani & superfluus Timor. Cic. II. de Nat. Deor. Non enim Philosophi solum, verum etiam Majores nostri *Superstitionem* a *Religione* separarunt. Nam qui tota die precabantur & immolabant, ut sibi sui liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati, quod Nomen patuit postea latius. Qui autem omnia, quæ ad cultum Deorum pertinerent, diligenter retractarent, & quasi relegerent, dicti sunt Religiosi ex relegendo. Leg. Oliverii Arzignanens. Commentar. Histor. & Litter. ad Val. Maximi Lib. I. cap. 1. fol. 2. fac. b. Cic. in Partit. Orat. Fortitudinem Audacia imitatur, & *Religionem Superstitio*. Frequenter tamen Religio pro superstitione, id est, inani timore ac sollicitudine usurpatur a Varrone; Cicerone, Virgilio, & aliis, quorum Testimonia exstant apud Nonium. Hinc Religiosum a Superstitioso Varro in Libris Rerum Divinarum ita discernit, ut a Superstitioso dicat timeri Deos; a Religioso autem tantum vereri, ut parentes, non ut hostes timeri.

Pro

(1) Sed vero superstitiosi proprietatem ex hoc habent, quod præ cultura Deorum supersedeant cetera, id est negligant. Itidem & religiosi quasi religosi, omnium ceterorum sacrificiis serviant. Non. R.

Pro *religione* ponitur apud auctores *formido*. Sil. I. 81. 82. Urbe fuit media sacrum genetricis Elissæ manibus, & patria Tyriis formidine cultum. Distinxit autem Curt. IV. 10. 2. ita: sollicitisque sub ipsum tanti discriminis casum ingens *religio*, & ex ea *formido* quædam incussa est. *Religio*, notante Pitisco, ad h. l. est horror, quem res divinæ, & vim humanam superantes nobis infligunt, quo fit, ut quasi constricti teneamur, nec animi mentem quoquam convertere audeamus. Inde religionem objicere Plauto Merc. II. 5. 40. est, deorum metu, aut religione negotium alicujus rei impedire. *Formidinem* Cic. tusc. IV. 8. definit, esse metum permanentem.

Religio est erga Deum; *Pietas* in Deum atque in parentes, patronum, patriam simul. Goclen. H. Sed non est perpetuum hoc.

Relinquimus lubentes; *Deserimus* inviti: Et: *Relinquimus* aliquid, quod in loco relicto manet; *Deserimus* etiam locum, ubi nihil manet. H.

Reliqui, sunt relicti; *Ceteri*, quos nescimus. H.

Remedium, ne periclitemur, datur. *Medicamentum* ad subita pericula aptatur. Atque ita remedium submovet imminentia, medicamentum sanat non sana. Front.

Remotum est, quod longe abest; *Semotum*, quod seorsum positum est. Lucr. V. de R. N. *Remota* e nostris rebus *semotaque* longe. Id. IV. Tempore semotum fuerit, longeque remotum.

Renovare & *redintegrare* distant. Cic. ad Herenn. II. 30. Enumeratio est, per quam colligimus & commonemus, quibus de rebus verba fece-

rimus breviter, ut *renovetur*, non *redintegretur* oratio. Longol. ad h. l. *Removantur* ædes, quæ longa vetustate propemodum absumtæ restaurantur. *Redintegrantur* vero, quæ penitus collapsæ omnino novæ fiunt. Sic & oratio *renovatur*, quæ propemodum in oblivionem veniens ad memoriam revocatur; *redintegratur* vero, cujus omnino obliti tamquam ab integro novam audimus.

RENUNCIARE muneri, vel hospitio, est recusare; *Renunciare Consulem* est declarare. H.

REPRIMERE est ad tempus; *Comprimere* in perpetuum. Ideoque *comprimi* plus est, quam *reprimi*, id est, quam refrenari & leniri. Goclen. H.

RES diversæ sunt a *rationibus*. Nam *rationes* sunt ipsa nomina, & quidquid in tabulis refertur. *Res* sunt ipsa corpora, ut pecunia, merces, penus. Itaque separantur Plaut. Amph. Prol. v.4. Pseud. 2. 2. v.31. & apud Cic. pro Quinto. R.

RESCISCUNT, ad quos pertinent & qui nesciunt, *sciunt*, qui negligunt. *Rescíscimus* ex alio, *scimus* etiam per nostram opinationem. Donat. R.

RESPONDEMUS proprie præsenti, *rescribimus* absenti. Seneca Epist. 62. Sic afficior animo tamquam tibi non rescribam, sed respondeam. Vid. Cujac. lib. XII. Observ. cap. 8. R.

RESTIARIUS est, qui facit Restes h. e. Vincula e Cannabe, vel Stupa, omni fune minora. Quæ autem sunt facta o Vimine, Germanis *Wieten* dicuntur. *Restio*, qui vendit, ut tradit Fronto. Sed meo judicio non recte. Nam *restiarius* est, ut Lintearius, qui restes vendit, ex eaque re quæstum facit; *Restio* est, ut Linteo, Pellio, qui restes intorquet & nectit, alter Græcis dicitur

tur σχοινοπώλης, alter σχοινοπλόκος, sive καλωστρόφος, ut Plutarchus in Augusto dixit. Glossarium σχοινοπλοκος resticularius, restio. Suet. Aug. Libertinum ei Proavum exprobrat restionem.

Restituimur iis, quibus nos volumus; *Redimur* iis, qui nos volunt (1). *Restituimus* volentem; *Reddimus* Volentibus; *Restituitur* cupiens; *redditur* & *restituitur* cupiens cupientibus, Donatus.

Resto & *resisto* ita differunt, ut *Obsto* & *Obsisto*, de quibus supra; etsi non perpetua est hæc Differentia; & interdum resto pro resisto sumitur. Enn. VII. Annal. Illurici *restant* sicis sibynisque fodentes. Sallust. I. Historiar. Urbem multos *restantem* pugnando vicit. Ovid. II. Fast. Postmodo victa cædes, melioribus Ardea *restas*. Propert. III, Eleg. VII. v. 81. ubi utraque Tuscanellæana Editio & Basileensis & Hanoviensis, pro Dum fugiunt Troes, etiam non incommode heic legit; Dum vincunt Danai: Dura fugiunt Troes, dum *restat* Barbarus Hector.

Retia & *plagæ* differunt. Cic. Verr. V. 58. in illas tibi majores *plagas* incidendum est. Nannius ita: Virg. IV. Æn. 131. Retia rara plagas, ubi Servius: Multi dividunt, ut sint *retia* majora, *plagas* minora intelligamus. Alii plagas per definitionem accipiunt. Sciendum tamen, proprie plagas dici funes illos, quibus retia tennuntur circa imam & summam partem. Gel. Gesn. voce plagæ: Dicuntur ita retia rariora, ad capiendas feras.

Reum *facere* est in Judicio legibus interrogare de

(1) Conf. jam, quæ paulo ante sub reddere Tit. sunt dicta.

de Crimine, de quo postulatum est; *Reum agere* (1) est accusare, & actionem prosequi: Leg. Schardii Lexicon Juridic. p. 819. col. a. Nam primum postulabat Actor a Prætore, ut Accusare liceret, quo impetrato, Nomen deferebat: postremo accusabat. Cœlius ad Ciceronem: Cn. Domitium Reum fecit. Idem: Illud mihi occurrit, quod inter Postulationem & Nominis Delationem Uxor a Dolabella discessit. Valer. Maximus lib. VI. M. Anton. Avorum nostrorum temporibus clarissimus Orator, incesti Reus agebatur. Id. l. 8. Flavius a C. Valerio Ædile apud Populum Reus Actus. Sed hæc fere confunduntur, sicut & Postulare & Accusare.

Reus *stipulando* est idem, qui stipulatur: *Reus promittendo* est, qui suo nomine alteri quid promisit, quive pro altero quid promisit. Fest. R.

Rheda sæpe generalius vehiculum, sæpe specialius denotat. Si specialius & peculiare, differt a *cisio*. Casaubonus in Suet. Jul. 57. *Rheda* quatuor rotas habebat, ut *cisium* duas. Distabat etiam *reheda* a *petorito*, de quo docet Ausonius ep. 8. atque aliis. Non probat Schefferus de Re Vehic. II. 30. p. 342. quod idem habet Casaub. ad Jul. 58. de rheda verba faciens; quemadmodum hoc genus vehiculi a rotarum numero τετρχκυκλου nomen invenit, sic apud vetustissimos æoles ab eodem numero πετορριτον dictum. Πετοριτον est petoritum, a quo non semel rhedam distinguit Auso-

(1) *Reum* agi est accusari, vel secundum leges interrogari, Reum peragi vero est condemnari, Parrhas. ad Cic. pro Milone. R.

sonius, qui & ipse gallus fuit, & gallica vehicula optime nosse debuit. De *cisio* Schefferus de re vehic. sigillatim agit II. 18. de petorito, 26.

RHETORICE est Ars bene dicendi circa Orationem ad persuadendum idonea. Unde *rhetorice* aliquid dicere est graviter; splendide, magnifice; vehementer, ac copiose aliquid dicere. *Dialectica* autem est recte disserendi scientia circa Orationem, quæ interrogatione & respon one consistit. Hæc Diogen. Laertius in Vita Zenonis lib. 462. ubi verba Græca sunt videnda. H.

RIDET, qui simpliciter ridet, *deridet*, qui alterius irrisione & contemtu ridet. Donat. R.

RIPÆ proprie Fluminum sunt, dictæ a ῥιπῇ, quod impetum Ventorum, vel Aquarum, quem sustinet ripa, denotat. *Littora* Maris, ut, Ovid. Pro ripis Littora pulsant.

RIXAM & *Turbam* multum differre, Labeo ait. Nam *Turbam* multitudinis hominum esse turbationem & Cœtum; *Rixam* etiam Duorum: Vid. Valla lib. VI. Elegantiar. cap. 61. p. 479. Ceterum Turba in Turbam concitata acceptat turbida consilia, turbatque seipsam & alios. Sicut & cuilibet Turbulento quietem interturbare, Negotia perturbare, Bonos conturbare, sed & sibi tandem turbulenter agenti pœnam arcessere facile est. Nam ut Res turbatæ tranquillentur, necesse est, Turbatorem proturbari, hoc est, de Statu deturbari, Complices ejus disturbari, aliquando & Patria exturbari. Tu si vivere optas imperturbatus, vive quietus. Comenius. Unde Edicto Prætoris de Damno, quod in Turba datum est, in Turba factum interpretatur Ulpianus l. 4. D. quod decem aut

 quin-

quindecim hominibus coactis factum est. Ego hoc amplius interesse puto, quod Rixa levis Verborum velitatio est, Turba multitudinis (commotio, seu) concursu vel concertatio, & pugna. Cicero in Verrem: Ecce autem nova Turba atque Rixa. Livius: Concursu hominum Ruxa, ac prope prælium fuit. *Rixa* sive Armis est, & habet Defensionem; *Pugna* Legem habet vel naturalem, vel moralem. Palæstrans enim vel exhibet Virtutem, vel Armis per sua Vitæ pericula dimicat. Corn. Fronto.

ROBUSTUM corpore; sed dices pectore *Fortem*. R.

ROGARE minus est, *Orare* plus. Asconius in Cicero Divinat. Rogare ut homines, orare ut Deos. R.

ROGATIONES sunt leges. Rogationes sunt, si Proconsules provincias sicut priore anno eas tenebant, obtinere jubebantur, quoniam per modum rogationis ad populum ut leges ipsæ fieri debebant. Livius VIII. 26. R.

ROSEUM per se; seu quod rosarum qualitates exhibet, *rosaceum* mixtum, seu ex rosis confectum. Sic Rosaceas Corollas quærimus apud Virgines; Roseam autem Fragrantiam in talibus Corollis. Fronto.

ROSTRUM non est, nisi quod incurvum est. Agr. R.

RUBER color non idem est cum *rufo*. Brodæus in misc. Alciatum reprehendit, quod in parergis colorem rubrum cum rufo confudit. Brodæus existimat, ita distingui oportere, ut *rubrum* natura sanguinem esse, *rufum*, v. c. saxonem aut britannum

num dicant. *Rufos* capillos, rufam barbam germanos quosdam habere, non rubram. Decepit Alciatum vernacula lingua, siquidem itali tam rubrum quam rufum rossum promiscue vocant. Nec inficiatur tamen Brodæus, quosdam rubros & rubicundos posse dici. De rubro & rufo colore sigillatim agit Gellius II. 26. ubi Favorinus: russeus color & ruber nihil a colore rufi differunt.

Ruber color simplex atque nativus est; *Rubeus* sive *Robeus* mistus & concretus ex Rubro & Albo paululum virenti, ut in Melle, & in Moris maturescentibus: ita dictus, quia ex Rubiæ Herbæ radice, quam ἐρυροδάνον Græci appellant, in tinctoriis Officinis conficiatur; *Rubidus* vero est rufus, nigrore multo infuscatus, forte a Rubi fructu dictus. Plautus: Exiguam bucellam rubidi panis. Varro II. de R. R. Colore potissimum nigro, dein rubeo, tertio heluo, quarto albo. Vetus inscriptio: Omnibus Annis Vitulo Robeo & Verre.

Rudis & *missio gladiatorum* differebant olim. *Missio* enim victo, *rudis* victori tribuebatur, *hujus* perpetuus, *illius* in eum tantum diem erat effectus, Mart. XII. ep. 29. Lipsius saturn. serm. p. 114.

Rumor tumultuatur; *Fama* indicat; *Opinio* reddit suspectum. H.

Rura dicebant silvas & pascua, *Agrum* vero eum, qui colitur. Serv. R.

Rurare & *rusticari* a nonnullis confunduntur. *Rurare* est ruri agere, & opus facere, seu rus colere, sicut arare aruum colere. Varro apud Non. II.

II. 731. dum in agro ſtudioſus furor, i. e. agrum colo. Sed aliud plane quid notat *ruſticari*, quod & Scipio Gentilis monuit. Significat nimirum iſthoc verbum ruri agere, degere, ſine labore ruſtico. Conf. Taubmann. ad Plaut. Capt. I. 1. 241.

RURSUS repetit ſine reſpectu numeri & ordinis, *iterum* primam repetitionem reſpicit.

RURSUM proprie retro: *Prorſum* ante ſignificat. Donat. R.

S.

SACRUM (1) eſt venerandum & execrandum. Virg. auri ſacra fames. Agræt. R. eſt, quod pu-

(1) Apta inter *ſacrum* & *ſanctum* videtur diſtinctio. Quod illud olim *ſacrum* fuerit dictum, quod publica auctoritate augurum ope ſit conſtitutum; illudque a pontifice Deo mancipatum, teſtatur Alexander ab Alexandro (a); *ſanctum* vero, quod tam pœnali lege ab hominum injuria ſit munitum (b), tum in ſacris ædibus, quod ad divinum cultum, atque ſacra obeunda a pontifice erat

(a) L. VI. c. 14. p. 923. Sacra erant divino cultui mancipata. Ait enim Trebatius; quidquid Deorum ergo habetur ſive ædes ſive aræ, vel ſignum, locus, aut pecunia, ſive quidquid aliud more inſtitutoque civitatis rite Diis conſecratum foret. Et iterum, quod publica auctoritate Deo rite conſecratum eſt; ſacra dicitur ædes, ara, lucus, &c. ſacra ſunt ſollemnia, quæ Diis fiebant, feſta, & ſacrificia. De ſacris edicebat collegium pontificum.

(b) Id. loc. alleg. Sancta vero dicuntur loca, quæ ſacrata legibus, plebiſcitiſve ſancita, pœnis adjectis inviolata manent. -- Itaque muri & mœnia civitatum, quod illa tranſgredi non liceat, -- auguſta & ſancta dicta ſunt, ideo illibata juris ſanctione defenduntur, leges quoque eo, quia non debent pœnæ ſanctione corrumpi, ſanctæ dicunt. Et iterum ſanctum, quod ab injuria hominum defenſum eſt atque munitum.

publica auctoritate Deo rite (nuncupatum, seu devotum, atque) consecratum est, ut *Sacri* Luci, Montes, *Sacra* Templa, Ornamenta, Certamina & alia, quæ publico civitatis Instituto, aut permissu Principis Deo dedicata fuerunt; *Sanctum* (l. 8. D. de Rer. Divis.) est, quod sanctione quædam & Præcepto firmatum, & ab injuria Hominum munitum est; quasi sanguine consecratum, & propterea inviolabiliter statutum, etsi non sit Deo consecratum, ut *sancti* Muri & Portæ, quæ sine nefario scelere non violantur; *sancti* Legati, quibus noceri non debet, *sanctæ* Leges, quæ certam pœnam constituunt & sanciunt in eos, qui præ-

ce erat publica auctoritate constitutum. Habes enim ædes, ut Vestæ, ad cultum deorum institutas, non sacras, quas nulla augurum religio tangebat, & loca, quæ sacra per augures declarata, quod sacris obeundis non patebant, non sancta. Curia enim Hostilia templum est, & *sanctum* non est, Varro l. VI. p. 48. Progressu tamen temporis latinis scriptoribus non ubique usurpatam fuisse hanc distinctionem, illudque jam Varronis ævo eruditissimi viri adnotarunt (c). Martianus ICtus l. 6. §. 3. ff. de D. R. & post eum imperator sacratissimus §. 8. I. de R. D. sacras res esse statuit, quæ rite per pontifices Deo consecratæ sunt, veluti, ædes sacræ, & donaria, quæ rite ad ministerium Dei dicata sunt, hincque locum, in quo ædes sacræ sunt ædificatæ, etiam diruto ædificio sacrum adhuc manere. Sanctum vero jurisconsultus adserit, quod ab injuria hominum defensum atque munitum est, hucque imperator refert muros & portas civitatum l. 8. pr. ff. l. c. §. 1. l. c.

(c) Varro l. c. Quod addit, templa, ut sint dextra, ajunt, sancta esse, qui glossas scripserunt; id falsum. Nam curia Hostilia templum est & sanctum non est. Sed hoc ut putarent, ædem sacram esse templum, & sanctum esse, quod in urbe Roma pleræque ædes sacræ sunt templa eademque sancta, Piriscus lex. antiqu. sub voce templum. Bernh. Montfaucon antiqu. expl. T. II. P. I. p. 46. Nardinus in Rom. Vet. l. III. c. 2. pag. 973. T. IV. Græv. Th. Wagneri Diss. de Aris in Curiis, & pro Tribunali p. 18.

penderet. Festus. Liv. IV. 3. Marcell. Don. ad Liv. XXVII. p. 42. 43. Guther. de Offic. dom. Aug. I. 39. R.

Non omne *jusjurandum a militibus* præstitum vocari *sacramentum*, sed illud tantum, quod sub ingressu militiæ juratur, immo plus gravitatis & sollemnitatis habuisse *jusjurandum* quam *sacramentum*, docemur a Livio l. XXII. 38. *Milites*, *inquit*, *tunc*, *quod numquam antea factum erat*, *jurejurando a tribunis militum adacti*, *jussu consulum conventuros*, *neque injussu abituros*, *nam ad eam diem nil*, *præter sacramentum fuerat*, *&*, *ubi ad decuriatum*, *aut centuriatum convenissent*, *sua voluntate ipse inter se equites decuriati*, *centuriati pedites conjurabant*. Ex his verbis abunde patet, ad eam diem satis fuisse, si, ad militiam accedentes, nil præter sacramentum dicerent, quod ita minus solemne erat. Tunc, quod insolitum, ante, quam in Africam transirent, jurisjurandi religione, tamquam in re gravissima adactos fuisse. *Jusjurandum* enim omnium promissionum religiosarum gravissimam fuisse, inter veteres scriptores non Cicero solum de offic. III. 29. & Gellius VII. 18. illustribus testimoniis confirmant, sed ex recentioribus etiam observarunt illi, qui de jurejurando veterum, data opera egerunt, Trellier c. 6. p 881. Jo. Bapt. Hansenius c. 2. p. 835. T. V. Græv. th. A. R. & Marc. Hieron. de Bassen, quod inde etiam apparet, quod a Nævio apud Festum, v. sagmina p. 472. & ab Ennio apud Ciceronem de off. III. 29. *jusjurandum* Jovis jurandum dicatur, id est, quod Jovi, Deorum principi, præstatur, quamvis nos non lateat, vocis

vocis hujus jam Gellii temporibus tam strictam haud fuisse interpretationem, qui XI. 6. ædepol, *jusjurandum* per Pollucem est, scribit, ceterum magis constaret, quid inter sacramentum in primis militare & *jusjurandum* discriminis intercesserit, si nobis integra militaris formula cognita esset, quam nullibi apud veteres auctores se invenisse, queritur Hansen. l. c. c. 25.

Non omnes distinguuntur *sacramentum* & *sponsionem*, in quibus sunt Turnebus advers. l. 29. c. 36. Hotomannus ad c. 8. or. Cic. pro Quinct. Passeratius ad c. 33. or. pro Cæc. Menander ad or. pro Rosc. Com. c. 5. Pellitarius ad or. pro Cæc. Laurentius varior. S. gentil. c. 6. p. 169. T. VII. thes. antiqu. gr. Gron. Vinnius ad instit. l. IV. tit. 16. princ. Wybo de interr. in jure c. 7. p. 106. Ernesti clav. cicer. v. sacrum distinguunt, inquam, omnes eodem modo. Sufficit ultimi verba adscribere: differt a sponsione sacramentum in eo, quod in sponsione non deponitur pecunia, sed tantum promittitur, & in vr sponsio, in controversiis privatis ne calumniis impune quisque alterum vexaret, aut solebat certam pecuniam deponere petitor, immo etiam reus simul, quæ sacramentum dicebatur; aut tantum spondebat, se aliquam pecuniæ summam daturum; ni vinceret, stipulante eo, unde petebatur. Enimvero istud discrimen ut fictum rejicit refellitque Jo. Fr. Schreiter in diss. de sacramentorum in veteris Romæ judiciis sollemnium antiquitt. Sed longum foret viri argumenta recensere. Sufficit dixisse Schreiterum a cel. Gesnero in thes. hoc nomine laudare.

SA-

Sacrarium & *sacrum locum* separat Ulpianus ad Edictum 68. l. 9. D. de Divis. Rer. illud notandum est, inquit, aliud esse *sacrum locum*, aliud *sacrarium*. *Sacer locus* est locus consecratus; *Sacrarium* est Locus seu pars intima templi, in quo Sacra reponuntur, (& asservantur) quod etiam in Ædificio privato esse potest, & solent, qui liberare eum Locum Religione volunt, Sacra inde evocare, Ib. l. 4. Ne quid 1. l. f. Ait Prætor, in loco sacro facere, inve eum immittere quid, veto. Hoc interdictum de sacro Loco, non de Sacrario convenit. Cui adstipulatur Servius in illud Virg. XII. Duri sacraria ditis. *Sacrarium*, inquit, proprie locus est in Templo, in quo sacra reponuntur, sicut Donarium est, ubi collocantur oblata. Sed Varro, Cicero, Suetonius, & alii *sacrarium* pro Sacello utuntur non semel. Unde *sacrarium* & *sacellum* significat & Locum consecratum, sive in Templo, sive in privatis Ædibus, in quo vel sacræ res custodirentur, vel Sacra Gentilitia fierent. Alias Sacellum describitur, quod sit Locus parvus cum Ara Deo sacratus. Cic. in Verr. Erat apud Nejum *sacrarium* cum magna dignitate in ædibus a Majoribus traditum, Id. Memmio; C. Aviano Evandro, qui habitat in tuo *sacratio*.

Sacrum, *sanctum*, *religiosum* hoc differunt. *Sacrum* ædificium, consecratum Deo, *sanctus* murus, qui est circa oppidum, *religiosum* sepulchrum, ubi mortuus sepultus aut humatus est. Fest. R.

Sacrificare est Veniam petere seu proprie sacra facere; in specie vero Hostiam Deo offerre;

re; *Litare* est propitiare & Votum impetrare. Virg. IV. Georg. 50. Tu modo posce Deos veniam: sacrisque *litatis* &c, i. e. impetratis.

Sævus ore & verbere, *Crudelis* sanguine. *Sævus* factis, *tristis* animo, *truculentus* vultu, *tristis*, qui dolet. *Truculentus* & *Sævus*, qui terret. Donat. R.

Sagitta & *spiculum* non sunt confundenda. Recte Taubmanni ad Virg. Æn. V. 307. spicula, cælatamque argento ferre bipennem; monuit, spiculum hic non sagittam esse, sed telum missile. Veteres pilum appellabant. Ad hujus jactum exercebantur milites, ita, ut scutatos pedites, & loricatos equites sæpe transverberarent. Erat & minus, quod verriculum, deinde verrutum nuncupabant. Te eadem re Taubmann p. 798. loquens, hæc tradit. Pilum proprie hasta romanorum, spiculum quoque dictum, ut gæsum gallorum, sarissa macedonum, framea germanorum. *Sagitta* proprie telum illud denotat, quod arcu mittitur; *spiculum* vero lanceam brevem, ita dictam a spicæ similitudine. Causa vero, quam ob rem spiculum cum sagitta a nonnullis confundatur, hæc videtur, quod spiculum præterea cuspidem, eamque tam hastæ, quam sagittæ significat. Virg. Æn. XI. 614. spicula converso fugientia dirigit arcu. Ovid. Metam. VIII. 375. ambo vibrata per auras hastarum tremulo quatiebant spicula motu. Conf. Gesn. thes. v. spiculum, Veget. II. 15.

Differunt *sagma* & *sella*. Nam *sagma* proprie est, quod jumentis onera bajulantibus imponitur; *sella* equorum est, vel aliorum animalium, quibus

bus homo vehitur. Veget. Mulom. II. 59. 1. Exceptis his, qui deputati sunt circo, reliquorum mulorum equorum asinorumque genus sub *sellis* aut *sagmis* solo tergo præstat officium. --- Sagmarum & sellarum mensura conveniens & apta qualitas debet adhiberi. Si enim ista minora fuerint, vel majora, angustiora, vel ultra modum lata, vel quæ non congruunt, graviter nocent. Mox strata vocat, & centones vel saga sufficientia a sagmis & sellis, distinxerat Vulg. Lev. XV. 9. sagma, super quo sederit, immundum erit. Ergo etiam ephippii genus, seu cellæ, certe poscit tale quid ebraica veritas. Gesn. in thes. v. sagma. Scheffer de re vehic. II. 2. p. 8. *Sagmæ* sunt clitellæ, atque instar quoddam sellarum habent, licet proprie non sint sellæ, quum in sellis sedeant, in clitellis non sedeant, sed imposita habeant onera & sarginas. In sagma igitur homines non sedisse, Schefferus arbitratur. Id. p. 9. sellæ, aut strata pertinebant ad homines, non sagmæ aut clitellæ. Sagum & simpliciter stratum dictum esse, idem ex Seneca & Apulejo ostendit. Stratum istiusmodi fuit primum antiquissimumque in equis & mulis, diuque usurpatum ante sellas ligneas. Quamquam strata postea sint dictæ sellæ, nec illæ solum, verum etiam clitellæ. Sic videmus apud Liv. VII. 14. Multis strata detrahi jubet, binisque tantum centunculis relictis agasmas armatas imponit. Strata mulis hic detracta non sunt sellæ, quod apparet, quia muli erant agasonum, qui parati non ad equitandum, sed ducenda jumenta sarcinaria, verum sagmæ seu clitellæ. His stratis oppositi centuncu-

rimus breviter, ut *renovetur*, non *redintegretur* oratio. Longol. ad h. l. *Renovantur* aedes, quae longa vetustate propemodum absumtae restaurantur. *Redintegrantur* vero, quae penitus collapsae omnino novae fiunt. Sic & oratio *renovatur*, quae propemodum in oblivionem veniens ad memoriam revocatur; *redintegratur* vero, cujus omnino obliti tamquam ab integro novam audimus.

Renunciare muneri, vel hospitio, est recusare; *Renunciare Consulem* est declarare. H.

Reprimere est ad tempus; *Comprimere* in perpetuum. Ideoque *comprimi* plus est, quam *reprimi*, id est, quam refrenari & leniri. Goclen. H.

Res diversae sunt a *rationibus*. Nam *rationes* sunt ipsa nomina, & quidquid in tabulis refertur. *Res* sunt ipsa corpora, ut pecunia, merces, penus. Itaque separantur Plaut. Amph. Prol. v.4. Pseud. 2. 2. v. 31. & apud Cic. pro Quinto. R.

Resciscunt, ad quos pertinent & qui nesciunt, *sciunt*, qui negligunt. *Resciscimus* ex alio, *scimus* etiam per nostram opinionem. Donat. R.

Respondemus proprie praesenti, *rescribimus* absenti. Seneca Epist. 62. Sic afficior animo tamquam tibi non rescribam, sed respondeam. Vid. Cujac. lib. XII. Observ. cap. 8. R.

Restiarius est, qui facit Restes h. e. Vincula e Cannabe, vel Stupa, omni fune minora. Quae autem sunt facta o Vimine, Germanis *Wieten* dicuntur. *Restio*, qui vendit, ut tradit Fronto. Sed meo judicio non recte. Nam *restiarius* est, ut Lintearius, qui restes vendit, ex eaque re quaestum facit; *Restio* est, ut Linteo, Pellio, qui restes intorquet & nectit, alter Graecis dicitur

tur σχοινοπώλης, alter σχοινοπλόκος, sive κάλωστρόφος, ut Plutarchus in Augusto dixit. Glossarium σχοινοπλόκος resticularius, restio. Suet. Aug. Libertinum ei Proavum exprobrat restionem.

Restituimur iis, quibus nos volumus; *Reddimur* iis, qui nos volunt (1). *Restituimus* volentem; *Reddimus* Volentibus; *Restituitur* cupiens; *redditur* & *restituitur* cupiens cupientibus, Donatus.

Resto & *resisto* ita differunt, ut *Obsto* & *Obsisto*, de quibus supra; etsi non perpetua est hæc Differentia, & interdum resto pro resisto sumitur. Enn. VII. Annal. Illurici *restant* sicis sibynisque fodentes. Sallust. I. Historiar. Urbem multos *restantem* pugnando vicit. Ovid. II. Fast. Postmodo victa cædes, melioribus Ardea *restas*. Propert. III. Eleg. VII. v. 81. ubi utraque Tuscanellæana Editio & Basileensis & Hanoviensis, pro Dum fugiunt Troes, etiam non incommode heic legit; Dum vincunt Danai: Dura fugiunt Troes, dum *restat* Barbarus Hector.

Retia & *plagæ* differunt. Cic. Verr. V. 58. in illas tibi majores *plagas* incidendum est. Nannius ita: Virg. IV. Æn. 131. Retia rara plagas, ubi Servius: Multi dividunt, ut sint *retia* majora, *plagas* minora intelligamus. Alii plagas per definitionem accipiunt. Sciendum tamen, proprie plagas diei funes illos, quibus retia tenduntur circa imam & summam partem. Gel. Gesn. voce plagæ: Dicuntur ita retia rariora, ad capiendas feras.

Reum *facere* est in Judicio legibus interrogare de

(1) Conf. jam, quæ paulo ante sub reddere Tit. sunt dicta.

de Crimine, de quo postulatum est; *Reum agere* (1) est accusare, & actionem prosequi: Leg. Schardii Lexicon Juridic. p. 819. col. a. Nam primum postulabat Actor a Prætore, ut Accusare liceret, quo impetrato, Nomen deferebat: postremo accusabat. Cœlius ad Ciceronem: Cn. Domitium Reum fecit. Idem: Illud mihi occurrit, quod inter Postulationem & Nominis Delationem Uxor a Dolabella discessit. Valer. Maximus lib. VI. M. Anton. Avorum nostrorum temporibus clarissimus Orator, incesti Reus agebatur. Id. l. 8. Flavius a C. Valerio Ædile apud Populum Reus Actus. Sed hæc fere confunduntur, sicut & Postulare & Accusare.

Reus *stipulando* est idem, qui stipulatur: *Reus promittendo* est, qui suo nomine alteri quid promisit, quive pro altero quid promisit. Fest. R.

Rheda sæpe generalius vehiculum, sæpe specialius denotat. Si specialius & peculiare, differt a *cisio*. Casaubonus in Suet. Jul. 57. *Rheda* quatuor rotas habebat, ut *cisium* duas. Distabat etiam *reheda* a *petorito*, de quo docet Ausonius ep. 8. atque aliis. Non probat Schefferus de Re Vehic. II. 30. p. 342. quod idem habet Casaub. ad Jul. 58. de rheda verba faciens; quemadmodum hoc genus vehiculi a rotarum numero τετραχυκλου nomen invenit, sic apud vetustissimos æoles ab eodem numero πετοριτον dictum. Πετοριτον est petoritum, a quo non semel rhedam distinguit Auso-

(1) *Reum* agi est accusari, vel secundum leges interrogari, Reum peragi vero est condemnari, Parrhas. ad Cic. pro Milone. R.

sonius, qui & ipse gallus fuit, & gallica vehicula optime nosse debuit. De *cisio* Schefferus de re vehic. sigillatim agit II. 18. de petorito, 26.

Rhetorice est Ars bene dicendi circa Orationem ad persuadendum idonea. Unde *rhetorice* aliquid dicere est graviter; splendide, magnifice; vehementer, ac copiose aliquid dicere. *Dialectica* autem est recte disserendi scientia circa Orationem, quæ interrogatione & respon one consistit. Hæc Diogen. Laertius in Vita Zenonis lib. 462. ubi verba Græca sunt videnda. H.

Ridet, qui simpliciter ridet, *deridet*, qui alterius irrisione & contemtu ridet. Donat. R.

Ripæ proprie Fluminum sunt, dictæ a ῥιπὴ, quod impetum Ventorum, vel Aquarum, quem sustinet ripa, denotat. *Littora* Maris, ut, Ovid. Pro ripis Littora pulsant.

Rixam & *Turbam* multum differre, Labeo ait. Nam *Turbam* multitudinis hominum esse turbationem & Cœtum; *Rixam* etiam Duorum: Vid. Valla lib. VI. Elegantiar. cap. 61. p. 479. Ceterum Turba in Turbam concitata acceptat turbida consilia, turbatque seipsam & alios. Sicut & cuilibet Turbulento quietem interturbare, Negotia perturbare, Bonos conturbare, sed & sibi tandem turbulenter agenti pœnam arcessere facile est. Nam ut Res turbatæ tranquillentur, necesse est, Turbatorem proturbari, hoc est, de Statu deturbari, Complices ejus disturbari, aliquando & Patria exturbari. Tu si vivere optas imperturbatus, vive quietus. Comenius. Unde Edicto Prætoris de Damno, quod in Turba datum est, in Turba factum interpretatur Ulpianus l. 4. D. quod decem aut

quindecim hominibus coactis factum est. Ego hoc amplius interesse puto, quod Rixa levis Verborum velitatio est, Turba multitudinis (commotio, seu) concursu vel concertatio, & pugna. Cicero in Verrem: Ecce autem nova Turba atque Rixa. Livius: Concursu hominum Ruxa, ac prope prælium fuit. *Rixa* sive Armis est, & habet Defensionem; *Pugna* Legem habet vel naturalem, vel moralem. Palæstrans enim vel exhibet Virtutem, vel Armis per sua Vitæ pericula dimicat. Corn. Fronto.

ROBUSTUM corpore, sed dices pectore *Fortem*. R.

ROGARE minus est, *Orare* plus. Asconius in Cicero Divinat. Rogare ut homines, orare ut Deos. R.

ROGATIONES sunt leges. Rogationes sunt, si Proconsules provincias sicut priore anno eas tenebant, obtinere jubebantur, quoniam per modum rogationis ad populum ut leges ipsæ fieri debebant. Livius VIII. 26. R.

ROSEUM per se; seu quod rosarum qualitates exhibet, *rosaceum* mixtum, seu ex rosis confectum. Sic Rosaceas Corollas quærimus apud Virgines; Roseam autem Fragrantiam in talibus Corollis. Fronto.

ROSTRUM non est, nisi quod incurvum est. Agr. R.

RUBER color non idem est cum *rufo*. Brodæus in misc. Alciatum reprehendit, quod in parergis colorem rubrum cum rufo confudit. Brodæus existimat, ita distingui oportere, ut *rubrum* natura sanguinem esse, *rufum*, v. c. saxonem aut britannum

num dicant. *Rufos* capillos, rufam barbam germanos quosdam habere, non rubram. Decepit Alciatum vernacula lingua, siquidem itali tam rubrum quam rufum rossum promiscue vocant. Nec inficiatur tamen Brodæus, quosdam rubros & rubicundos posse dici. De rubro & ruso colore sigillatim agit Gellius II. 26. ubi Favorinus: russeus color & ruber nihil a colore rufi differunt.

Ruber color simplex atque nativus est; *Rubeus* sive *Robeus* mistus & concretus ex Rubro & Albo paululum virenti, ut in Melle, & in Moris maturescentibus: ita dictus, quia ex Rubiæ Herbæ radice, quam ερυροδάνον Græci appellant, in tinctoriis Officinis conficiatur; *Rubidus* vero est russus, nigrore multo infuscatus, forte a Rubi fructu dictus. Plautus: Exiguam bucellam rubidi panis. Varro II. de R. R. Colore potissimum nigro, dein rubeo, tertio beluo, quarto albo. Vetus inscriptio: Omnibus Annis Vitulo Robeo & Verre.

Rudis & *missio gladiatorum* differebant olim. *Missio* enim victo, *rudis* victori tribuebatur, *hujus* perpetuus, *illius* in eum tantum diem erat effectus, Mart. XII. ep. 29. Lipsius saturn. serm. p. 114.

Rumor tumultuatur; *Fama* indicat; *Opinio* reddit suspectum. H.

Rura dicebant silvas & pascua, *Agrum* vero eum, qui colitur. Serv. R.

Rurare & *rusticari* a nonnullis confunduntur. *Rurare* est ruri agere, & opus facere, seu rus colere, sicut arare aruum colere. Varro apud Non. II.

II. 731. dum in agro ſtudioſus furor, i. e. agrum colo. Sed aliud plane quid notat *ruſticari*, quod & Scipio Gentilis monuit. Significat nimirum iſthoc verbum ruri agere, degere, ſine labore ruſtico. Conf. Taubmann. ad Plaut. Capt. I. 1. 241.

Rursus repetit ſine reſpectu numeri & ordinis, *iterum* primam repetitionem reſpicit.

Rursum proprie retro: *Prorſum* ante ſignificat. Donat. R.

S.

Sacrum (1) eſt venerandum & execrandum. Virg. auri ſacra fames. Agræt. R. eſt, quod pu-

(1) Apta inter *ſacrum* & *ſanctum* videtur diſtinctio. Quod illud olim *ſacrum* fuerit dictum, quod publica auctoritate augurum ope ſit conſtitutum, illudque a pontifice Deo mancipatum, teſtatur Alexander ab Alexandro (a); *ſanctum* vero, quod tam pœnali lege ab hominum injuria ſit munitum (b), tum in ſacris ædibus, quod ad divinum cultum, atque ſacra obeunda a pontifice erat

(a) L. VI. c. 14. p. 923. Sacra erant divino cultui mancipata. Ait enim Trebatius; quidquid Deorum ergo habetur ſive ædes ſive aræ, vel ſignum, locus, aut pecunia, ſive quidquid aliud more inſtitutoque civitatis rite Diis conſecratum foret. Et iterum, quod publica auctoritate Deo rite conſecratum eſt; ſacra dicitur ædes, ara, lucus, &c. ſacra ſunt ſollemnia, quæ Diis fiebant, feſta, & ſacrificia. De ſacris edicebat collegium pontificum.

(b) Id. loc. alleg. Sancta vero dicuntur loca, quæ ſacrata legibus, plebiſcitiſve ſancita, pœnis adjectis inviolata manent. -- Itaque muri & mœnia civitatum, quod illa tranſgredi non liceat, -- auguſta & ſancta dicta ſunt, ideo illibata juris ſanctione defenduntur, leges quoque eo, quia non debent pœnæ ſanctione corrumpi, ſanctæ dicunt. Et iterum ſanctum, quod ab injuria hominum defenſum eſt atque munitum.

publica auctoritate Deo rite (nuncupatum , seu devotum , atque) consecratum est ; ut *Sacri* Luci , Montes , *Sacra* Templa , Ornamenta , Certamina & alia , quæ publico civitatis Instituto , aut permissu Principis Deo dedicata fuerunt ; *Sanctum* (l. 8. D. de Rer. Divis.) est , quod sanctione quædam & Præcepto firmatum , & ab injuria Hominum munitum est ; quasi sanguine consecratum , & propterea inviolabiliter statutum , etsi non sit Deo consecratum , ut *sancti* Muri & Portæ , quæ sine nefario scelere non violantur , *sancti* Legati , quibus noceri non debet , *sanctæ* Leges , quæ certam pœnam constituunt & sanciunt in eos , qui præ-

ce erat publica auctoritate constitutum. Habes enim ædes, ut Vestæ, ad cultum deorum institutas, non sacras, quas nulla augurum religio tangebat, & loca, quæ sacra per augures declarata, quod sacris obeundis non patebant, non sancta. Curia enim Hostilia templum est, & *sanctum* non est, Varro l. VI. p. 48. Progressu tamen temporis latinis scriptoribus non ubique usurpatam fuisse hanc distinctionem, illudque jam Varronis ævo eruditissimi viri adnotarunt *(c)*. Martianus ICtus l. 6. §. 3. ff. de D. R. & post eum imperator sacratissimus §. 8. I. de R. D. sacras res esse statuit, quæ rite per pontifices Deo consecratæ sunt, veluti, ædes sacræ, & donaria, quæ rite ad ministerium Dei dicata sunt, hincque locum, in quo ædes sacræ sunt ædificatæ, etiam diruto ædificio sacrum adhuc manere. Sanctum vero juriconsultus adserit, quod ab injuria hominum defensum atque munitum est, hucque imperator refert muros & portas civitatum l. 8. pr. ff. l. c. §. 1. l. c.

(c) Varro l. c. Quod addit, templa, ut sint dextra, ajunt, sancta esse, qui glossas scripserunt; id falsum. Nam curia Hostilia templum est & sanctum non est. Sed hoc ut putarent, ædem sacram esse templum, & sanctum esse, quod in urbe Roma pleræque ædes sacræ sunt templa eademque sancta, Pitiscus lex. antiqu. sub voce templum. Bernh. Montfaucon antiqu. expl. T. II. P. I. p. 46. Nardinus in Rom. Vet. l. III. c. 2. pag. 973. T. IV. Græv. Th. Wagneri Diss. de Aris in Curiis, & pro Tribunali p. 18.

penderet. Festus. Liv. IV. 3. Marcell. Don. ad Liv. XXVII. p. 42. 43. Guther. de Offic. dom. Aug. I. 39. R.

Non omne *jusjurandum a militibus* præstitum vocari *sacramentum*, sed illud tantum, quod sub ingressu militiæ juratur, immo plus gravitatis & sollemnitatis habuisse *jusjurandum* quam *sacramentum*, docemur a Livio l. XXII. 38. *Milites, inquit, tunc, quod numquam antea factum erat, jurejurando a tribunis militum adacti, jussu consulum conventuros, neque injussu abituros, nam ad eam diem nil, præter sacramentum fuerat, &, ubi ad decuriatum, aut centuriatum convenissent, sua voluntate ipse inter se equites decuriati, centuriati pedites conjurabant*. Ex his verbis abunde patet, ad eam diem satis fuisse, si, ad militiam accedentes, nil præter sacramentum dicerent, quod ita minus solemne erat. Tunc, quod insolitum, ante, quam in Africam transirent, jurisjurandi religione, tamquam in re gravissima adactos fuisse. *Jusjurandum* enim omnium promissionum religiosarum gravissimam fuisse, inter veteres scriptores non Cicero solum de offic. III. 29. & Gellius VII. 18. illustribus testimoniis confirmant, sed ex recentioribus etiam observarunt illi, qui de jurejurando veterum, data opera egerunt, Trellier c. 6. p 881. Jo. Bapt. Hansenius c. 2. p. 895. T. V. Græv. th. A. R. & Marc. Hieron. de Bassen, quod inde etiam apparet, quod a Nævio apud Festum, v. sagmina p. 472. & ab Ennio apud Ciceronem de off. III. 29. *jusjurandum* Jovis jurandum dicatur, id est, quod Jovi, Deorum principi, præstatur, quamvis nos non lateat,

vocis

vocis hujus jam Gellii temporibus tam strictam haud fuisse interpretationem; qui XI. 6. ædepol, *jusjurandum* per Pollucem est, scribit, ceterum magis constaret, quid inter sacramentum in primis militare & *jusjurandum* discriminis intercesserit, si nobis integra militaris formula cognita esset, quam nullibi apud veteres auctores se invenisse, queritur Hansen. l. c. c. 25.

Non omnes distinguuntur *sacramentum* & *sponsionem*, in quibus sunt Turnebus advers. l. 29. c. 36. Hotomannus ad c. 8. or. Cic. pro Quinct. Passeratius ad c. 33. or. pro Cæc. Menander ad or. pro Rosc. Com. c. 5. Pellitarius ad or. pro Cæc. Laurentius varior. S. gentil. c. 6. p. 169. T. VII. thes. antiqu. gr. Gron. Vinnius ad instit. l. IV. tit. 16. princ. Wybo de interr. in jure c. 7. p. 106. Ernesti clav. cicer. v. sacrum distinguunt, inquam, omnes eodem modo. Sufficit ultimi verba adscribere: differt a sponsione sacramentum in eo, quod in sponsione non deponitur pecunia, sed tantum promittitur, & in vr sponsio, in controversiis privatis ne calumniis impune quisque alterum vexaret, aut solebat certam pecuniam deponere petitor, immo etiam reus simul, quæ sacramentum dicebatur; aut tantum spondebat, se aliquam pecuniæ summam daturum; ni vinceret, stipulante eo, unde petebatur. Enimvero istud discrimen ut fictum rejicit refellitque Jo. Fr. Schreiter in diss. de sacramentorum in veteris Romæ judiciis sollemnium antiquitt. Sed longum foret viri argumenta recensere. Sufficit dixisse Schreiterum a cel. Gesnero in thes. hoc nomine laudare.

SA-

SACRARIUM & *sacrum locum* separat Ulpianus ad Edictum 68. l. 9. D. de Divis. Rer. illud notandum est, inquit, aliud esse *sacrum locum*, aliud *sacrarium*. *Sacer locus* est locus consecratus; *Sacrarium* est Locus seu pars intima templi, in quo Sacra reponuntur, (& asservantur) quod etiam in Ædificio privato esse potest, & solent, qui liberare eum Locum Religione volunt, Sacra inde evocare, Ib. l. 4. Ne quid 1. l. s. Ait Prætor, in loco sacro facere, inve eum immittere quid, veto. Hoc interdictum de sacro Loco, non de Sacrario convenit. Cui adstipulatur Servius in illud Virg. XII. Duri sacraria ditis. *Sacrarium*, inquit, proprie locus est in Templo, in quo sacra reponuntur, sicut Donarium est, ubi collocantur oblata. Sed Varro, Cicero, Suetonius, & alii *sacrarium* pro Sacello utuntur non semel. Unde *sacrarium* & *sacellum* significat & Locum consecratum, sive in Templo, sive in privatis Ædibus, in quo vel sacræ res custodirentur, vel Sacra Gentilitia fierent. Alias Sacellum describitur, quod sit Locus parvus cum Ara Deo sacratus. Cic. in Verr. Erat apud Nejum *sacrarium* cum magna dignitate in ædibus a Majoribus traditum, Id. Memmio; C. Aviano Evandro, qui habitat in tuo *sacratio*.

SACRUM, *sanctum*, *religiosum* hoc differunt. *Sacrum* ædificium, consecratum Deo, *sanctus* murus, qui est circa oppidum, *religiosum* sepulchrum, ubi mortuus sepultus aut humatus est. Fest. R.

SACRIFICARE est Veniam petere seu proprie sacra facere; in specie vero Hostiam Deo offer-

re;

bus homo vehitur. Veget. Mulom. II. 59. 1. Exceptis his, qui deputati sunt circo, reliquorum mulorum equorum asinorumque genus sub *sellis* aut *sagmis* solo tergo præstat officium. --- Sagmarum & sellarum mensura conveniens & apta qualitas debet adhiberi. Si enim ista minora fuerint, vel majora, angustiora, vel ultra modum lata, vel quæ non congruunt, graviter nocent. Mox strata vocat, & centones vel saga sufficientia a sagmis & sellis, distinxerat Vulg. Lev. XV. 9. sagma, super quo sederit, immundum erit. Ergo etiam ephippii genus, seu cellæ, certe poscit tale quid ebraica veritas. Gesn. in thes. v. sagma. Scheffer de re vehic. II. 2. p. 8. *Sagmæ* sunt clitellæ, atque instar quoddam sellarum habent, licet proprie non sint sellæ, quum in sellis sedeant, in clitellis non sedeant, sed imposita habeant onera & sarginas. In sagma igitur homines non sedisse, Schefferus arbitratur. Id. p. 9. sellæ, aut strata pertinebant ad homines, non sagmæ aut clitellæ. Sagum & simpliciter stratum dictum esse, idem ex Seneca & Apulejo ostendit. Stratum istiusmodi fuit primum antiquissimumque in equis & mulis, diuque usurpatum ante sellas ligneas. Quamquam strata postea sint dictæ sellæ, nec illæ solum, verum etiam clitellæ. Sic videmus apud Liv. VII. 14. Multis strata detrahi jubet, binisque tantum centunculis relictis agasmas armatas imponit. Strata mulis hic detracta non sunt sellæ, quod apparet, quia muli erant agasonum, qui parati non ad equitandum, sed ducenda jumenta sarcinaria, verum sagmæ seu clitellæ. His stratis oppositi centuncu-

li, quibus agasones insidebant, vice aliorum stratorum. Veget. Mulom. II. 59. 2. saga & centones sub *sellis* & *sagmis*.

Salem, quo utimur, Sing. tantum Num. dicimus; cum Jocum (urbanum) significamus, Plural. tantum. Interea danda est opera, ut Sales intelligamus, ne insulsi simus, & insulsitate nostra salsos risus aliis præbeamus. Nisi quod Singulari Num. etiam aliquando Urbanitatem denotamus. Ter. in Eun. Act. III. Sc. I. v. 10. & seq. Qui habet Salem, quod in te est, i. e. quæ res in te est. Salum sali, a sale Mare denotat, ut, canente illo Poeta; Perque nudas superante Salo. Servius.

Salio est transcendo & supero saltu (1); Salto est motus compositos pedibus edo. *Illud* est alacritatis; *Hoc* elegantiæ. Cato in Orig. Capræ feræ sunt, quæ saliunt e saxo pedes plus sexagenos. Quanquam Poetæ interdum *salio* pro *salto* usurpant. Virg. II. Georg. 384. Mollibus in pratis unctos saliere per utres. Proper. IV. Eleg. Cælati medio cum saliere foro. A *salio* autem fit Saltus, a *salto*, saltatus, & saltatio. Sallust. III. Hist. Pompejus cum alacribus *saltu*, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat.

Saltare Verbum generale est, quo omne genus saltationis continetur, *Tripudiare* proprie est terpede in saltando, quantum per artem licet, ter-

(1) *Salire* ante se, necessitatis est, quando saltu superanda est fossa; *Salire* sursum, deorsum, lætitiæ est, ut videre est in illis, qui subsultim ingrediuntur; & in Saltatoribus ac Saltatricibus, qui ad Musicam saltando sese in Saltatorio Orbe versant. Comen.

terram ferire estque exsultantium cum jubio. Quod intelligit Hor. I. Carm. Od. XXXVII. v. 1. seq. Nunc pede libero pulsanda tellus. Et alibi l. III. Carm. Od. XVIII. v. 15. seq. Gaudet invisam pepulisse fossor ter pede terram. Hinc saltatum & tripudium separat Liv. I. Ferre ac per Urbem ire cantantes Carmina cum *tripudiis*, solennique *saltatu* jussit.

Saltationem & *saltum* inter Scaliger poet. I. p. 64. ita distinguit: *Salire* est moveri in sublime, vel tamquam medium, vel tamquam metam. Ejus frequentativum *salitare*, unde concisum *saltare*. Græca origo verbi ἀλλεσθαι. Eum motum rudem inter pastores primum fuisse credere par est; quem quum certis legibus variassent & composuissent, ὀρχησιν privato nomine vocavere, Latini rudem illum veterem, *saltum*; hunc *saltationem* quum adpellassent, non habuere verbum separatum, sicut græci ὀρχεισθαι, ab eo, quod fuerat, ἀλλεσθαι.

Salvator & *servator*, utpote Græcæ Voci Σωτηρ, & Ebr. Jesus respondentia Vocabula, quomodo inter se differant, docet Batth. Meisnerus Disp. VI. Christolog. Sac. §. XI. atque Jacobus Pontanus in Atticis Bellariis Synt. X. p. 612. seq. H.

Salubre fere physice, *salutare* moraliter sumitur. *Salubris* de rebus dicitur sanitatem juvantibus, *salutaris*, quæ civiliter prosunt. *Salubre* ad locum refertur & ad cibum; *Salutare* Consilium est, vel *salubre* loci est & personarum; *Salutare* vero Consilii. Ita *salubre* non nocet, *salutare* prodest consilio. Fronto. Nec tamen hæc diffe-

rentia ubique custoditur. At *saluber* dicitur, qui præbet sanitatem, *sanus*, qui accipit & tenet sanitatem.

SANGUIS (ruber quippe in Animante humor) est, dum manat in venis: effusus de corpore, *Cruor* dicitur. *Sanies* cruor est putridus.

SANIES & *Tabum* conjunguntur a Virgilio VIII. Æneid. 487. seq. *Sanie taboque* fluentes Complexu in misero, longa sic morte necabat. Ea quidem distinguuntur, ut *sanies* de mortuo dicatur; *tabum* de vivo. Serv. Quam differentiam refellit ille ipse Virgilius, cum de mortuis dicit III. Georg. 480. seq. ubi posteriore versu Editio Erythræi Veneta & Pauli Manutii Antuerpiensis Plantina pro corripuit, corrupit etiam sat commode legunt: Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum, corripuitque lacus, infecit pabula *tabo*. Et Suet. Vitel. Abhorrentes quosdam cadaverum *tabum*. Tac. II. Hist. Fœdum atque atrox spectaculum intra 40. pugnæ diem, lacera corpora, trunci artus, putres virorum equorumque formæ, infesta *tabo* humus, protritis arboribus atque frugibus, dira vastitas. Verius ergo est, *saniem* esse atrum sanguinem; *tabum* esse liquorem putridum, cujus appellatione interdum continetur omne id, quod ex putrescentibus defluit. Unde Virg. dixit III. Æn. 28. seq. Huic atro linquuntur sanguine guttæ: Et terram *tabo* maculant. Lucan. VI. Stillantis *tabi saniem*, virusque coactum sustulit. Antiquus Poeta: Saxa spargens *tabo*, *sanie* & sanguine atro.

SANUS, qui salvus est, sic *sanitas* tum corporis, tum animi est. Sed præcipuam elegantiam habet,

habet, cum ad animum refertur. Exempla vid. apud Doletum loc. cit. fol. 148. fac. a. col. 2. *Validus*, qui multum rerum neceſſarium ad ſalutem habet. Donat.

Inter *Sardum* & *Sardinienſem* nonnulli veterum grammaticorum ita diſtinxerunt, *illum* ut putarent dici, qui in Sardinia natus ſit, *hunc* autem incolam Sardiniæ. Porphyr. ad Hor. p. m. 1727.

Sartrix; quæ ſarcit; *Sarcinatrix*, quæ ſarcinas ſervat. Corn. Front.

Satiatus ventris, *ſaturatus* animi. Corn. Front. R.

Satietas ad omnes ſenſus pertinet; *ſaturitas* ſaltem ad guſtum. H.

Satio (1) ad omnes ſenſus, & animum quoque pertinet; *ſaturo* magis ad corpus. Cicero: *Satiare* deſideria Naturæ. Hinc dicitur *ſatietas* omnium rerum, ut *ſatietas* hominum aurium, *ſatietas* vitæ, provinciæ, apud Ciceronem; *ſaturitas* tantum earum rerum, quæ ad victum pertinent. Idem de Senectute: *Saturitate* copiaque omnium rerum; quæ ad victum hominum & ad cultum etiam deorum pertinent.

Satisfacere (l. 9. §. 3. D. de Pign. Act.) eſt deſiderium Creditoris quocunque modo implere, & *ſatisfactum* accipimus acceptilatione & jurejurando, & nuda conventione, vel fidejuſſore, vel pignore, vel pretio aliquo dato; *ſolvere* proprie

 eſt

(1) Quod proprie idem eſt, ac cibis implere. Ad Animum retulit Cicero, quando pro Milone cap. 18. ſic dixit: Sanguine & vulneribus ſuis crudeliſſimi Inimici mentem oculoſque *ſatiavit*.

est pecuniam pro eo, quod debetur, Creditori reddere. Hoc enim verbo Nummorum numeratio, vel alia naturalis ejus, quod debetur, præstatio intelligitur. Conf. Schardii Lexicon Juridicum, p. 835. col. a. Pomponius lib. 7. ex Plautio: Si solverit *satisfecerit*, liber esto. Non potest is servus, nisi triennio præterito liber esse, nisi præsentem eam pecuniam solvat ac *satisfaciat*. Idem ad Q. Mucium 31. l. 19. D. de Cont. Emt. Quod vendidi, non aliter fit accipientis, quam si aut pretium nobis solutum sit, aut *satis* eo nomine *factum*. Sed interdum solvere latius patet, & solutionis appellatione omnis liberatio quoquo modo facta, & qualiscunque *satisfactio*, qua Creditor contentus fuerit, continetur, ut auctor est Ulpianus l. 176. D. de Verb. Sign. Et *satisfacere* est verbis excusare; Et *satisfactio*, excusatio. Cicero Orat. Philippica II. Acceperam Cæsaris litteras, ut mihi *satisfieri* paterer a te. Idem Trebatio: Hi tu etiam insimulas, nec *satisfactionem* meam accipis.

SATISFACTIONIS solemnis hæ plerumque partes & formulæ erant, 1°. confitebantur factam injuriam, 2°. jurabant, se mala mente fuisse, 3°. nolle se, hæc dicta aut facta esse, & indignum alterum esse hac injuria, 4°. precabatur, ut injuria, quam fecissent alteri, in suum suorumque caput recideret. *Palinodia* vero sine jurejurando fit, & nuda retractatio eorum est, quæ perperam vel male dicta sunt. Vid. I. C. Wernsdorfii bona mens a Romanis consecrata, §. 14. 15.

SATURITAS in cibo tantum dicitur, in ceteris vero *satietas*. Sosipater. R.

SAUCIUS & *vulneratus* non idem proprie. Quum *saucium* dicimus, *vulneratum* quidem intelligimus, sed indefinite, ac sine designatione vulnerum, quot, quæ, qualia, aut qua in parte acceperit. Quum *vulneratum* loquimur, significamus percussum certa parte sui, aut quoties, aut quo vulnere. Itaque proprie efferri *saucios* ex acie, non *vulneratos* historici dicere solent, qui melius, quam ceteri latine loquuntur. Vavassor in Antib. p. 584. f.

SAXUM est lapis durior asperiorque, qui montibus exciditur (1); *Silex* est lapis minor & durus, ex quo ignis excuti potest. Cato in Q. Thermum: Ego jam a principio in parsimonia, atque in duritia, atque industria omnem adolescentiam meam abstinui, agro colendo, *saxis* Sabinis *silicibus* repastinandis atque conservandis. Lucretius lib. II. In quo jam genere inprimis adamantina *saxa* prima acie constant, ictus contemnere sueta: Et validi *silices*, & duri robora ferri. Virg. VIII. Æn. 233. Stabat acuta *silex* præcisis undique *saxis*.

SAXUM naturale, ingens, & pars rupis, *lapis*, qui e saxo cæsus est, *calculus* in vesica & renibus, quo qui laborat, exquisitos cruciatus patitur.

SCAMNA sunt, in quæ per gradus adscenditur, *scabella*, in quæ una scansione adscendimus. Varro VII. 35. quia simplici scansione scandebant in

 le-

(1) Sic Saxes Montibus internascuntur variæ saxatiles (seu saxetanæ) Herbæ. Abi ab Saxeta in saxosis Regionibus, videbis.

lectum non altum, *scabellum*, in altiorem, *scamnum*, duplicata scansio *gradus* dicitur.

SCELERATUS est, qui *scelera* versat animo, & opere perficit; *scelerosus*, qui multorum *scelerum* auctor damnatusve existit, *scelestus*, qui facinus aliquod patravit. Ter. in Eun. Ubi ego illum *scelerosum* atque impium inveniam? Varro de L. L. Ante privati hujusce T. Quintii Troii *scelerosi* hominis ostium canat. *Sceleratus* est contaminatus; *scelerosus* plenus scelere; *scelestus* excogitat exitium. R.

SCELUS omne est *flagitium*, non vero contra: & minor in aliquo *flagitio* culpa, quam in *scelere*. Manut. *Scelus* τῷ oportet, *Nefas* τῷ licet respondet. Cic. Parad. 3. Quicquid non oportet, *scelus* esse, quicquid non licet, *nefas* putare debemus. R.

SCIENTIA rei certa est, *Opinio* incerta. Itaque *scire* & *opinari* differunt, quod Cicero indicat pro Archia his verbis: Adest Vir summa auctoritate & fide Lucius Lucullus, qui se non *opinari*, sed *scire*; non audivisse, sed vidisse, non interfuisse, sed egisse dicit. Goclen. H.

SCIENS, qui alicujus indicio rem cognoscit, *prudens*, qui intelligentia sua aliquid sentit. Ergo *prudens* per se, *sciens* per alios. *Sciens*, qui scit, *scitus*, qui scitur, vel festivus. Corn. Front. *Scius* secum, *conscius* cum alio scius est: licet *conscium* indifferenter legerimus. R.

SCIMUS, quod certum est, *noscimus*, quæ adhuc incerta, desideramus. Donat. Terent. in Andr. Nam qui *scire* possis, aut ingenium *noscere*? *Rescimus* occulta, Donat. *Scimus*, quæ ad nos deferun-

runtur. *Scire* minus est, in memoria habere plus est. Nam quæ *scimus*, possumus oblivisci, quæ vero memoriæ commendamus, nunquam amittimus. Donat. R.

Scintilla est silicis cæsi, caret igne *Favilla*. *Illa* excutitur ex silice, *hæc* quasi scintilla extincta.

Sciscere & *jubere* sunt suffragio aliquid probare aut improbare. Sed *sciscit* plebs; (unde appellata plebiscita) populus vero *jubet*. Quamvis etiam plebs *jubere* dicatur; inde *scita* & *jussa* appellata sunt. Goclen. H.

Scitum dicunt, quod placet: *Inscitum*, quod displicet. Donat. R.

Diversa fuisse *Scolia* ab *Epithalamiis*, ut vocantur, negare videtur Mr. l' Abbe Souchay dans le Memoire sur l' origine & le caractere de l'epithalame dans les memoires de litterat. Tom.XIII. p. 475. l'edit. d'Amst. Sed non parum differre illa carmina, ex Aristoxeno & Phyllide, musico, patet, qui *scolia* nuptialia non carmina fuisse docent, in sponsi sponsæque honorem composita, sed amatorias potissimum cantilenas.

Scomma est contumelia levior, quæ urbanitate tegitur. *Convicium* est contumelia aperta, gravior & petulantior.

Scorpio bellica res est (1); *Scorpius* animal. Clarus.

Scribit, qui verba adhibet tantum, *Facit*, qui etiam argumentum componit. Donat. R.

Scri-

(1) Seu Machinula militaris, quæ parvis spiculis infert mortem.

SCRIBIMUS feria, quod nobis usui fit, *pingunt* litteras calligraphiæ studiosi., ejusque magistri ac tirones, qui discunt litterarum notas eleganter formare.

SCRUTATUR in te ille, qui intercipit quædam Secreta: *Quærere* duo significat, vel quod abest, vel quod ad patrimonium pertinet. Corn. Front.

SCRUTOR profundum; *Sciscitor* sciendi; *Percunctor* arguendi causa. H.

SCULPTOR latius patet quam *fictor*. *Fictor* tantum circa statuas & rerum simulacra, *sculptor* etiam circa id, quod in æs inciditur, quod inciditur in marmore, in gemma occupatur.

SCUTUM oblongum est, *clypeus* rotundior, *hic* militum pedestrium, *illud* equitum; quæ tamen differentia non videtur esse perpetua.

SE simplex ponitur, cum aliquis se in alium quid fecisse fatetur; *sese* geminatum, cum in seipsum, uti Cæsar lib. II. de Analogia præcepit, auctore Servio. H.

SEBUM & *unguentum* habet hanc diversitatem. *Sebum* fit ex adipe ruminantium. Non. R.

SECESSIO idem est, quod *seditio* esse potest; sed non *seditio*, *secessio*. *Seditio* enim est, cum plebeii & patricii in urbe aliqua ita dissentiunt, ut pars eorum mixta in utrisque partibus plebeii & patricii mixti. In *secessione* autem altera pars dividitur, & *secedit* ab altera; atque in una parte tantum plebeii sunt, in altera patricii. Vocatur etiam *secessio* motus civium aliquid probabili causa petentium, nec inferentium bellum. Gocl. H.

Fuit

Fuit *secretarium* locus judicii separatus (1), in quo causæ capitis tractari solebant (2); civiles enim sub dio, & apertis foribus agebantur, turba adstante, uti ex Plinio apparet (3). In criminalibus autem, cum testes separatim examinandi, & rei quæstionibus dandi, resque ob gravitatem suam interioribus animis esset ponderanda, in hunc locum, ut a multitudine hominum separati essent judices, conventum fuit (4); cui inde & nomen secretarii impositum. Præterea clausum erat cancellis, ad quos notarii & scribæ adstabant (5). Intra

(1) Nardinus in Rom. vet. l. V. c. 8. p. 1179. 1182.

(2) An & civiles graviores? dubium sane est. Cassiodorus l. VI. varior. ep. VIII. ubi secretarii mentionem injicir, agit de criminalibus. Non ibi advocatus aderat, non se partes solemni actione pulsabant; erat secretarium impolluta seditione confusum, & adpellabatur abusive judicium, ubi non adlegabantur a partibus dicta prudentium. Basilius M. ep. 79. ad Eustath. *Οι του κοσμου τουτου αρχοντες, οταν τινα των κακουργων θανατῳ παραδικαζειν μελλωσιν, εφελκονται τα παραπετασματα; καλουσι δε τους εμπειροτατους προς την υπερ των προκειμενων σκεψιν, και πολυν ενσχολαζουσι χρονον*. Clemens Rom. const. apostol. quæ habentur in coll. op. S. Patrum Apost. I. B. Coterelii, edita a I. Cotelerio Antw. 1698. f. vol. I. l. II. c. 2. pag. 257. *Θεασησθε δε και τα κοσμικα δικαστηρια. -- λεγουσι τῳ κακουργῳ, ει ταυτα ουτως εχει; κακεινου συγκαταθεμενου, ουκ ευθεως επι την κολασιν αυτον εκπεμπουσιν, αλλα πλειοσιν ημεραις ποιουνται, αυτου την εξετασιν μετα συμβουλιου πολλου, και παραπετασματος μεσου*. Addatur l. pr. §. ult. C. ubi senat. vel clariss. qua locus iste, ubi causæ capitis tractantur, secretarium nominatur. Sane ejusdem aditum ac consessum non omnibus patuisse, ex leg. 3. C. de Offic. Div. judicum & l. 2. C. de prox. sacr. scrin. colligo, siquidem ibi statutum, ne iis, quibus consistorium imp. ingrediendi facultas præbetur, ejus ingressus, aut sedenti cum judice societas denegetur.

(3) Ep. XIV. lib. II. Si quando transibis per basilicam, -- facilis divinatio est.

(4) Hinc quoque locus examini testium destinatus in l. 14. C. de test. secretarium vocatur.

(5) Vnde cancellariorum nomen. Polletus For. Rom. lib. V. c. 12. p. 505.

Intra hos vela adfixa erant, quæ, si judices huc consulatum venirent, obducebantur (1); sententia denique intra hæc concepta, vel extra illa (2) e tabula recitabatur. Hinc levato velo, de rebus, quarum cognitio neminem fugere debebant, uti de rebus naufragio perditis, cognoscere jubent Honorius & Theodosius impp. l. 5. C. de naufr. Ab hoc *secretarium* quidem *senatus* differebat; in illo tamen conveniunt, quod & in hoc instar secretarii judicum disceptatæ fuerint capitis causæ, siquidem sæpius evenire solebat, ut eæ vel mandato Principis speciali Senatui committerentur (3), vel a tribunalibus ad eum devolverentur (4). De hoc lapis apud Gruterum p. 170. n. 5. Salvis. Dominis. Nostris. Honorio. Et. Theodosio. Victoriosissimis. Principibus. Secretarium. Amplissimi. Senatus. Quod. Vir. Inlustris. Flavianus. Instituebat. Et. Fatalis. Ignis. Absumpsit. Flavius. Annius. Eucharius. Epifanius. V. C. Præf. Vice. Sacra Jud. Reparavit. Et. Ad. Pristinam. Faciem. Reduxit.

SE-

(1) V. Basilii, & Clementis loca alleg. n. 2. Chimentellius de honore bisellii c. 17. ex quo excerpsit Pitiscus ant. rom. Lex. T. II. p. 987.

(2) Ex actis S. Eupilii Nardinus Rom. vet. l. V. c. 8. p. 1182. Cum esset extra velum secretarii Euplius Calvisianus consularis, intra velum ingrediens sententiam dictavit, & foras egressus adferens tabulam legit: Euplianum Christianum edicta principum contemnentem, & Deos blasphemantem gladio animadverti jubeo. Id. ex actis S. Claudii, & socior. ib. Lysias introgressus obduxit velum: postea exiens ex tabula recitavit sententiam. Io. Columbus in not. ad Lactantii locum.

(3) L. 5. C. de Naufr.

(4) Exempla vid. apud Suet. Tib. c. 59. Sub idem tempus, Acta res in senatu. Id. Domit. cap. 11. quosdam majestatis reos — puniendi condemnarentur;

Secretum, ita I. M. Gesnerus in biogr. acad. gotting. V. H. p. 171. non semper occultum quiddam significat; sed potest in clara luce positum, & tamen secretum esse, si gradibus elevatum, si conclusum cancellis, si satellitum stationibus, aut quocumque modo munitum sit, ne accessus temere & sine discrimine omnibus pateat. Hinc *secretum judiciale* eamdem fere vim habet, ac si tribunal diceres. Ammia. Marcelli XV. 7. p. 97. Gronov. ubi sedatam seditionem enarrat: *vulgus omne, inquit, paullo ante confertum, ita evanuit, ut turbarum acerrimus concitor (in loco publico, celebri, omnibus patente) tamquam in judiciali secreto exaratis (per tormenta, cum post terga manibus vinctis suspensus esset) lateribus -- ejiceretur.* Add. I. 14. C. de testibus, ubi judicantis secretum vocatur. *Secretum* simpliciter locum judicio denotat. Hesychius σεκετρον, interpretatur συνεδριον, glossæ autem nomicæ σεκετρον δικαστηριον. Zonaras in Concil. Carthag. Can. 18. σηκρητα τα κριτηρια τοις λατινοις ωνομασαι. σεκερνω γαρ αυτοις το διακρινω. Hæc sunt *secreta judicis* etiam Cassiodoro in formula cancellarii, s. var. II. 6. de quibus ita more suo argutatur: *Latere non potest, quod inter cancellos egeris. Tenes quippe lucidas fores, claustra patentia, fenestratas januas. Et quamvis studiose claudas; necesse est, ut te cunctis aperias. Nam si foris steteris meis (Rex Theodoricus loquitur) emendaris obtutibus: si intus ingrediaris, observantium (quid si obversantium?) non potes declinare conspectus.* Et ne putes, rhetoricari tantum senatorem, & hoc inculcare, nihil esse tam occultum, quod non proferat in lu-

in lucem dies ; addit: *vide, quo te antiquitas voluerit collocari : undique conspiceris , qui in illa claritate versaris* (1) . Hinc ergo, qui in his judicialibus secretis ministrarent , dicti sunt a *secretis* , appellatione non antiqua illa quidem , (ut nempe ipsum *secreti judicialis* , nomen receptum est) sed ad similitudinem tamen sexcentorum . id genus formata . Nondum laudatus est antiquior auctor Justiniano l. 5. C. Qui militare possunt extr. *Ut in scholaribus atque candidatis fieri modis est ; nec non in laterculensibus , & pragmaticariis , vel* a secretis *contingit* . Græci hinc formarunt unum nomen , ασηκρητις , cujus auctoritates suppeditat in Glossario Ducangius . Sequior ætas latine loquentium *a secreta* vocavit , Ita certe Carolus M. de

(1) An huc etiam referemus *secreta judiciorum*? quorum mentionem facit Ulpianus l. 41. pr. ad L. Aquilliam : *Utilius est in factum & injuriarum agi , si injuriæ causa* secreta judiciorum *publicavit* . Non putamus . Hinc enim de tabulis testamenti depositis ad hoc ipsum sermo est, ne ante tempus publicentur. Ita neque huc referendos putamus duo locos Philostrati , quibus non satis circumspecte utuntur in hac re viri docti , quosque ponemus integros, cum sint alia causa notabiles , nempe ad hoc , si quis excutere velis illam de prætorio disputationem , Perizonium inter & Huberum agitatam , in qua neuter Philostrato , si bene attendimus , usus est. Sunt autem isti , In vita Apollo 4. 44. p. 185. Olear. Tigellimus , εφ' ω το ξιφος ην του Νερωνος (ut ait c. 42. extr. id est præfectus Prætorii) απολαβων (ut Marci 7. 33. απολαβομενος) τον Απολλονιον ηνεγκεν ες το απορρητον δικαστηριον (secretum tribunal) εν ω περι των μεγιστων η αρχη αυτη αφανως (occulte) δικαζει . Et. ibid. 7. 17. extr. pag 298. Ælianus ipse quoque præfectus prætorii (c. 16. pr. το βασιλειον ξιφος ην επ' Αιλιανω τοτε) παρελθων ες το απορρητον δικαστηριον , εν ω τα μεγαλα ελεγχεται και σιωπαται , χωρειτε , εφη ενθενδε , και μηδεις επακροασθω , δοκει γαρ τω βασιλει τουτο · ως δ' εγενοντο αυτοι , (cum soli essent) κ. τ. λ. Ex c. 21. apparet , hoc δικαστηριον fuisse extra pallatium , c. 22. illud δικαστηριον pr[illegible]ium interpretatur recepta Oleario versio .

de Imag. IV. 9. pr. *Mox ut Leontius a secreta conspexit, magnum se sui erroris emolumentum invenisse cet.* Ceterum ab his secretis dictum videtur *secretarium* (1) id est, locus in quo judex, sive præfectus ipse prætorio, sive rector provinciæ adeo jus dicit, convenitque adeo, quantum ad ipsam rem, cum tribunali (2), & cum auditorio (3), pro quo Constantini ætate, ut ipsum *secreti* nomen, adhiberi videtur cœpisse. Ipse Imp. Constantinus L. I. C. Theod. de officio rectoris provinc. *Non sit venale, inquit, judicis velum, non ingressus redemti, non infame licitationibus secretarium, non visio ipsa præsidis cum pretio.* Quæ indicant, seclusam quidem turbam, & interdum solos consuluisse judices, sed ad ipsa judicia, & sententiam admissos omnes, qui sua interesse putarent. Sic Impp. Valentinianus & Valens l. 2. C. Theod. *Judex non in secessu domus de statu hominum vel patrimoniorum sententiam referat, sed apertis secretarii foribus intro vocatis omnibus, aut pro tribunali locatus, & civiles & criminales controversias audiat.* Hinc *secretaria publica* vocantur l. ult. C. Th. de denunciat. & edit. rescript. Et Justinianus l. ult. C. pr. ubi senatores vel clarissimi civiliter vel criminaliter conveniа-

(1) Exstat juris dissertatio de ingressu in secretarium judicum, & cum his considendi societate viris honoratis competente, & de honorariis dignitatibus, auctore I. De Calende universitatis Aurelianensis antecessore & decano. Aureliæ 1674. 4. Constat p. 33. sed nihil me novi docuit.

(2) V. Gesneri progr. de Sipario Quinctiliani opusc. T. I. p. 90. seqq.

(3) Vid. Huberus de præfecto prætorii p. 94. edit. Perizon. 1696. 8.

veniantur : *Eo qui in crimen vocatus erit, ne quas ante probationes injurias patiatur, sedendi quoque in aliqua secretarii parte, quæ judicibus inferior, altercantibus autem superior esse videatur, habituro licentiam*. Et l. 3. *Quoties viri illustres — in querimoniam fuerint criminalem vocati; & sedendi, cum celebratur cognitio in secretariis judicantium jus consequatur, etc.* Ita Impp. Honorius & Theod. l. 5. C. de prox. sacr. scrin. constistituunt, ut : *sicut reliqui; qui in scriniis memoriæ militant, liberum cum ordinariis judicibus ingressum secretarii consessumque habere legibus meruerunt : ita hi quoque — consedendi ingrediendive secretarium sibi sciant licentiam contributam*. Idem statuunt Impp. Theod. & Accadius l. 1. eod. itemque l. ult. C. de officio div. jud. it. L. 1. C. Th. de offic. jud. civ. & l. 5. & 7. C. Th. de proximis, comitib. dispos. Verum alii quoque hujus *secretarii* mentionem faciunt. Lactantius de mortib. persecutor. c. 15. p. 119. *Ne cui (christiano) jus diceretur, aræ in secretariis, ac pro tribunali positæ, ut liticatores prius sacrificarent, atque ita causas suas dicerent*. Quæ quidem res audientiæ episcopali, si non originem, altius sine dubio repetendam a consilio Apostoli 1. Cor. pr. *certe ingrementa dedit procul dubio*. Tib. Donatus ad verba Virgilii Æn. I. 505. *Tum foribus divæ*, hæc adscripsit, *quomodo est judiciorum omnium consuetudo. Ducuntur judices usque ad fores secretarii, ibidemque (ante fores adeo) officium (comites, satellites) remanet; illi vero ingressi solium ascendunt & sedent. Omnes igitur, qui in obsequio fuerant, cum procederet regina, armati*

ante

ante fores remanserunt, *illa ingressa est cum inermibus*; *qui eam sequebantur*. S. Fulgentius Homilia de eo, quod ait Michœas Propheta c. 3. pr. p. 213. *Intra in secretarium cordis tui*, *ubi soli te videant oculi Domini Dei tui*. Possis putare hic *secretarium* esse quemlibet recessum, locum secretum, adytum (1). Sed videamus etiam, quæ præcedunt. Quærit, quid sit facere judicium apud Michæam? Judicium, ait; dicitur conventus, ubi accusatio & defensio cujuslibet hominis agitatur &c. Addamus etiam, quæ addit Ruspensis Episcopus: *ibi te accusa*, *ut valeas accusatione defendi*; *ibi te convince*, *ut victoriam possis adipisci*: *ibi te condemna*, *ut merearis absolvi*: *ibi te puni*, *si vis ab æternæ punitionis supplicio liberari*. Apparet de nostro illum secretario loqui in quantum tribunal est, de quo addemus duo tantum loca, alte-

(1) Sic videtar accepisse Barth. Adverf. 19. 11. ubi ait; laudato h. l. Secretarium hoc usu pro loco secreto omnino notandum est, nec subit nunc exemplum &c. Sed non habebat scilicet libros ad manus, cum ista commentaretur, vir infinitæ lectionis: alioquin primo non quæsiturus hic erat generalem illam loci secreti & occulti notionem: deinde occursura erant illa loca Apuleii de mundo p. 64. 39. Ignes, qui terræ secretariis continentur, prætereuntes aquas vaporant. Et Florid. 17. p. 358. 20. Avibus hæc secretaria magis congruerint. Sed ista secretaria ad nostram rem non valde pertinent; nec illa quidem, quæ ecclesiis adjuncta legimus. varii illa usus, de quibus Vossius de vitiis serm. 3. 48. Savaro ad Sidon. 5. p7. p. 531. Valef. ad Ammian. 15. 7. p. 97. & copiosissime Ducangius h. v. Vnum tantum ponemus Sulpicii Severi locum Dial. 2. 1. seq. *Ubi b. Martinus secretarium ingressus*, *cum solus*, *ut illi erat consuetudo*, *resideret*, (*hanc enim sibi etiam in ecclesia solitudinem permissa clericis libertate præstabat*) *cum quidem in alio secretario presbyteri sederent*, *vel salutationibus vacantes*, *vel audiendis negotiis occupati* -- *Illud non præteribo*, *quod in secretario sedens*, *numquam cathedra usus est*. Prætermimus alios secretariorum usus in thesauris; vestibus, aliisque asservandis &c.

rum Sulpicii Severi, apud quem Dial. 3. 4. 2. ſ. Martinus tendit ad prætorium Avitiani Comitis, & 8. 2. Secretarium ejus ingreditur: alterum Caſſiodori Var. II. 26. ubi Cornicularium ita commendat: *præfuit enim cornibus ſecretarii prætoriani, unde ei nomen eſt derivatum*. Cornibus, inquam, ut recte pro vulgato curibus vel juribus legit Jac. Gothofredus ad l. 10. Cod. Theod. de cohortalibus ſ. Tom. II. p. 506. 6. novæ edit. Videntur autem cornua ſecretarii dicta, ut cornua tribunalis.

Securus & *Tutus* ita: Ne ſit ſecurus, qui non eſt tutus ab hoſte. Diſtinctius Landinus ad Hor. Carm. I. 26. Securus eſt, qui non timet, etſi immineat periculum. *Tutus* vero eſt extra periculum, quamvis etiam timeat. *Se* veteres pro *ſine* dicebant, quod conſtat ex legg. XII. tabb. *Securus* igitur eſt ſine cura, vel ex levitate animi, vel quod cauſas habet non metuendi, c. Geſn. Theſ. v. ſecurus.

Secus, *ſecius* & *ſequius* nonnulli ita diſtinguunt, ut *ſecus* ſignificet aliter, vel male, ſic *ſecus* decurſum aquarum feruntur ſalices; *ſecus* ac Juniperi, qui ſicco gaudent, Comenius. *Secius* minus; *ſequius* deterius aut pejus. Suet. in Tiber. Multi etiam ſecus admiſſa in Rempublicam exſtant, Tacitus: Interrogatus a Conſule, quid de his cenſeret, quæ de Matre ejus locuta ſecus argueretur, reticuit. Virg. Æn. V. v. 862. Currit inter tutum non ſecius æquore claſsis. Varro in Tanaquil. Non modo abſens quidquam de te ſequius cogitabit, ſed etiam ruminabatur humanitatem. Livius Lib. I. Invitus, quod ſequius ſit, de meis civi-

civibus loquar. Mihi videtur, illa duo Secius & Sequius omnino eadem esse, nec magis differre, quam Arcus & Arquus, Oculus & Oquulus, de quibus Libro primo dixi.

Segnitia est tarditas, sic segnis omnia agit segniter, qui aliter agere segnitie prohibetur. *Socordia* est stupor & remissio. *Illa* corporis; *Hæc* animi, *illa*, quæ in agendis iis, quæ provisa, consultaque sunt, remissior est, *hæc*, quæ nihil excogitare & invenire potest, quod ad rem sit. *Illa* ad agendum, *hæc* ad considerandum. Plaut. Asin. Quin tu Socordiam omnem rejice, & segnitiem amove. Ter. in And Enimvero, Dave, nihil loci est segnitiæ atque socordiæ. Ubi Donatus; Segnitiæ ad agendum; Socordiæ ad considerandum. Livius lib. I. Jam segnius socordiusque oppugnabant.

Segregari dicitur quis a meretrice, *sejungi* ab uxore. Donat. R.

Sella & *lectica* multis partibus diversæ erant. In *sellis* v. c. magistratus, jus dicentes, per urbem portabantur. In *sella* (α) semper unus ferebatur, in *lectica* etiam plures. (β) In *sella* sedebant, uti indicat ipsum vocabulum, in *lectica* vero cubabant, uti ex Lipsio notat Schefferus de re vehiculari. Intelligendum id de more ordinario; extraordinariis enim occasionibus etiam in lecticis sedebant, teste Mercuriali de arte gymnast. III. 2. (γ) *Sella* erat altior, *lectica* longior, idque omnino erat necessarium, quia in sella aliquis posse debebat sedere; in lectica vero jacere & cubare; quo respexisse videtur Iuvenalis sat. III. 135. cum tibi vestiti scorti facies placet, hæres & du-

bitas alta Chionem deducere sella. (*d*) *Lecticas* sellis digniores fuisse docet Lipsius elect. c. 19. idque probare contendit ex Suetonio Domit. c. 2. Habitabat cum patre una, sellamque ejus ac fratris, quoties prodirent, lectica sequebatur. Casaubonus ad h. l. ita commentatur: Sella igitur lectica dignior? ita videtur colligi ex hoc loco posse. Sed si de curuli intelligas, non de vulgari sella, plane ruit, v. Schefferus de re vehic. & Alstorphius de lecticis p. 257. Ita etiam *cathedra* & *sella*. Lipsius, cui adstipulatur Schefferus de re vehic. II. c. 4. p. 64. *sellas* communes fuisse conjicit sexui utrique, *cathedras* pertinuisse tantum ad mulieres. Viri tamen molliores quoque uti *sellis* muliebribus non abnuerunt. Suet. Oth. c. 6. Tunc abditus propere muliebri *sella* in castra contendit. Quæ his *sella* muliebris, ea apud Iuvenalem sat. I. 64. cathedra. *Cathedra* alias ubique, nisi ubi sit respectus ad mollitiem muliebrem, de solis usurpatur feminis. Phædrus III. 9. Hi speculum, (in cathedra matris adpositum fuit) pueriliter ludentes forte inspexerunt. Martialis XII. ep. 38: ad Candidum: Hunc qui femineis noctesque diesque cathedris incedit. Ab his cathedris feminarum fertoriis distant earum cathedræ domesticæ, de quibus Scheffer. l. c. Gesn. thes. v. cathedra.

Sella & *sedes* plurimum differunt. *Sella* integra est & tota fabrica, *sedes* vero una illa tabula, cui insident, quamque occupant, qui *sella* utuntur. *Sedile* quoque adpellarunt, ut adeo rectissime dicat Chimentellius de honore bisell. c. 24. *sedile* proprie ea pars, quam sede premimus,

quo-

quomodo in actis D. Marci vocatur, quæ Henr. Valesius profert ad Eusebii H. E. VII. 19. in cujus cathedræ *sedili*, cet. planitie scilicet illa lignea, omni exuta fulcrorum, pedum, ornatu aut instrumento. Sicut *sedile* pars *sellæ*, ita & *sedes*; eadem enim est ratio utriusque vocabuli, nisi *sedile* de viliori genere *sellæ* cum quibusdam capere velis, ut adeo, qui in *sella* poscit sedem cum alio, non *sellam* aliam in ea poscit, verum locum, in quo possit sedere. Et hinc explicandus Tacitus ann. II. 33. Ac ne dum in urbem vehitur, ad pœnitentiam a L. Vitellio, P. Largo Cæcina mutaretur, in eodem gestamine sedem poscit, sumitque. Errat igitur hic Lipsius in notis, quando ait; Apparet tamen in eodem gestamine plures *sellas* fuisse; non enim plures erant *sellæ* in eodem gestamine, sed sedes, vid. Alstorphius de lecticis vet. p. 197. seq.

SEMENTIS est ipsa satio; *seges* nondum demessa; *fruges* fructus terræ & arborum. Valla IV. 24.

SEMINARIUM est, ubi seminantur arbores, *Arbustum* locus, quo transferuntur jam grandiusculæ factæ. Christoph. in Virg. E. 3. R.

SEMPITERNUM ad Deos pertinet; *perpetuum* proprie ad homines. Ceterum *perpetuum* est, quod intermissione, *sempiternum* autem atque *æternum*, quod fine caret. Goclen. Donat.

SENATORES erant actu tales, ad *Ordinem senatorium* pertinebant etiam filii Senatorum & familia. R.

SENATUS *consultum* & *Senatus auctoritas*. Vid. Acron. Tom. II. p. 167. R.

SENATUS *consultum* est, quodcumque Senatus de

pluribus singulisve rebus aut hominibus censuit. Sed *senatus decretum*, quod de singulis dumtaxat, non pluribus, rebus aut hominibus *senatus* constituit, ut cum alicui provincia, honos, supplicatio decernitur.

SENES adpellantur, qui usque ad senilem ætatem pervenerunt; *Veteres*, qui superioribus temporibus vixerunt. Sunt ætate *senes*, *veteres* vixere priores. Ita *senes* sunt, *veteres* fuerunt. Aliquando tamen *veteres* dicuntur *senes*, ut *vetulum* pro *sene* dici, notissimum est. Ter. in Eun. Hic est *vetus*, vietus, veternosus *senex*. Lucil. XIV. Satyr. (1) Nam *vetus* ille Cato dignum quemcumque lacessit. Varro in Bajis: Quod non solum *innubæ* fiunt communes, sed etiam *veteres* puellascunt, & multi *pueri* puellascunt. Antiqua Inscriptio; Aruncitani Veteres Et Iuvenes Opt. Civil. Alia: Arbocrisenses Juvenes Et Veteres Statuam In Foro Posuere.

SENSUS sunt, qui sentiunt, ut, gustus, tactus, *sensa* sunt, quæ sentiuntur, velut objecta *sensus*, & concepta *mentis*. Cic. de Orat. Et quod exprimere dicendo *sensa* possumus. Interdum tamen *sensus* accipitur pro sententia, ratione, & voluntate. Lucr. II. Quod movet, & varios *sensus* expromere cogit. Liv. I. Ut elicere omnia arcana, specularique abditor ejus *sensus* posset.

SEQUESTRES sunt, apud quos pecunia deponitur. *Interpretres* sunt, apud quos inducitur pactio. Pædian. R.

SE-

(1) P. 169. ubi ex Capro, quem Priscianus lib. X. in Verbo Lacesso citavit, sic allegata sunt invenienda: Nam vetus ille Cato lacessisse adpellari, quod conscius ipse non erat sibi.

Sequimur pedibus; *imitamur* moribus; *adsequimur* studio. Alias: *Sequimur* vestigia; *imitamur* mores. H.

Sepulcra aut privis fiebant hominibus, vel conjugibus, aut omni familiæ, posterisque. Privorum, conjugumque adpellabantur *requietoria*, aut *loci*. Augustin. de C. D. l. 1. Testantur hoc martyrum *loca*, & basilicæ Apostolorum. Idemque videre est in jure & inscriptionibus e. c. P. Scanthius. Philetus. Fecit. Sibi. Et. Sanctiæ. Nice. Lib. Requietorium. In alia apud Gruterum pag. 1030. Sibi. Et. Conjugi. Carissimæ. Requietorium. Fecit. Addere juvat tertiam: Requietorium. Amici. Bene. Facere. Semper. Studiosus. Fui. vid. Kirchmannus de funer. pag. 399. Vocabantur hæc sepulcra etiam *ossuaria* & *cineraria*. Jam omni familiæ, posterisque facta esse sepulcra, docent præter alia antiquæ inscriptiones: Fecit. Sibi. Posterisque. Hæc intelligit Ovid. Met. XIII. At, pute, funeribus dotabere regia virgo: Condeturque tuum monumentis corpus avitis. Ea autem dicebantur *loci communes*. Artemidorus I. 80. Κοινος ο τοπος ουτος καλειται, ο τους νεκρους δεχομενος. Cic. Verr. 6. Dico nihil istum ejusmodi rerum in provincia reliquisse, -- nihil in ædibus cujusquam, ne in oppidis quidem, nihil in *locis communibus*, ne in fanis quidem. Iustinian. instit. II. t. 1. in *communem* autem *locum* purum invito socio inferre non licet. Etiam *familiaria sepulcra*, it. *hæreditaria*, ff. XI. 7. l. 1. Hæc docet Taubmannus ad Plaut. Cas. p. 365. s. Latinis interdum *locum* de sepulcro dici, docet etiam Salmasius ad inscriptionem Herodis p. 50. 67. 209.

Alio ſenſu Horatius ſerm. I. 8. 10. commune accepit ſepulcrum : Hoc miſeræ plebi ſtabat *commune ſepulcrum*. Ad quem locum ita Turnebus : Cum olim, qui locupletes erant, in ſuis fundis aliquid loci ſepulturæ ſeponerent, & ibi haberent privata ſepulcra ſibi familiæque ſuæ, aut hæredibus, plebs, quæ agris fundiſque carebat in loco communi ſepulturæ deſtinato, humabatur, ſepulcrumque commune vocabatur, ubi ſepeliebatur. Hinc etiam apud Catull. 66. 89. Troja, ubi tot heroes ex Aſia, & Europa occubuerant, & compoſiti fuerant, commune vocatur ſepulcrum Europæ Aſiæque. Intelligendus igitur venit Horatius de Cœmeterio. Dubitat quidem Dilherrus elect. I. 18. talem locum communem, tale receptaculum vel aream veteribus in uſu fuiſſe, cum Servius, & Iſidorus teſtentur, olim omnes homines in domibus ſuis ſepultos fuiſſe. Verum id quidem de antiquiſsimis temporibus, non autem poſterioribus. De diſcrimine requietorii & loci communis lexicographi fere nihil definivere.

Sermo omnium gentium eſt, *loquela* cujuſque gentis dialectus propria. *Sermonem* cum amicis producere interdum ſolemus in multam noctem, ſed *lingua* eſt vel latina, cet. Sunt tamen loca veterum ſcriptorum, quibus ſermo uſurpatur pro lingua, v. g. ſermo patrius.

Sermo, & *contentio* diverſum habent ſignificatum. Cic. Off. I. 37. *contentionis* præcepta rhetorum ſunt, nulla *ſermonis*. *Contentio* eſt oratio acris & vehemens ad confirmandum, & confutandum accommodata, *ſermo* oratio remiſſa, & finitima quotidianæ locutioni. *Sermonis* uſus omnibus

est communis, *contentio* oratorum propria. Cic. Off. II. 14. *sermo* ad usum quotidianum pertinet; *contentio* ad curiam & forum. *Ille* ad gratiam; *hæc* ad gloriam conciliandam plurimum facit.

SERTUM & *serta*, cum nihil adjicimus, dicitur, ut: *Sertisque* recentibus halant: Et: *Serta* procul tantum capiti delapsa jacebant. Si autem *sertos* dixero, addo flores; si *sertas*, addo coronas. Notandum autem, quod *sertum* Gen. Neutr. *coronam* quoque, sive *corollam* significet, h. e. circularem textum eorum florum, qui capiti redimendo apti sunt, ac destinati. Leg. Paschalii lib. I. de Coronis; cap. 12. p. 35. seq. ut Lucanus: Accipiant *sertas* nardo florente coronas.

SERVIRE & *servum* esse separat Quinctilianus lib. V. ita, ut *servire* latius pateat. Nam serviunt etiam famulus, addictus & nexus, licet liberi, *servus* est is solum, qui servilis conditionis est.

SERVITUS est sub domino; *servitium* patientia servi facit.

SERVITUS (1) est necessitas; *servitium* est multitudo servorum. H.

SERVO, *asservo*, *reservo*, idem est, ac in tempus futurum aliquid repono; *conservo* est præsentem statum continuo; sed *retineo* est non dimitto. H.

SERUM ad negotium pertinet; *sero* ad tempus, sic *sera* Dei pars *serum* est; sed *sero* maturescens fructus est serotinus. Corn. Front.

(1) *Servitium*, multitudo est Servorum. *Servitus* conditio serviendi: Sed veteres indifferenter *servitium* & pro servitute posuerunt. Virg. Æn. III. *Servitio* enixæ tulimus. Fl. Sosipp. R.

SESTERTIUS dicitur quarta pars Denarii. Itaque cum Denarius decufsi, id eſt, decem Aſsibus æſtimabatur, tum *ſeſtertius* duobus Aſsibus & Semiſſe permutabatur. At cum ſexdecim Aſsibus Denarius æſtimatus eſt, tum *ſeſtertius* quatuor Aſſes valuit, auctore Plinio lib. XXXIII. *Seſtertium* valet mille *ſeſtertiis* Nummis, ſuntque idem mille Nummi & *ſeſtertium*, ut quod Varro lib. III. de R. R. ſcribit. Multum emtum octo *ſeſtertiis*; hoc octo millibus Nummum dixit Macrobius in Saturnal. & quod Tacitus in Annal. lib. II. Capiendis pecuniis poſuit modum uſque ad dena *ſeſtertia*, hoc Plinius lib. V. Epiſtol. Peractis tamen negotiis permittebantur pecuniam duntaxat decem millium dare.

SEVERITAS auctoritatis eſt; *accuratio* ſollicitudinis; *diligentia* laboris. Gocl. H.

SIC ad exemplum; *ita* ad rationem communiter refertur. H.

SIDUS (1) eſt ſignum fixum, in quo plures *ſtellæ* inſidunt, ut Aries, Taurus, Perſeus, Andromeda, & ſi quod aliud nota, aut forma aliqua in cælum receptum eſt. *Stella* eſt erratica, & ſola fertur, non admiſtis aliis *ſtellis*, ut Lucifer, Vergiliæ, Veſperugo & reliquæ omnes toto cælo ſparſæ. Cic. VI. de Republica: Hiſque animus datus eſt ex illis ſempiternis ignibus, quæ *ſidera* & *ſtellas* vocatis. Lucr. II. Non cadere in terram *ſtellas*, & *ſidera* cernis. Quanquam interdum *ſidus* pro

(1) Signa dicuntur eadem & ſidera. Signa, quod aliquid ſignificant ut: libra, æquinoctium. Sidera, quæ inſidiantur, atque ita ſignificant aliquid in terris perurendo. Varro R.

pro ſole & luna, aliquando (ſed fere numero multitudinis) pro *ſtella* uſurpant Cicero, Quinctilianus, & Poetæ; ut quod dixit Lucretius: *Sideribus* fixum cælum; Hoc Virgilius IV. Æn. 481. ſeq. & VI. 796. ſeq. ubi verba, ut & loc. priore ſic ſonant: Cælifer Atlas axem humero torquet, *ſtellis* ardentibus aptum; Sed *ſtella* pro *ſidere*, ſive ſigno, apud nullos Auctores reperitur. Itaque vera, & perpetua eſt illa differentia, quam poſuimus; etſi Valla aliter ſentiat.

Sidus non ſine aſtris; *Aſtra* non ſine ſidere. H.

Differunt *ſiglæ*, & *notæ*. Cl. Erneſti in Clau. Cic. v. nota de hoc diſcrimine copioſiſsime diſputat. Notas, inquit, de quibus Cic. Orat. III. 44. loquitur, alii interpretantur ſiglas, quum pro ſingulis verbis litteræ ſingulæ ponuntur, alii formulas actionum, alii obſcura verba, alii ſigna, quibus verbum unum, aut plura exprimebantur, cujuſmodi ſunt adjecta corpori Inſcript. Gruteri, quam ſententiam probarem & ipſe, ſi res & locus Ciceronis pateretur. Primo nulla eſt neceſsitas dicendi, notas fuiſſe ſigna ejuſmodi. Nam per notas ſcribere, ut e Suet. Aug. 88. Cæſ. 55. conſtat, etiam dicitur, quam integra quidem verba litteris ſcribuntur, ſed ita, ut litteræ non ſuam ordinariam vim habebant, ſed v. c. d pro a, e pro b ponitur. Ergo omnis ratio ſcribendi occultior eſt per notas. Cujacius Obſ. XII. c. 40. diſtinguit quidem notas a ſiglis, & eſt certum, non omnes notas eſſe ſiglas, neque tamen propterea *ſiglæ* non ſunt *notæ*; itaque & ipſe locum Ciceronis de ſi-

glis

glis interpretatur. Illas autem ſiglas vix putem tam vetuſtas, ut de his aut ſimilibus Cicero intelligi poſsit. Ergo ſiglæ ſunt ſpecies notarum & litteræ ſingulares ſine coagmentis ſyllabarum, ut, quum ſcribimus S. vel S. P. D. Conf. Geſn. in theſ.

SIGNIFICO aliquid minus, aliquanto plus declaro: Cic. Fam. V. 13. Hoc ſæpius dicendum, tibique non ſignificandum ſolum; ſed etiam declarandum arbitror. Vavaſſ. p. 592.

SIGNUM, & *ſtatua* ita differunt, ut genus & ſpecies. Nam *ſignum* eſt exemplum & Dei, & hominis, & bruti; *ſtatua* (1) eſt Dei tantum, & hominis. Ita *ſtatua* omnis ſignum eſt; non contra. Et *ſtatua* ponitur in foro, aut in alio publico & conſpicuo loco; *ſignum* in templis, vel ædibus privatis: Cato in Orat. Uti præda in publicum referatur, miror audere atque Religionem non tenere. *Statuas* Deorum exempla earum facierum, *ſigna* domi pro ſupellectile ſtatuere. Præterea *ſignum* interdum dimidiam habet eminentiam, & hæret in ipſa materia, in qua vel inciſum eſt, ut in gemma; vel incruſtatum, aut affixum, ut in vaſe cælato, vel intextum, ut in veſte. Virg. I. Æn. 652. Pallam *ſignis* auroque rigentem; *ſtatua* vero integra undique & ſolida prominet, nec materiæ, unde facta eſt, inhæret. Ab utroque differt *tabella*, quæ penicillo exprimitur.

SIGNA, & *vexilla* ſæpe jungunt Hiſtorici; inter quæ hoc intereſt, quod *ſigna* erant oblongæ haſtæ,

(1) Vid. Emundi Figrelii liber ſingularis de Statuis Illuſtrium Romanor. cap. 23. p. 199. ſeq.

stæ, in quarum summitate breve transversim affixum lignum ad formam Crucis cum titulo Cohortis, ut Cohort. 1. aut 2. Ideoque dicuntur in specie *signa militaria*, quando nempe eriguntur, & a Signiferis gestantur, propugnanda ab Antesignanis. In genere autem dicuntur *signa* notæ rei arte curiose inditæ. *Vexilla* erant parva vela. *Illa* habebant Cæsarum ex auro argentove Imagines innexas a summo ad medium; *hæc* quoque eorum Nomina præferebant. Suet. Ner. Inter *signa militaria*, atque *vexilla*. Id. Vespas. Nomenque ejus *vexillis* omnibus sine mora inscripserunt. Tac. I. Hist. Medium inter *signa* Otthonem *vexillis* circumdarent. Id. II. Correptis *signis vexillisque* ruere. Hinc manarunt elegantes & usitatæ locutiones, *signa* movere, *signa* inferre, concurrere infestis *signis*, sub *signis* ducere, habere; item *vexillum* flagitare, pro velle exautorari, ad *vexillum* ducere, sub *vexillo* retineri, id est, exautoratum esse; quæ legenti Libros Historicorum occurrunt.

SIGNUM, & *meta* differunt. Hyginus ita: Conspiciamus *signum*, quod est inter B & A prolato exiguum per rigores ferramento normaliter paucis dictabimus *metas*. *Signum* aut capiebatur longinquo conspectui oblatum, vel arbor, vel saxum, vel aliquid tale eminens, vel manu ponebatur. Hyginus, prehensis in longinquo conspectu *signis*. Ponebatur manu, ut ex his Frontini constat: Cujuscumque loci mensura agenda fuerit, eum circumire ante omnia oportet, & ad omnes angulos signa ponere. Hinc signi positi sæpius mentio apud auctores. At *metæ* in uno rigore plures si

forte

forte dictabantur, rigor ipse dictari dicebatur. Per metas lineam extendi debere, ait Hyginus, per quam agrum cultellabant. Spissiores igitur poni vel dictari solebant. Frontinus: *Metis* ad ferramentum positis, per ipsam erit dictandum. Videntur sane & cum signis, quae ponebantur, eamdem esse. Frontinus: Conspectum *metarum* saepe excedimus, & ex eo loco iterum rigorem conspicimus. Plura Salmasius exerc. Plin. p. 480.

SILET, cujus loquentis sermo comprimitur, ab ipsa significatione litterae S. *Tacet*, qui ne loqui quidem coepit. Front. *Silere* proprie est eorum, qui revera loqui possunt. *Tacere* autem est tum loquentium, tum non loquentium. *Silet*, qui nondum coepit loqui, *tacet*, qui desinit. *Silere* proprie est eorum, qui jam loqui coeperunt. Aliis *silere* idem est, ac nihil soni edere. Illud enim *silet*, quod nihil sonat; *silescit* autem quod sonare desinit, ut fiat *silentium*. *Tacere* est & loquentium, & non loquentium. Plaut. Poen. *Siletequo* & *tacete*, atque animum advertite. Cic. pro Sylla, Cum ceteri de nobis *silent*, non etiam nosmet ipsi *tacemus*. Confunduntur tamen interdum, ut quam Catullus *tacentem* noctem, eamdem Virg. IV. Æn. 527. & VII. Æn. 90. 102. & seq. *Silentem* dixit. Et idem rursus II. Æn. 255. ubi pro noctis voce vox lunae in pluribus Editionibus nequaquam inique est substituta. *Tacita* per amica *silentia* noctis.

SILICES erant lapides quadrati, (*Duaderstucken*) quibus apte junctis viae Romanae sternebantur, *glareae* lapiduli erant, quibus terrae fos-

sae

ſæ implebantur. Tibull. l. 8. 57. Namque opibus congeſta tuis hic *glarea* dura ſternitur, hic apta jungitur arte *ſilex*. Acerr. T. II. pag. 853. R.

SIMUL (1) notat conjunctionem temporis, interdum etiam denotat idem, ac ſimili ratione, una atque conjunctim. *Una* conjunctionem loci & facti. Unde dicuntur *ſimul* fuiſſe, qui eodem tempore fuerunt; *una*, qui in eodem loco. Cic. ad Marium; Proxime fuimus *una*.

SIMULACRA deorum ſunt, *umbræ* inferorum; *animæ*, quæ cælum petunt. Servius. Id. ad Æn. III — & nunc magna mei ſub terras ibit imago. Bene, inquit, imaginem dixit. Valde enim quæritur apud philoſophos, quid illud ſit, quod inferos petat? nam tribus conſtamus, anima, quæ ſuperna eſt, & originem ſuam petit, corpore, quod in terra deficit, umbra, quam Lucretius ſic definit; Spoliatus lumine aer. Ergo umbra, ſi ex corpore creatur, ſine dubio perit cum eo, nec eſt quidquam reliquum de homine, quod inferos petat. Sed deprehenditur, eſſe quoddam ſimulacrum, quod ad corporis noſtri effigiem fictum inferos petit; & eſt ſpecies corporea, quæ non poteſt tangi; ſicut ventus; cet. Poetæ confuſe vel ſimulacrum, vel umbras dicunt. Vetus quoque doctrina fuit, circumvolare umbras, donec conſumta ſint corpora. Vid. Fabri lex. t. II. p. 698. & Materni de Cilano pr. de anniv. Rom. februatione Alton. 749.

SI-

(1) Simul locum demonſtrat, una congregationem. Cornel. Front. R.

Simulare (1) est referre & effingere id, quod est: *Dissimulare* est artificiose & astute aliquid celare, ne intelligatur, seu ea, quæ sunt, non aperte prodere, *insimulare* autem est per *simulationem* criminari. Itaque *dissimulamus*, quæ sunt; *simulamus*, quæ non sunt. Cic. I. off. Quædam *simulabit*, aut *dissimulabit* vir bonus. Salluft. in Catilina: Cujuslibet rei *simulator* & *dissimulator*. Arnob. lib. 2. *Simulare* in hominibus discerent, *dissimulare*, mentiri.

Sine particula negationis, *præter* exclusionis est.

Singulare in suo genere est unicum, *eximium* est præstantius, inter multa genera. Goclen. H.

Sinus est genus vasis, quod cum significatur, si producitur; cum *gremium* significamus, si corripitur. Servius.

Sinus est vas fictile ventrosum, *sinus* est laxitas vestimenti supra cingulum, cui indimus aliquid. H.

Sobrini ex duabus sororibus, seu sunt duarum sororum filii; *consobrini* ex *sobrinis* nati, Goclen. seu ex fratre & sorore, cum ex fratribus *patrueles* dicuntur. Donat. H.

Socius differt a participe. *Particeps* est, qui certam habet partem, non divise agit, ut *socius*, Pædian. R.

Societas in utramque sumitur partem; *conjuratio* in malam. Goclen. H.

Sola-

(1) *Simulare* est fingere scire, quæ nescias: dissimulare fingere nescire, quæ scias. Non. Dissimulamus nota, simulamus ignota. Dissimulamus, quod sumus; simulamus, quod non sumus. Serv. R.

SOLATIUM & *solamen* in rebus ipsis est, *consolatio* fit verbis, Valla IV. 77. Nec tamen hoc discriminis perpetuum est.

SOLLICITUDO est, quæ inhæret mentibus, *sollicitatio*, quæ ab alio fit. *Sollicitudo* rerum incertarum magis est. Donat. R.

SOLUS est relictus; *unus* ex multis; *unicus* inopia aliorum; *solitarius* semper sine aliis. H.

SOLUERE alicui est satisfacere; *solvere* aliquem est liberare. H.

SOMNUS est sensuum quies, & quidem naturalis & placida; *sopor* est profundus, & plerumque noxius, ut temulentorum, fessorum, & ægrotorum. M. Cœlius in Anton. Namque ipsum offendunt temulento *sopore* profligatum. Id. ibid. semisomno sopore inter manum centurionum concubinarumque jactabatur. Plinius; Curandum, ne *somnus sopor* fiat.

SORDIDUS est, qui sordibus, vel illuvie squallet, ut dissolutus, aut avarus; *sordidatus* est, qui *sordida* veste, & obsoleta amictus est, ut reus. Ille natura, vel instituto; *hic* necessitate fit urgente. Unde *sordidum* natura; *sordidatum* autem sordidum factum dicitur. Ter. in Heaut. II. 3. 56. Scin hanc, quam dicit *sordidatam* & *sordidam*; vel habitu *sordidatam* & veste, corpore *sordidam* & illuvie *sordidatam*, refertur ad illud pannis obsita. *Sordidam* ad illud, neglecta, immunda immunditie. Westerhovius ad eumdem locum hæc adjicit: Est vero *sordidus* natura & moribus talis, *sordidatus*, qui habet vestes sordidas ex occasione quadam. Ita *sordidati* erant rei, lugentes & in periculo constituti. Suet. Vitell. 15.

Primo diluculo *sordidatus* descendit ad rostra, quamquam hæc distinctio non semper obtinet. Plaut. Asin. II. 4. 90 --- quamquam ego sum *sordidatus*, frugi tamen sum. Hinc sordes pro ipso reatu. Suet. Aug. 32. Diuturnorum reorum, ex quorum sordibus nihil aliud, quam voluptas inimicis quæreretur, nomina abolevit. Gesnerus tamen hunc ipsum Plauti locum in thes. ita interpretatur, ut *sordidatus* sit sordide indutus.

Sortem in nascendo, *industriam* in faciendo esse, veteres dicebant. Ter. in Adelph. Ego profecto ingenio egregie ad miseriam natus sum. Cic. 3. Verr. Homo factus ad istius libidines. Pædian. R.

Sortiri id est, sorte decidere, & *comparare*, id est, collatis inter se sententiis & voluntatibus mutuo cognitis constituere, decernere, inter se differunt. Liv. XXIV. 10. Decretumque omnium primum, ut consules *sortirentur*, compararentque inter se, uter censoribus creandis comitia haberet, priusquam ad exercitum proficisceretur. Eodem modo discerni videas *sortem* & *comparationem* Liv. VI. 30. Manliis Volsci provincia sine sorte, sine comparatione extra ordinem data est. v. Brissonius de formul. 2. §. 166. & Gesneri thes. v. comparo.

Species divisio est generis; *specialitas* ficta est ab Antonio (Gniphone) Grammatico; *specietas* qualitatis. Corn. Front. R.

Species rerum præsentium est, quod quasi aspicitur, *fama* rerum absentium. Serv. R.

Spectacula loca sunt, unde spectamus, *spectamenta*, quæ spectantur. Corn. Front. R.

Spe-

SPECULATOR in malam; *Legatus* in bonam partem sumitur. Sive *Speculatoris* (i. e. *Exploratoris* alienorum consiliorum) nomen est infame; *Legati* honorificum. Goclen. H.

SPECULUM est, quo ora ac imagines animantium rerumque redduntur; *specularium* est, quod lumen transmittit, & transfundit in ædes, ut hodie per vitreamina & chartacea fit; sic dictum, quod olim fiebat ex lapide *speculari*, quem Hispania dabat, qui vitri modo pellucidus in quaslibet tenues crustas findebatur, ut tradit Plin. lib. 6. Seneca ad Lucilium; Quædam nostra demum memoria prodiisse scimus, ut *speculariorum* usum, perlucente testa, clarum transmittentium lumen. *Specula* (quando speculationem significamus, generis est fœminini. Serv.) significat locum, ex quo despicimus: Virg. X. Æn. v. 454. conf. lib. III. Æn. v. 239. seq. Utque leo, *specula* cum vidit ab alta &c. Martialis VIII. Epigr. XIV. v. 3. s. Hibernis objecta nothis *specularia* puros admittunt soles, & sine luce diem. Heic legit Editio Langiana pro sine luce, nequaquam inique sine fæce.

SPERATA sponsa dicitur, quæ nondum petita est; dehinc dicta Pacta, *Promissa* dicitur. Non. Plaut. in Amph. Amphitruo uxorem salutat lætus *speratam* suam. Virg. II. Æn. v. 678. Conjux quondam tua dicta relinquor. Id. X. Æn. 79. Gremiis abducere *pactas*.

SPINUS Masculino genere prunorum arbor vocatur; *spina* vero Fœmin. Sentes. Servius.

SPIRARE viventis est, *expirare* mortui. Agræt. R.

Spiritus plus significatur dicendo, quam si *animositas contentiove* diceretur. Pædian R.

Splendet artificio, ut aurum, argentum, *fulget* natura, ut ignis, sol. Front. R.

Splendidus & *illustris* quum conjunguntur, συνονυμως & significatione una eademque veniunt. At quum conjunctio geminatur, & splendidus & illustris, videtur intelligi necessario diversitas significationis verborum, sive significatio augeatur, sive non. Cic. V. de fin. 9. atque his de rebus & *splendida* est eorum & *illustris* oratio, v. Vavassor antib. p. 593.

Spoliare est non minimam partem auferre, *mutilare*, aliquid detrahere, sine quo res esse non possit, unde *mutili* dicti sunt boves, aut capri sine cornibus, *lacerare*, cum omnino non habeas, quod imminuas. Donat. R.

Differunt *sponda* & *pluteus*. Isidorus: *Sponda* exterior pars lecti, *pluteus* autem interior. Sic lectos in cubiculo collocabant veteres, ut parieti proprius admoverentur, nec in medio essent positi, quod etiam hodieque solemus. Sic illa pars, quæ parietem spectabat, & pluteo muniebatur, & interior *sponda* vocabatur. Ad *pluteum* mulieres cubabant, viri autem in priore *sponda*. In lectis tricliniaribus non minus, quam cubicularibus, *spondæ* & *plutei* dicebantur, sed contrario modo. Nam *sponda* pars interior lecti tricliniaris adpellabatur, & quæ mensæ admovebatur; exterior vero *pluteus*. Ideo puellæ & pueri, qui in deliciis, priores accumbere dicebantur, quum in gremio amatorum suorum jacerent, nec pluteum tangerent. Scipio Africanus de Sulpicio Gallo.

Qui

Qui in conviviis adoleſcentulus cum amatore, cum chirodita tunica interior adcubuerit. Salmaſius. Cel. Geſnerus in theſ. v. pluteus ita: Nominatim in lecto *pluteus* eſt tabula perpendiculariter ultra *ſpondam* eminens, quæ in cubiculari lecto ad parietem ſpectat, in tricliniari autem a menſa averſa eſt. De tricliniari ſeu diſcubitorio Suet. Cal. 26. Quoſdam ſummis honoribus functos — cœnanti modo ad pluteum, modo ad pedes ſtare — paſſus eſt. De cubiculari autem Martial. III. 91. exciduntque ſenem, *ſpondæ* qui parte jacebat: namque puer pluteo vindice tutus erat. *Sponda* ſimpliciter exterior pars, ubi jacet, qui minus timet, *pluteus* elevatior tabula, adfixa pars, & inſuper ad parietem verſa.

Spondere & *deſpondere* ita diſtinguit Donatus Comment. in Ter. ut *ſpondeat* puellæ pater, *deſpondeat* adoleſcens, ut: *Deſpondeat* puellam, qui petit; *ſpondeat* autem, a quo petitur. Sed ubique hæc Donati differentia non obſervatur. Illud tamen obſervari ſolet, ut *ſpondere*, vel *deſpondere* puellam, non adoleſcentem dicamus. Sibi quoque adoleſcens uxorem *deſpondere* dicitur. Leg. Goclenii L. L. Obſervationes p. 248. H. Fr. Hotomannus inquit: Hæc futilis grammaticorum obſervatio eſt, nam *deſpondendi* verbum videmus paſſim promiſcue tum in adoleſcentis, tum in puellæ patre, tum etiam matre & fratre, atque ipſo adoleſcente uſurpari. Cic. ad Att. 2. Tulliolam C. Piſoni Frugi *deſpondimus*, pro Cluent. Tum illa *deſpondet* & filiam ſuam.

Sponsio & *compromiſſum* ſunt res diverſæ. In judiciis *ſponſiones*, in arbitriis *compromiſſa* fieri

folebant; *illud*, nisi vere actio intenderetur, *hæc* si damnatus arbitri sententiæ pareret. *Compromittere* dicuntur, qui hinc inde promittunt, se arbitri sententiæ staturos. Inde comprimissarius judex. *Compromissum* ipsum erat certa pecunia ab utroque litigatore mutuo promissa, nisi arbitri sententiæ pareant. *Sponsio* autem in judicio de certa pecunia fiebat, quam daret, qui vel tota causa, vel quæstione, quæ in causam incideret, victus esset. Provocans *sponsione* dicebat; *spondeo*, me tantam pecuniam daturum, ni, cet. Provocatus autem contra restipulabatur. Heineccius antiqu. R. IV. tit. XI. §. 4. In caussis bonæ fidei & arbitrariis aliquando deponebatur pecunia, quæ *compromissum* appellabatur. Cic. pro Rosc. Com. c. 4. Quæro abs te, quid ita de hac pecunia *compromissum* feceris, arbitrum sumseris. quantum æquius, melius sit dari, repromittique, si pateret. Quum enim periculum esset, ut alterutra pars arbitri sententiæ staret, plerumque hæc pecunia deponebatur, ut multæ loco eriperentur ei, qui hoc modo elusisset arbitrum.

SPONTE facere & *invite* facere inter se opponuntur. *Ultro* facit vero, qui non expectat, dum rogetur aut admoneatur, aut provocetur, ut faciat. Præterea *sponte* etiam locum habet in rebus inanimis, ut cum dicimus, corpora gravia sua *sponte* deorsum ferri, *ultro* vero tantum in rebus animatis, atque adeo in his, quæ rationis sunt participes. Servius ad Virg. Æn. II. 145. ita: *Ultro* non est *sponte*, nam jam rogaverat, sed insuper, & venit ab eo, quod est ultra, quia plus, quam rogaverat, præstiterunt. Scilicet amplius

plius quid notat *ultro*, quam *sponte*. Id enim *ultro* fieri dicitur, quod præter exſpectationem fit, & præter, quam fieri adſolet. Ter. Eun. I. 1. 1. Quid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem, quum arceſſor *ultro*? & mox v. 24. -- te *ultro* adcuſabis & dabis ei *ultro* ſupplicium. Id igitur vult Simo, veniſſe Chremetem præter morem gentis atticæ, & præter ſuam ipſius ſpem. Docuit tamen cel. Geſnerus in theſ. v. *ultro* proprium vocabuli *ultro* vim in eo eſſe, ut initium aliquod actionis ſignificet ab eo, unde non exſpectabatur. *Ultro* quum aliquid fieri dicimus, nihil præceſſiſſe indicamus eorum, quæ alias ſolent. Itaque interdum per inſuper reddi poteſt, interdum *ſponte* videtur ſignificare.

Squallens, ſplendens ſignificat, quod a *ſquammis* venit, ut: *Squammis* auroque trilicem. Nam a *ſquallore* ſordidum ſignificat, ut *ſquallentem* barbam. Soſip.

Stagna & *piſcinæ* differunt Plinio H. N. L. XXXII. 2. E manu veſcuntur piſces in pluribus quidem Cæſaris villis, ſed quæ veteres prodidere, in *ſtagnis*, non *piſcinis* admirati. *Stagnum*, judice Geſnero in chreſtom. plin. p. 806. erat locus, quo ſponte & ſine opera humana aqua erat collecta, *piſcina* autem lacus, ab hominibus effoſſus, vel piſcium ſervandorum cauſa, vel alius commodi. In *ſtagnis* piſces majore fruuntur libertate.

Diſtat *ſtatio* ab *excubiis vigiliiſque*. De ſtationibus ita Lipſius L. V. de Milit. Rom. p. 87. ſ. Romanis mos fuit totas cohortes & turmas habere, & ponere quietas ante ipſas portas -- Id vocabant

 ab

ab ipsa re *stationes*. Stabant enim. Cæsar B.C.II. quæ in *statione* pro castris erant Afranii cohortes. Palam hic pedites habes; at equites in Sallust.Iug. Neque secus, ac si hostes adessent, iter facere, castra munire, excubitum in porta (potius portas) cohortes ex legionibus, pro castris equites auxiliares mittere; it. in Liv. VII. Manlius supra castra hostium cum turmalibus suis evasit, ut vix teli jactu ab *statione* proxima abesset. Ibi Thusculani erant equites. Distinguunt passim *stationes* a *vigiliis*. Liv. XXVIII. In *stationes* ac *vigilias* ordine ibant. Tac. Ann. I. *vigilias*, *stationes*, ac si qua alia præsens usus indixerat. *Excubiæ* & *vigiliæ*, testibus Vegetio & Polybio, e quatuor viris, contra *stationes* e pluribus, immo integris turmis aut cohortibus constabant.

STATURA significat corporis quantitatem, ut *statura* eminens, brevis: *Status* (1) est corporis habitus, dispositio & σχῆμα, Ter. in Eun. Videre nimium vellem, quis esset *status*? Donat.

STILLARE, est guttas emittere ex corpore, *extillare*, ipsum corpus guttatim finire. Donat. R.

STIMULAMUR inviti; *excitamur* etiam ultro. Goclen. H.

STIRPS in significatione generis & sobolis, fœminino genere dicitur, ut ait Virgil. heu *stirpem* invisam; sed cum arborem & materiam significat, masculino, modo *stirpem* rectum. Virg. Sed *stirpem* Teucri nullo discrimine sacrum sustulerunt. Sosipat.

STO-

(1) *Status* est circa gestum situmque membrorum, *figura* circa ornatum, & habitum vestis, insignium, & armorum. Pædian. R.

STOLIDUS significat hebetem, agrestem, aut ineptum; *vanus* est levis, inconstans atque fallax. Sallust. I. Hist. At Cn. Lentulus patritiæ gentis, Collega ejus, cui cognomentum Clodiano fuit, per incertum *stolidior*, an vanior. Lucret. I. Sed vanus *stolidis* hæc omnia finxerit error. Tac. II. Annal. Inerant & alia hujusmodi *stolida*, ac vana. Gellius XVIII. tradit: *Stolidos* vocari non tam stultos & excordes, quam tetros & molestos, & illepidos, quos Græci *μοχθηρους και φορτικους* dicunt; vanos autem esse mendaces & infidos & levia, inaniaque pro gravibus & veris astutissime componentes. Atque ita Sallustium his vocibus usum. Quod mihi quidem non videtur. Neque enim Sallust. notavit Lentulum, ut morosum pariter & mendacem, sed ut ineptum, & impetu magis, quam ratione utentem, tum etiam levem, & inconstantem, sicuti Livius dixit lib.III. Levius enim vaniusque profecto est, sua Decreta & Consulta tollere, quam aliorum.

STOLIDUS est ad naturam brutorum; *stultus* (1) imprudens; *fatuus*, qui nihil sapit. H.

STIPENDIUM a *tributo* ita differt, ut species a genere. Nam *stipendium* proprie est, pecuniaria militum merces, seu, quod confertur in mercedem militum; *tributum* autem est, quod in quemcumque usum reipublicæ tribuitur. Ita omne *stipendium* est *tributum*, non contra. Quod sensit Pomponius Juriscon-

(1) *Stultus*, hebetior corde, sicut quidam ait: Ego me ipsum *stultum* etiam existimo, fatuum esse non opinor, h. e. obtusis quidem sensibus, non tamen nullis. Plaut. Bacch. 5. 1. v. 2. Isiodorus lib. X. R.

risconsultus l. 27. D. de Verb. sign. cum *stipendium* etiam *tributum* appellari, ait. Sed ab imperio Augusti, qui cum populo provincias est partitus, cœpit alia harum vocum differentia, atque eadem fere; quæ ærarii & fisci. Quippe *stipendium* dictum, quod bello victæ provinciæ Cæsari quotannis pendebant; *tributum*, quod populi in ærarium inferebant. Unde prædia alia *stipendiaria*, alia *tributaria*, auctore Theophilo. Paulus Iurisconsultus lib. XIII. D. de Impen. in Red. Neque *stipendium*, neque *tributum* ob dotalem fundum præstita. Ulpian. ad Sabin. 17. Quoniam & alia onera adnoscit usu fructu legato, utputa *stipendium*, vel *tributum*, vel *salarium*.

Strabo oculos distortos habet, *luscus* uno captus est oculo. Gocl. l. c. H.

Strabo plus vitii habet, quam *pætus*. Hor. I. sat. III. 44. -- *strabonem* adpellat pætum pater. Scholiastes ita ad h. l. commentatur, *strabo* dicitur, qui est distortis oculis, *pætus*, qui leviter declinatis, cujus huc aut illuc tremuli volvuntur. Hoc autem decere magis, quam dedecere videtur, & venereum est; quare ipsa Venus pæta dicitur. Ovid. de Arte Am. II. 659. Si pæta est, Veneri similis: si flava, Minervæ. conf. Gesn. annot. ad Hor. l. c.

Stria & *strix* in hoc differunt, cum utraque sit in eo columnarum genere, quod striatum dicitur, ut *stria* sit pars eminula, *strix* vero pars cava, vel canaliculus & sulcus, quo stria una ab altera discernitur: *striges* sunt die hohlen Furchen, *stria* die erhabene Falzen an den Saulen. Vitruv. L. III. ult. columnarum striges faciendæ sunt XXIV.

ita

ita exacuatæ , ut norma in cavo ſtrigis cum fuerit conjecta , circumacta , ita anconibus ſtriarum dextra ac ſiniſtra angulos tangat , ut acumen normæ circumrotundatione tangendo pervagari poſsit. Id. IV. 3. circa ſtrigium cava & angulos ſtriarum.

Studium animi eſt ; *Diſciplina* artis . Front. R.

Stupor eſt Stultitiæ ; *Furor* Inſaniæ . *Furor* eſt majus ; *Stupor* minus . Deinde *ſtupor* eſt intelligendo & in re cognita ; *Impudentia* poſt rem cognitam abjectus Pudor . Denique *ſtupor* eſt Inclinatio & minus ; *Stupiditas* eſt Habitus & majus. Goclen. H.

Stuprum in virginem & viduam ; *adulterium* in nuptam ; *inceſtus* in conſanguineas & ſacras . H.

Suademus facilia ; *perſuademus* difficilia ; *ſuadere* facientis eſt ; *perſuadere* perficientis . Valla V. 50.

Sub nonnunquam pso clam ponitur . Vt : ſubripuit , clam rapuit : aut fere notat aliquid ſubditum . *In* aut intus ſignificat aut minus , aut valde , & in compoſitione pro non ponitur , ut : indoctus . Corn. Front. R.

Subduci dicuntur , quæ nolumus amittere , *ſupponi* , quæ non deſideramus . Donat. Subducimus , & quæ retro ſubtrahimus , & quæ in promtu offerimus bello. Salluſt. Catilina , optimum quemque in primam aciem ſubduxit . Agræt. R.

Subsideo & *ſubſido* diverſum habent ſignificatum . v. Burmannus ad Quinct. II. p. 127. & ad Lucan. p. 226. *Subſideo* notat ſubtus ſedere vel fundum petere , *ſubſido* autem deorſum cadere , deſcendere , ſitque cum motu & motum ſignificat , v. Geſn. theſ.

Sub-

SUBTILE ab *acuto* distinguit de Orat. III. 66. stoici orationis etiam genus habent, fortasse *subtile*, & certe *acutum*, sed ut in oratore exile. De subtilitate Cicero dubitat, de acumine pronunciat. Vult igitur esse discrimen inter acutum & subtile. Non semper eodem modo utitur his verbis. Hic *subtile* est id, quod acriori ingenio repertum, & perspicacius est inventum; *acutum*, quod velut aculeis, & quibusdam rationum acuminibus viget. Hæc ex Strebæo Verburgius ad h. l.

Fr. Iunius in notis ad Tertull. de pallio aliud inquit, *subtegmen*, aliud *subtemen*. Nam *subtegmen*, sive, ut Augustinus in grammatica legit, *subtegimen*, est interior pannus, quo vestis suffulta est, commoditatis aut ornatus ergo, *subtemen* vero pars est interior panni velamentum, η ενδον επιτολη, quæ stamini subest, ut trama η εξωθεν επιπολη, superior pars, quæ trameat stamen; diciturque ut tela, a texendo temen; hinc, quod subtexitur, subtemen dictum, v. Taubm. ad Plauti Merc. p. 919. Sed cl. Gesnerus subtegmen & subtemen pro synonymis habet. Dicitur scil. *subtemen* seu *subtegmen* filum, quod sub stamine texitur. Neque tamen negat Gesnerus, recentiores a proprietate vocabuli nonnunquam discessisse.

SUFFRAGIA populi, & quæ honorant, dicuntur, & quæ donantur. Cic. de Præfectura Urbana: istum vix ullis populi suffragiis redimere potui. Agræt. R.

SUMIMUS, quæ posita sunt; *accipimus*, quæ porriguntur. *Sumimus* ipsi, *accipimus* ab alio, quod datur, sive rem datam capiendo tollimus.

SUPER est, quod eminet; *supra*, quod substratum

cum aliquid habet; *ſubter*, quod a re aliqua ſuperiori premitur & conculcatur; *ſubtus*, quod demiſſum altius non contingitur. Agræt.

Super notat continuum, eique reſpondet ſubter; *ſupra* notat interjectum ſpatium, eique reſpondet intra; *ſupra* de re & loco, *antea* de tempore.

Superbia eſt a ſuper habendo & eſt proprie ſupergradiens mentis elatio: *arrogantia* autem etiam in pauperem cadit. Corn. Fr. H.

Supervacaneum eſt, quod non neceſſarium eſt; *Supervacuum* eſt, quod abundat & ſuperfluit. Sall. in Catil. Illis ſupervacaneum eſt pro potentia paucorum pugnare. Quod ſumſit a Demoſthene, qui in Oratione περι ϛεφανϗ ait: ϗτος δε εκ περιϗσιας μϗ κατηγορει h. e. Huic autem *ſupervacaneum* eſt me accuſare. Gellius lib. I. Quod *ſupervacaneum* eſſet, ac non neceſſarium. Et mox: Supereſſe alias dixiſſe pro ſuperfluenti, & ſupervacuo.

Supplicia de tormentis dicimus: *Supplicationes* de precibus divinis. Agræt. R.

Supremus, *ſummus* & *ultimus* & ſuperiorem & inferiorem ſignificat. Agræt. R.

Suspicax arguit; *ſuſpicioſus* recipit. Corn. Fr. H.

Sylva generale eſt; *ſaltus* ſylva denſa; *lucus* diis ſacra. Vid. ſupra. H.

Symbola eſt collatio eraniſtæ ad convivium: quiſque enim, quod ad manum erat, conferebat: mutato vero genere *ſymbolum* vocabant annulum, vel quidvis aliud, arrhæ loco ſolitum dari ei ſodalium, qui jubebatur cœnam parare. Caſaub. Animadv.

madv. in Athen. lib. III. c. 31. quid vero est *symbolus*? cet. Front. R.

Silentium auspiciorum proprium verbum erat, eoque nomine, prout Cicero interpretatur', appellabant, quod omni vitio carebat. Festus inter *sinistrum auspicium* & *silentium* hoc interesse ex Atteio Capitone scribit: Quod sinistrum in auspicando lætum & prosperum auspicium significet; at *silentium*, ubi dumtaxat vacat vitio: Igitur *silentio* surgere quum dicitur, significat non interpellari, quo minus rem gerat, *sinistrum* vero hortari quoque auspicia ad agendum, quod animo quis propofuerit, conf. Gesnerus in thes. v. *silentium*.

T.

Tabularium (Leg. 92. D. de Legat 3.) est publicum; *Tablinum* privatum. Nam *Tabularium* erat repositorium instrumentorum & litterarum, seu locus publicus adservandis instrumentis & tabulis, in quibus omnia prædia, pascua, vectigalia, portoria, redemtionesque publicanorum perscripta erant; *Tablinum* vero erat locus in ædilibus proxime atrium, in quo veteres Romani cœnabant, & tabulas rationum suarum reponebant. Quid autem proprie *tabulustrum*, seu rectius, *tabilustrium* sit, docet Varro lib. V. de LL. p. 49. Id. I. de Vita populi Rom. Ad focum hyeme ac frigoribus cœnitabant, æstivo tempore in propatulo, rure in cohorte, in urbe in *Tablino*, quod Menianum possumus intelligere, *tabulis* fabricatum. Plin. XXXV. *Tablina* codicibus

bus implebantur, & monumentis rerum in Magistratu gestarum, Virg. II. Georg. 502. Insanumque forum, aut populi *tabularia* vidit. Liv. XLIII. Censores extemplo in atrium libertatis adscenderunt; & ibi signatis tabellis publicis, clausoque *tabulario* & dimissis publicis servis. Vetus Inscriptio: C. Calpetanus Statius Sex. Metronius M. Perpenna Lurco P. Sartius Decianus Curatores Tabularior. Publicorum Fac. Cur.

Tabularium, quod & in optimae notae auctoribus, item lapidibus, ut apud Mabillon. Init. Ital. p. 126. & Gruterum aliquoties occurrit, dicitur Graecis ἀρχεῖον, uti ex inscriptionibus aliisque testimoniis probat Tob. Gutberlethus animadv. in inscript. smyrneens. p. 138. seq. Paulo ICto archium l. 4. sent. tit. 6. §. 1. Ulpiano Archium vel Grammatophylacium l. 9. §. 9. D. de poenis, Glossis MSC. e Bibliotheca Regia Paris. quas citant du Cange & Gutberletus χαρτοφυλάκιον, Tertulliano Apolog. c. 19. aliisque Archivum interposito (v). Accepit & alias postero tempore apud Romanos appellationes, ubi ut totius summa reipublicae, ita documentorum etiam publicorum ad principes pervenit custodia: v. g. Sanctuarii Caesaris v. Siculum Flaccum p. 16. ed. Goes. scriniorum principis vel palatinorum, ut obliviscar aliorum, quae recentioris sunt aetatis. Adi, quorum opera nobis licuit esse breviores, praeter laudatum Gutberlethum l. c. du Fresne gloss. med. & infimae latin. §. Archivum, Lynckerum diss. de archivo imperii p. 4. Schultingium ad locum Pauli supra excitatum, Ahasu. Fritschium tract. de

jure

jure archivi & cancellariæ c. 1. T. I. Opusc. var. p. 409. denique Tob. Eccardum schediasm. de tabulariis antiqu. §. 3. p. 5. A *Tabulario* autem differt *Tablinum*, eo quod semper pro privatarum ædium parte usurpant auctores, Plinius hist. nat. l. 35. c. 2. Apulejus Florid. 4. in fine, Vitruvius l. *6*. c. 4. 5. ubi situm ejus describit. Conf, Dionys. Petavius notis in synes. encom. caluit. p. 27. Festus voce Tablinum & Ioseph. Scaliger castig. ad h. l. p. 203. aliique numquam, quod meminerim, pro publico hujusmodi tabularum receptaculo. Non satis idcirco accurate, mea quidem sententia, Grammatophylacium quod est in l. *9*. §. *6*. D. de Pœnis, vertit per Tablinum Guil. Budæus comment. ad pand. parte post. p. 135. in quo eo magis fallitur, cum ipse Plinium citans in testimonium, subjiciat de privato eum intelligere Tablino. Sed rectius idem forensibus p. *68*. §. Tabulario has voces discernit sua cuique restituta significatione. Differentiam hanc probe etiam perspexit Hadrianus Junius nomenclat, sub voce ædificium. Complures *Tabularii* descriptiones affert paullo ante memoratus Fritschius c. 1. §. 17. 18. 19. seq. Breviter definiunt Suidas, voc. Αρχεια, ενθα οι δημοσιοι χαρται αποκεινται, & Ulpianus l. *9*. §. *6*. D. de pœnis, ubi in publico instrumenta deponuntur. Paullo plenius dici potest locus publicus, ubi publica auctoritate asservantur tabulæ publicæ, h. e. leges, pacta, fœdera, instrumenta denique omnia, quæ custodiri reipublicæ interest, cum usui civitatis privatorumque, tum ut major documentis inde depromtis accedat fides.

fides. Cave ergo quælibet loca, præsertim templa non pauca numero, ubi majoris securitatis ergo apud veteres a privatis documenta deponi consueverant, item privatorum scrinia aut tablina ædium privatarum pro tabulariis accipias, utpote quæ recensitis in nostra descriptione destituuntur notis, v. Lynckerum de archivo imp. p. 7. not. (e). Quæ quum ita sint, miror in leg. 92. D. de leg. 3. a Paullo ICto tabularium dici pro privatis scriniis fundi, nescio cujus, in quibus & complurium mancipiorum emtiones, & fundorum & variorum contractuum, instrumenta, præterea & nomina debitorum continebantur, quod tamen an alibi hoc reperiatur sensu, valde dubito. Neque porro bibliothecas velim cum tabulariis confundas, aut publicorum documentorum asservationem ad bibliothecas, earumque præfectos pertinuisse, tibi persuaderi patiaris, licet persuadere laboret Sylvester Lurseuius de templo & bibliotheca Apoll. Palat. p. 126. seq. Novi equidem in bibliotheca templi Trajani, vel uti frequentius dicitur, Ulpia, latuisse vetera prætorum edicta, auctore Gellio l. 11. c. 17. item Senatusconsultum, teste Vopisco in Tacito c. 8. (1) Ast neminem profecto præter Lursenium futurum arbitror, qui inde concludendum existimet, Tabularium S. P. Q. R. fuisse hanc bibliothecam, eidemque publicæ custodiæ, fideique causa, illatas

(1) Adderem bibliothecam Antonianam, in qua memoriam provinciarum custoditam fuisse, Guido Pancirollus auctor est in præf. ad not. imper. p. 2. Sed vel memoria lapsus est Pancirollus, vel typothetæ errore contigit, ut ibi legamus bibliothecam Antoninianam, cum Publ. Victor. 9. Reg. illud non de bibliotheca, sed basilica Antoniniana affirmet.

fuisse tabulas publicas. Potius, si quid ego divinando valeo, istorum edictorum praetorianorum non tabulae authenticae, sed codex exempla complectens, ibidem asservatus fuit, ut historico atque litterario inserviret usui: pariter senatusconsultum illud, eam ob rationem in bibliothecam translatum fuisse videtur, quoniam Tacitus imperator ipsi sua manu subscribens, effecerat, ut merito ceu singulare κειμήλιον in illustri loco, atque adeo in bibliotheca Ulpia isto tempore inter romanas bibliothecas longe clarissima custodiretur ostentareturque. Reliquis vero Lursenii argumentis tam parum ad probandum inest roboris, ut ab unoquoque facile convelli possint, qui ne pictum quidem vidit philosophum. Amplius a Tabulariis probe distingui debent *secretaria* S. P. Q. R. quod idcirco monere visum fuit, quia pro iisdem habuere Lursenius, Lomejerus de biblioth. c. 6. aliique. Tabulis enim publicis custodiendis inseruisse nusquam inveni. Improprie denique αρχεια seu archiva & tabularia dicuntur loca in sanctis ecclesiis, ubi venerabilia vasa asseruantur, Nov. 74. c. 4. frequentius vero reconditoria codicum sacrae scripturae & chartarum ecclesiasticarum, item scrinia monasteriorum, in quibus documenta ad fundos eorum pertinentia, nec non tabulae donatiónum aliaque instrumenta continentur. De cujusmodi archivis conferri merentur Iust. Fontaninus Vind. Antiq. Diplom. l. 1. c. 2. 3. 4. & Mabillon. suppl. ad libr. de Re Diplom. c. 2. Adde Io. Wenckerum, qui loca huc spectantia ex utroque libro excerpsit suisque collectis archivorum p. 796. seqq. inseruit. Novissime vero, peculiari dissert. Altorf. 1728.

1722. habita, tabular. ecclesiast. historiam contexuit Io. Car. Beheim. v. M. Io. Godofr. Richteri Dissertat. de Tabulariis urbis Romæ Lips. 1736.

TACERE, *reticere*, & *obticere*, hoc differunt, quod *tacemus* consilia, *reticemus* dolores, *obticemus*, quorum nos pudet. Ter. Heaut. Ne *retice*, ne verere, crede, inquam, mihi. Id. in Eun. Virgo conscissa veste lacrumans *obticet*. Donat.

TACITURNUS est; qui facile tacet; *Tacitus* argutus etiam, qui potest aliquando tacere; seu *tacitus* tacet, dum non loquitur; *taciturnus* tacenda reticet & obticet.

Inter *talos* & *tesseras* intercedit discrimen. Cic. de Sen. 58. ex multis lusionibus nobis *talos* relinquant & *tesseras*. Confundit Isidorus XVIII. Orig. & Sen. in ludo Claudii. Distinguit Cic. etiam de Div. II. 85. 41. & Ovid. de A. A. 3. 354. v. Balengerus de ludis p. 59. Addo, tesseras etiam a Delrio in Comment. in Sen. Herc. fur. cum talis pro iisdem haberi; huic tamen Gronovius pater repugnat, & ex antiquitate demonstrat, tesseras fuisse a talis diversas, quippe talorum major numerus. In testimonii partem adducit illud Mart. IV. 115. non sum talorum numero par tessera. *Talis* enim quatuor ludebatur, *tesseris* communiter duabus, ad summam tribus Mart. XIV. 16. Tesseræ nempe binæ duodecim habebant puncta, si exsistant duo seniones, in quibus per tesseras numeratur usque ad XII. puncta. Videtur tamen senio junctus fuisse, dictus alias basilicus, item venus, cui opponebatur canicula. Lucem his dat obscuritate alias celeberrimus

vates Perſ. Sat. III. -- quid dexter ſenio ferret ſcire erat in votis, damnoſa canicula quantum cederet. Eumdem ſenionem Midam vocari, Suidas teſtis eſt: Μίδας ο εν κυβοισιν ευβουλοτατος: Midas in teſſeris conſultor optimus. v. Mich. Fr. Lochneri ſched. de lapide quadro ſinenſi p. 7. *Tali* deſcriptionem ex Stephano Londinenſi dedit cel. Geſn. in theſ. v. talus.. *Teſſera* erat cubus ſive ſolidum quadratum, a quaternis ſingulorum ſex angulis laterum dictum, τεσσαρος quatuor. A *teſſeris calculi* iterum differunt. v. Bulengerus l. c. p. 68. ſeu Martial. XIII. 17. hæc mihi biſſeno numeratur teſſera puncto, calculus hic gemino diſcolor hoſte perit. *Calculi* multa habebant communia cum eo luſu, quem ſcachum Schachſpiel vocant, v. Lucan. ad Piſones v. 78. ſ.

Inter *tardum* & *pinguem* multum intereſt. Turpius dicitur *pinguis*, quam *tardus*. Hor. I. Sat. III. 58. -- illi *tardo* cognomen *pinguis* damus. *Tardus* eſt homo cautus, *pinguis* ſtupidus, v. Geſn. ad h. l.

Tecta, ne videantur, *tacita*, ne dicantur. *Tecta* ſunt, ne hæc alii ſciant, *tacita*, ne ipſe indicet. Donat. R.

Tellurem deam & globum terreſtrem dicimus, *terram* vero elementum & ſolum globum. Serv. R.

Temerarius eſt, qui ſine reſpectu ſalutis objicit ſe periculis, dum autem agit temere, temerat ſua temeritate res, quas intemeratas eſſe conveniebat. *Audax* ſine ratione impetum facit. Ergo *audax* non providet; *temerarius* non timet. Corn. Fronto.

Te-

Temeritas ſine conſilio dicitur, *audacia* poſt conſilium. Agr.

Temperantia (1) eſt animorum; *temperatio* rerum; *temperies* cæli & corporis & aeris, & inprimis ventorum. Agr.

Temperare ſibi a mendaciis, eſt abſtinere; *temperare* rempublicam legibus eſt moderari. Proprie autem *temperare* eſt tempore & modo actiones menſurare, ſeu res diverſas proportionaliter componere. H.

Sunt, qui dicunt, *templa* eſſe ſingulorum diis attributorum locorum, *delubra* multarum ædium ſub uno tecto, a diluvio pluviæ munitarum, *fana*, unde fata petuntur. Alii *delubra* ea dicunt *templa*, in quibus ſunt labra corporum abluendorum, more Dodonæi Jovis, aut Apollinis Delphici, in quorum delubris lebetes tripodeſque viſuntur. Pædian. R. *Templum* (2) ædificium; *Eccle-*

(1) *Temperantia* abſtinentiam ſimul complectitur, eſt enim *temperantia* domeſtica & civilis, duobuſque modis in rebus commodis diſcernitur, & ea, quæ abſunt, non expetendo, & ab iis, quæ in poteſtate ſunt, abſtinendo. Cic. in Partit. Orator. R.

(2) Non vero templum ſolum loci ſacri propria notio eſt, ſed etiam ædem ſacram, delubrum, fanum, ſacrarium, ſacellum ſignificare invenimus. At quamquam priſcis temporibus inter hæc differentiam interceſſiſſe, certum eſt, progreſſu tamen temporum, & Ciceronis jam ævo, non uſurpatam ſcriptionibus latinis, eruditiſſimi viri adnotavere, Sam. Pitiſcus lex. antiqu. ſub templum, Bernh. Montfaucon T. II. P. I. pag. 46. Interim tamen non omnes ædes ſacras templa eſſe, ex Gellio lib. XIV. 7. diſcimus. *Ædes* enim *ſacræ* dicebantur eæ, quæ ad ſacrum quemdam eſſent conſtitutæ uſum, ipſa tamen augurationis lege non ſacræ redditæ erant. Iac. Gutherius in jure pontif. l. III. c. 2. Sic ædes Veſtæ ad ſacra peragenda patebat, conſecrataque a pontifice erat, minime tamen templum dicebatur, cum Numa non inaugurari eam voluerit, Gellius, l. XIV. c. 7. Gutherius c. l. Error vero, quod plerumque templum, & ædes ſacra confun-

sta cœtus hominum ; *Lucus* a densitate arborum ; *Fanum* a fando, *Sacellum* sine tecto ; *Delubrum*, quasi, in quo peccata diluuntur , *Bidental* ab ovibus bidentibus.

TE-

fundentur, exinde meo judicio originem sumsit; quod, quia omnes fere ædes sacras templa simul fuisse constant, & sanctas quoque reperies, dum sacra in eis facta scimus. Gutherius cit. loc. Pompon. Mela de situ orbis lib III. c. 6. cur sanctum sit, ossa Herculis ibi sita efficiunt ; Quod vero quivis scire posset, ac videre, an templum ædis sacræ locus esset, in postico ejus leges ponebant, quibus, an templa essent, descriptum legebatur. Hinc Festus in voce opima spolia: *Ædis lex nulla exstat, neque templum habeat, neque scitur.* conf. Plin. X. ep. 58. Porro *delubrum* venit, quod hanc admittebat differentiam, ut sub uno tecto multorum deorum simulacra haberet, templum vero saltem unius adservaret, uti Bernh. Montfaucon antiqu. explic. Tom. II. P. I. p. 46. Gutherus l. III. c. 3. adnotat. Quidam etiam delubrum, locum ante templum, ubi aqua currit, ubique labra abluendorum corporum mortuorum repetiuntur, autumant. Ad *fanum* quod adtinet, antiquissimis temporibus area loci sacri dicebatur, quod hinc & Varro de L. L. lib. V. a fando fines templi, derivat, templumque evadebat, si ei inædificaretur, Adr. Turnebus adversar. lib. III. c. 9. p. 79. Guther. de jure pontif. l. II c. 3. Et post modum templum parvum dictum fuisse jam Ciceronis tempore censent. Montfaucon l. c. *Hinc & fanum sistere idem loca in oppido futurorum sacrorum significare Festus. Fana, quod fando consecrantur, & est idem ac ædem assignare.* Lapis antiquus apud Gutherium l. III. c. 3. L. Vestorius. Zelotus Post. Adsignationem. Ædis Fortunæ Signum. Pantheum Sua. Pecunia. D. D. Illud certum, quod in eo etiam ab æde sacra diversum fuerit, quod peculiarem habuerit custodem, cui fani cura commissa, qui fani magister in antiquo lapide Guther. l. c. dicitur. Q. Peticio. M. F. Fal. Mag. Fani. Dianæ. Superest, ut de *sacello* pauca moneamus, cujus nobis descriptionem ex C. Trebatio de religionibus l. II. quod sit locus parvus deo sacratus cum ara, dedit Gellius l. VI. c. 13. Festo teste, est locus diis sacratus sine tecto. Neque ad privatos spectabat, ut sacrarium. *Sacrarium* erat locus in ædibus privatorum, quo deum aliquem privato cultu venerabantur, & ubi sacra reponebant, quod & in ædificio privato fieri potest l. 9. §. 2. ff. de div. rer. Pitiscus lex. antiqu. in sacrarium. Sed ad *sacellum* populo liberrimus patet aditus, eaque censorum cura erat, ne in privatorum ædibus, sed in publico esset, cujus rei testem vel maxime Livium l. LI. habemus, qui M. Æmilio Lepido, & M. Fulvio censoribus laudi tribuit, quod, complura sacella publica, quæ occupata essent a privatis, publica, paterentque populo, effecerint.

Temulentus vino, *temerarius* natura. Donat. in And. Sane pol, illa *temulenta* est mulier & *temeraria*. R.

Tendere proprie denotat rem trahendo in longum dilatare; deinde est cum nisu & contentione pergere; *pertendere* est pertinaciter & sine remissione insistere. *Illud* constantiæ; *hoc* pertinaciæ est. Virg. V. Æn. v.155. Locum *tendunt* superare priorem. Ter. in Heaut. Video, non licere, ut cœperam, hoc *pertendere*.

Tenuis significat diminutionem rei, *subtilis* vero acuitatem habet. Ergo laudatur *subtile* ingenium, *tenue* vituperatur. Christoph. Landinus in Virgil. R.

Teres & *rotundus*: hastam dic *teretem*, malum dic esse *rotundum*. R.

Tergum proprie est dorsum. Unde *terga vertere* pro fugere; *tergus* est corium, ut Virg. I. Æn. 215. *Tergora* deripiunt costis, & viscera nudant. Id tamen IX. Æn. 763. seq. *Tergum* pro *dorso* ponit his verbis: Hinc ruptas fugientibus ingerit hastas in *tergum*. Immo *tergum* dicit pro *corio*. I. Æn. 372. Taurino quantum possent circumdare *tergo*. Alias *terga* sunt hominum; *tergora* animalium. Sosip. H.

Terminus manu ponitur & proprie est, ubi aliquid incipit, aut desinit; *finis* generale est. H.

Terra & *solum* diversa sunt Servio Æn.V.199. Solum, *inquit*, *notat*, *unicuique rei quod subjacet*, *unde est solum navis mare*; *aer avium*; *stellarum cœlum*, conf. Lanbinus ad Hor. carm. Ind. 18. Terræ solum dicit Lucretius V. 213. Peculiari tamen ratione solum terra est, quia homi-

num & animalium est fundamentum. v. Gesn. thes. v. Solum.

Terror proprie est, qui aliis infertur, ut si dicas: Ille habet *terrorem*, h. e. timendus est, unde & *terribilis metus* dicitur, quem habent timentes. Sic *territamus* homines *terribilibus* minis, ut a malo *deterreamus*. Quamquam autem animus imperterritus terricula non curat; attamen te divini judicii *terror* a peccatis absterreat: Comenius.

Differentia inter *testamentum* & *codicillos* ex Plin. ep. 16. II. aperta est. *Codicilli* sunt scriptura, qua defunctus sine solemnitate voluntatem suam de eo testatus est, quod post mortem fieri voluit. Hi non idem possunt, quod testamentum, nisi illo sint confirmati. Proinde *testamenta* solemnius conscripta sunt codicillis.

Testari & *antestari*. *Antestari* est verbum legale, quando solebant testium aures tenere & ita dicere: memento, quod tu mihi in illa causa testis eris. Est ergo *antestari*, antequam manus injiciat. Acron. R.

Theatrum & *Amphitheatrum* quid differant, ostendit Plin. XXXVI. de C. Curione, loquens his verbis: *Theatra* duo juxta fecit amplissima e ligno, cardinum singulorum versatili suspensa libramento, in quibus utrisque antemeridiano ludorum spectaculo edito, inter se aversis, ne invicem obstreperent scenae, & repente circumactis, ut contra starent, postremo jam die descendentibus tabulis & cornibus inter se coeuntibus faciebat *Amphitheatrum*; & gladiatorum spectacula edebat. Et Cassiodorus lib. V. variorum: Cum *theatrum* hemisphaerium graece dicatur, *amphitheatrum* quasi in unum

unum duo juncta visoria, recte constat, esse nominatum. Isidorus dicit, *amphitheatrum* dictum, quod ex duobus *theatris* sit factum. Nam *amphitheatrum* rotundum est, *theatrum* vero ex medio *amphitheatro* est, semicirculi figuram habens. Conf. Perotti cornucop. epigr. I. col. 78. seqq. *Hic* celebrantur in urbe tria *theatra*, ut *theatrum* Pompeji, Balbi, Marcelli, de quibus Strabo lib. V. & Ovid. lib. III. de Arte amandi. Visite conspicuis terna *theatra* locis. *Amphitheatrum* unum amplissimum Statilii Tauri, quod tempore Augusti exstruit Statilius Taurus, & postea Neroniano incendio consumtum Vespasianus restituit, & Titus filius absolvit dedicavitque, ut tradunt Suetonius, Martialis, Papinius, & alii.

Thensa sunt sacra vehicula, *Pompa* ordinum, & hostiarum. *Thensas* alii a divinitate dici putant: alii, quod ante ipsas lora tenduntur, quae gaudent manu tenere & tangere, qui eas deducunt. Paedian. R.

Tiara differt a *mitra*. Taubm. ad Plaut. Pers. IV. 2. *Tiaram* diversam a *mitra* fuisse, & genus pileoli, quo persae chaldaeique usi sint, docet Herod. VII. & D. Hieronymus ad c. 3. Dan. De cujus forma curiose Brissonius de regno persarum I. p. 24. ubi, ait, tiaram fuisse forma pilei, quod absque ulla orae latitudine, aequabile ex omni parte & rotundum erat, ac in acutum desinens, conum flexum inclinatumque ac paullulum propendens habebat. Eam tempora & buccas velasse ostendunt, Ovid. XI. Metam. tempora purpureis tentant velare tiaris, & Juven. sat. VI. -- phrygia vestitur bucca tiara. Dempsterus in adnot. ad Rosini A. R.

p. m.

p. m. 416. ita : Quid discriminis sit inter mitram & tiaram, primus, qui sciam, admonuit Brissonius, Nam Maximus Syrius Serm. 10. mitrophorum a tiarophoro discernit & Herodot. VII. tiaram persas gestasse scribit, cisseos vero pileos, seu mitras. Differentia hæc a forma, ut puto, petenda est; nam *tiara* formata erat in modum dimidiatæ lunæ; *mitra* non item. Designaturque hoc discrimen non obscure a Luitprando in legatione sua; mulieres nostræ tiaratæ & teristratæ, viri equitant pileati, conf. Salmas. exerc. plin. p. 263. & 392.

Timere proprie est Servorum, qui formidine pœnæ continentur; *Vereri* est Liberorum, qui virtutis & honesti amore ducuntur. Et *timemus* (1) dominos & tyrannos; *Veremur* parentes & Seniores, & qui sunt in honore aliquo, aut dignitate constituti. Cic. in Cat. Metuebant servi, *verebantur* liberi, carum omnes habebant. Id. pro Flacco: Nihil timent, nihil verentur. Liv. 49. *Veremur* quidem vos, Romani, &, si ita vultis, etiam *timemus*; Sed plus & *veremur* & *timemus* deos immortales.

Timeo *tibi* idem est, ac sollicitus sum pro te; *Timeo te* est reformido te, ut adversarium. H.

Timor est malorum, *Pudor* tantum bonorum. Donat. *Timor* est de futuro, *Odium* de præsenti. Serv. R.

Timor sumitur physice estque adfectus, quo ani-

(1) *Timeo* ab illo, cujus causa possum aliquid mali pati, etiam si ipse nihil in me mali consulat: metuo illum, qui mihi ipsi aliquid facturus est. Donat. R.

animal futurum aliquod malum reformidat. *Timiditas* ethice, estque habitus vitiosus, quo homo timet, quod, ubi, quando, quomodo, quantum timere non decet.

TITUBAT, qui pedibus non valet insistere, quales sunt ebrii, infirmi, grandes natu, vulnerati, transfertur etiam ad animum. *Nutare* est proprie alicujus male solidatæ molis, ruinam minantis. *Vacillare* est alterno motu inconstantem esse.

Quid *toga* differat a *stola*, constat inter omnes. Erat *illa* virilis, *hæc* muliebris. Instita, fascia satis lata, togæ subsuta stolam effecisse, vel certe stolam produxisse videtur, ut ea talos imosque pedes tegeret. Reliquam togam stolæ fuisse similem Isidorus 19. 25. docet: Antiquissimis temporibus toga utrique sexui communis erat, sed postea facta est proprium virorum vestimentum, feminæ vero utebantur ex illo tempore stolis, neque tamen omnes; meretrices enim & impudicæ toga uti cogebantur; v. Brisson. I. sel. ex jure antiq. p. 10. s. & Gesn. thes. v. instita. *Togam* vestem fuisse exteriorem, *tunicam* interiorem, vel pueri norunt.

TOLLERE est levare & erigere: *Auferre* levatum transferre, Virg. VIII. Æneid. 440. Vid. Erythræi Scholia Marginalia in h. l. ubi p. 317. Edit. Venetæ pro cæptos, certos legitur. Tollite cuncta, inquit, cœptosque auferte labores. Non.

TORI vocabantur lecti pretiose strati principum hominum, diis vero strati lecti dicebantur. *pulvinaria*, quibus simulacra deorum, & festis quidem diebus dapes sacræ imponebantur. Heumannus ad Cic. pro Mil. c. 27. Exempla utriusque vocabuli significatum confirmantia addere superfluum foret.

De

De toro Sen. Agam. 13. Pellex tori regii, conf. Virg. Æn. II. 2. Statius Sylv. III. 1. 86.

Isidorus XIX. 31. differentiam inter *torquem* & *monile* statuit. *Torques*, ait, & bullæ a viris geruntur, a feminis *monilia* & catellæ. Sane Festus etiam lib. II. *monile* dictum est ornatus mulieris, qualem habuisse Eryphilam fabulæ ferunt. Ovid. contra V. metam. fab. I. 51. 52. indutus chlamydem tyriam, quam limbus obibat aureus: ornabant aurata monilia collum. Versus sunt de Aty juvene. Schefferus de antiqu. torquibus p. 13. pro Ovidio pugnare ipsam nominis originem putat. Io. Nicolai autem in notis observat, præter Schefferum etiam M. Lanckrsium in arrha spirituali, & Th. Bartholinum in tr. de armil. vet. p. 12. 13. probasse, quod monile non solum feminis, sed etiam viris conveniat. Bartholino calculum addit Calvinus in lex. jurid. p. 590. Bene igitur Faber scribit: *monile*, ornamentum colli virginum vel juvenum ingenuorum, inde dictum, quod virtutis admoneat, conf. Gesn. thes. v. monile.

Torres lignum præustum, *torrens* aqua prærupte decurrens. Agræt. R.

Torris adhuc ardens, exstinctus *Titio* fiet. H.

Torquemus hominem, *Extorquemus* veritatem. Donat. R.

Totum (1) est unius corporis plenitudo, ut *totum* Auditorium, id est, integrum; *Omne* de Universis dicimus, ut omne Auditorium, id est, universa Auditoria. Servius.

Tran-

(1) *Totum* prima ejus Syllaba, uti h. l. producta, significat tot Partes continens, quot debet; correpta autem tot Numero est, quot alterum.

Tranquillitatem & *malaciam* distinguit Seneca ep. 67. Sed in otio inconcusso jacere, non est *tranquillitas*, *malacia* est. *Tranquillitas* igitur non est sine omni actione & motu. *Malacia*, vocabulum græcum, sed civitate romana donatum, proprie usurpatur, cum mare stat sine ventis, & fere sine motu. Cæsar III. de B. G. 15. ubi de mari loquitur, utrumque vocabulum conjunxit: *ac jam conversis in eam partem navibus, quo ventus ferebat, tanta subito* malacia *ac* tranquillitas *extitit, ut se loco movere non possent*. Postponit h. l. tranquillitatem malaciæ, ut crederes, tranquillitatem omni fere motu carere, malaciam non item. Sed quis nescit, differentias sæpissime ab ipsis romanis negligi scriptoribus.

Transigo (1) *Rem aliquam* cum aliquo; non *Decido* autem *rem aliquam*, sed *de aliqua* re & per aliquem, item absolute. Vid. Goclenii Observ. L. L. p. 249. dicentis, duas hasce Formulas solo eloquendi modo differre. H.

Trepidatio ad vocem refertur loquentium, *Cursatio* ad sonum pedum. Donat. *Trepidatur* ab his, qui morbum putant, *cursatur* ab his, qui raptum sciunt. Donat. R.

Tribula & *plostellum* vehicula erant, quibus veteres frumenta terebant in area, diversi tamen generis. Varro de R. R. I. 52. alterum ab altero differre, expressis verbis docet; *E spicis in aream*

(1) *Transigere*, quod manifestum est, *expedire*, quod definiendum, *absolvere*, quod dividendum. *Transigere* est, quod aut confiteri non timeat, aut negationem excludat, *expedire*, quod definitione solvatur, *absolvere*, quod per qualitatem licitum esse monstretur. Pædian. R.

aream grana excuti. *Quod fit apud alios jumentis junctis* ac tribulo. *Id fit e tabula lapidibus aut ferro asperata*, *quo imposito auriga aut pondere grandi trahitur jumentis junctis*, *ut discutiat e spica grana*; *aut ex assibus dentatis cum orbiculis*, *quod vocant* plostellum *punicum*. *In eo quis sedeat atque agitet*, *quae trahant jumenta*. Th. Reinesius in diss. de lingua punica *tribulam* cum *plostello* confundit. Error, judice Vitringa com. in Jes. T. II. p. 130. exiguus est, quod exigua inter haec instrumenta differentia fuerit. Utriusque figuram expressit Schoettgenius in antiqu. triturae p. 34. 36. ex eo autem Herm. Christ. Paulsen in tract. lingua germanorum de agricultura orientalium conscripto. Longum foret, verba Schoettgenii adscribere. Disputat idem contra Schefferum de Re Vehicul. II. 7. p. 128. e cujus sententia asseres *plostelli* dentati non leves aequalesque, sed in modum serrae crebris incisuris asperati dentatique sunt. Sed fraudi viro fuit, vox axibus, quam ille pro assibus, seu, ut minus recte quidam dicunt, asseribus sumsit. Differentiam horum verborum exprimit etiam Virg. Georg. I. 164. *Tribulaque*, traheaeque, & iniquo pondere rastri. Lege sis Paulsen. p. 132.

Tribula grana terit; *Tribuli* nascuntur in agris. H.

Tribunalia dicuntur majora exercentium (v. g. Tribunorum, Triumvirorum, Quaestorum, &c.) judicia, *subsellia* autem minora, & eorum, qui non in sellis curulibus, nec tribunalibus sedebant. Goclen. H.

Tribunus & *praefectus* valde discrepant. In mi-

militia romana *praefectorum* nomen ad auxilia & socios, non ad legiones pertinebant. Quod *tribuni* in legione, *praefecti* in auxiliis erant. Reperimus autem *praefectos* cum in exercitu equestri auxiliorum, tum in pedestri. Notavit tamen clar. Dammius, Berolinus ad Cic. II. ep. 17. *praefectum* absolute positum constanter significare ducem equitum. Vellem testes addidisset.

Tributum est pecunia, quae Populo imperatur, ita dictum, quod a singulis proportione census exigitur, ut Varro tradit, vel ab intributione; aut quod Militibus tribuitur, auctore Ulp. lib. 27. D. de Verb. Sign. *Vectigal* proprie dicitur, quod pro invectione, vel evectione Mercium debetur. Sed generaliter significat omne, ex quo Respublica reditum habet, veluti vectigal portus, decumarum, vicesimae, scripturae, salinarum, metallorum, & similium; ultro *tributa* erant redemturae operum publicorum faciendorum, quae censores quinto quoque anno mancipibus certa mercede locabant, sic appellata, quod ab ipsis locatoribus ultro attribuerentur & persolverentur. Plutarchus in vita Catonis vocant Εργολαβιας. Itaque *tributum* & *vectigal* erat fructus & reditus reipublicae. *Illud* graecis est τελος, & res atque fundos maxime spectat, *hoc* graecis φορος, & in capita resque mobiles imponitur. Ultro *tributa* autem erant sumtus & impensae publicae. Varro lib. 5. de Lingua Lat. Lustrum nominatum tempus quinquennale a luendo, hoc est solvendo, quod quinto quoquo anno Vectigalia & Ultro Tributa per Censores persolvebantur. Liv. lib. 39. Vectigalia summis pretiis; Ultro Tributa infimis locaverunt; Idem lib.

43. Edixerunt, ne quis eorum, qui, C. Fulvio, A. Posthumio Censoribus, publica Vectigalia, aut Ultro Tributa, conduxissent, ad Hastam suam accederet. Sed interdum vectigal latissime pro Tributo ac Stipendio accipitur, & Vectigales provinciæ agrive pro stipendiariis vel tributariis. Festus. Vectigal Æs dicitur, quod ob tributum & stipendium, & equestre, & ordinarium populo debetur.

TRICENI de tricenis dices; *trigeni*, de triginta. Agræt. R.

TRISTIS & *severus* diversam habent significationem. Ter. Andr. V. 2. 16. tristis severitas inest in vultu, atque in verbis fides. Cic. Amic. c.18. *tristitia* autem & in omni re severitas habet illa quidem gravitatem. Tac. distinguit Hist. I. 14. æstimatione recta severus, deterius interpretantibus tristior habebatur, v. Westerhovius ad Ter. l. c.

TRUCIDO græcis αποκτεινω plus est quam *occido*, seu græcorum illud φονευω. Est enim *trucido* immaniter, seu summa cum sævitia atque truculentia occido; ut si aliquis occidatur ictibus. Gocl. H.

TUBA in bello ad convocandos milites, *tibia* in sacris utebantur. *Tibiæ* ex buxo, *tubæ* ex ære plerumque argentoque factæ, *tibiæ* minores, oblongæ & foraminosæ, *tubæ* majores ad extremitatem incurvæ saltem, licet cæteroquin in longitudinem protensæ, ac sine foraminibus. Struv. syntagm. A. R. p. 639. Differentia horum vocum etiam patet ex proverbio: tibiam tubæ comparare.

Tu-

TUMULTUS est perturbatio magna & repens, quæ ex hostili incursu, aut populari seditione oritur (1); *turba* vero est turbatio minor. Cicero Orat. Philipp. 8. Quid est enim *tumultus*, nisi perturbatio tanta, ut major rumor oriatur? Unde etiam nomen ductum est Tumultus. Itaque Majores nostri Tumultum Italicum, quod erat domesticus, Tumultum Gallicum, quod erat Italiæ finitimus, præterea nullum Tumultum nominabant. Liv. lib. 35. Qui Turbæ ac Tumultus concitatores fuerunt.

TUNC temporis Adverbium est; *Tum* ordinis; Clarus. H.

TURBAM angustus locus facit; *frequentiam* multitudo. Corn. Front.

TURBO quando appellativum est, facit turbinis, si nomen proprium, turbonis, ut Horat. Turbonis in armis. Serv. R.

Alius a *turbine trochus* erat. *Trochus* erat circulus æneus magnus, cui annuli multi inserti erant, ut strepitu obvii trocho cederent de via. Ansa adprehensus in longum mittebatur, volutabaturque cum strepentibus annulis. Hanc ansam Propertius clavem vocat. *Turbines* autem erant, quorum inferior cuspis in eodem loco non circumageretur, sed scutica agitati vagarentur. Virg. Æn. VII. ceu quondam torto volitans sub vespere tur-

(1) Tumultum a Bello differre Cicero Orat. II. Philipp. ostendit. Dicebant Socii Antonii esse Tumultum mitius Verbum, quam Bellum. Sed Cicero repugnans dicebat, esse plus, quam Bellum. Vt si quis dicat Hominem, dicit etiam Animal: Ita, qui Tumultum dicit, dicit quoque Bellum, ut sub Genere continetur Species. Hæc Goclenius loc. nuper alleg. p. 249.

bo, quem pueri magno in gyro vacua atria circum intenti ludo exercent, ille actus habena curvatis fertur spatiis -- v. Bulenger de ludis vet. p. 11. f.

Turpe & *fœdum* quam habeant distantiam, manifestum est. Nam *turpe* levior res est; *fœdum* vim habet majorem. Quædam enim turpitudo libera est & ab omnia pœna soluta. Goclen. R. Cic. de Offic. I. 33. 34. Luxuria vero cum omni ætati turpis, tum senectuti fœdissima est. Non.

Turpe est, quod omni laude atque honore est spoliandum; *nefarium*, quod lege cumprimis est coercendum. *Nefarium* plus, *turpe* minus. Distinxit Cic. II. Off. 22. habere enim quæstui rempublicam non modo turpe est, sed sceleratum etiam atque nefarium. Manutius ad h. l. ita: *Turpe* reddit sordidum sceleratum facinus, publice contra jus in rempublicam admissum.

Turpitudo est animi, quæ celata esse potest: *Fœditas* autem proprie oculis objicitur. Sed tamen hoc discrimen a Latinis vel optimis non semper observatur. R.

Tutela ad eos spectat, qui per ætatem se defendere nequeunt, *fides* & *clientela* ad illos, qui sufficienti robore destituuntur.

Tutor datur personæ, *Curator* vero rei. *Tutor* datur impuberibus, *Curator* puberibus. R.

Val-

V.

VALGUS & *Vatius*, item Vatrax & Vatricosus, a βατραχος, h. e. Rana, quasi qui pedibus tortis est instar Ranæ, est, qui habet pedes distortos & diversos, ita ât pars introrsus exstet, pars extrorsus procedat, quales Cancrorum & Lacertorum; *Varus* est, qui habet crura, incurva, pedesque introrsus figit. Plautius in Milite: Aut Varum, aut Valgum, aut Compernem. Varro II. de R. R. Sint cruribus rectis, ac potius Varis quam Vatiis. Ulpianus ad Edictum Ædil. Curul. 1. l. 10. D. de Ædil. Edictis. Quæsitum est. an Balbus & Blæsus, & Atypus, isque, qui tardius loquitur, Varus & Vatius sanus sit.

VALLAMUS proprie castrum, *Sepimus* ovile. R.

VALLUM dicitur ipsa Munitio & hi quidem ex aggesta terra, a βαλλω jacio; *Valli* sunt Pali, Fustes, quibus in terram destitutis & farcillatis Vallum munitur, seu sunt Sedes humi defixæ ad Valli præmunimen. Serv. Virgil. I. Georg. v. 246. Exacuunt alii Vallos.

VANUS est, (1), qui etiam sine utilitate mentitur, *Mendax*, qui tantum ad decipiendum & utilitatem. Sane vanus apud idoneos stultus inveni-

(1) *Vani* dicuntur, non, ut vulgus dicit, desipientes aut hebetes, aut inepti: sed, ut veterum doctissimi dixerunt, mendaces & infidi, & levia inaniaque pro gravibus, & veris astutissime componentes. *Stolidi* non tam vocantur stulti & excordes, quam tetri & molesti, illepidi, quos Græci μοχθηρους και φορτικους dicunt. Agell. R.

nitur. Ut Juvenal. Sic libitum, vano qui nos distinxit Othoni. Serv. R.

Differunt voces *varicus* & *varicosus*. Illa indicat eum, qui distortis est cruribus, ac descendit a varus, a poetis priori producta, quare Ovidius, Ambulat ingentes varica fertque gradus: At hæc, nempe varicosus est, cujus, vanæ in suris intumescunt, prima a poetis correpta. Persius Sat. V. v. 189. Dixeris hæc inter varicosos centuriones; & Juvenalis Sat. VI. v. 397. Varicosus fiet haruspex. Ad quem locum b. Autumnus ita: Haruspex multum stando, dum deos & exta consulit, evadet varis & obtortis plantis, vel retortis introrsum pedibus varus fiet, dum diutissime stare & exta inspicere & consulere cogitur. Vel potius varicosus, cui varices sunt tumidi, & qui venas tumidiores habet, quod fit diuturna statione, cum sanguis deorsum in pedum venas decumbit. (Hippocr. aphor. 21. l. VI. F.) Porro varus primam producit, unde prior explicatio non subsistit.

Variegata & *clavata* vestes differunt. *Hæc* insuendo clavos suo loco, *illa* per totum intexendo fiebat. De hoc discrimine agit Quinctilianus; *sicut adfert lumen clavus purpuræ loco insertus*, *ita certe neminem deceat intertexta*, *pluribus nodis vestis*, *id est*, *vestis purpureis & albis liciis intertexta*, *scilicet circumquaque & per totum*, *quales vestes variegatæ erant & muliebres*, v. Ferrarius anal. ad rem vest. p. 9.

Ubique simul in omni; *Passim* pro sparsim. H.

Suet. Cal. 16. distinguere videtur inter *vectigalia* & *reditus*. Ac si quibus regna restituit, adjecit

jecit & fructum omnem *vectigaliorum* & *redituum* medii temporis confiscatum. Beroaldus sequens statuit discrimen; *vectigalia* sunt publici reditus, *reditus* vero sunt privata vectigalia. Et ita utrumque distinxit disparavitque Tranquillus perinde ac diversa, quamvis & interdum vectigalia pro reditibus privatis accipiantur. Hor. Sat. II. 2. 100. --- Ego vectigalia magna, divitiasque habeo tribus amplas regibus. Cic. Par. VI. Ex meo tenui vectigali aliquid etiam redundat. Enimvero bene monet cel. Ernesti ad suet. l. c. distinctiones Beroaldi in principe quidem romano fieri posse, ubi ærarium publicum fuit patrimonium, fiscus principis res privata. Sed aliter est in regno, quale erat Antiochi Commageni, de cujus vectigalibus & reditibus Tranquillus loquitur. Ac primum quidem, pergit cel. Ernesti, non necesse est, subtiliter ista verba sensu distinguere; quippe sæpe scriptores duo verba eadem vi jungunt. Apud Tac. quidem Ann. II. 42. fructus regni simpliciter dicuntur. Sed potest commode vectigaliorum nomine intelligi ea pecunia, quæ venit ex portoriis, decumis, scriptura, cet. reditus autem ea, quæ venit e metallis regiis, tributis cet.

VECTOR est ille, qui portat, & qui portatur. Agræt. R.

VEGERE est movere, impellere & agitare, ut Ventus veget undas, Spiritus vitalis veget herbas & stirpes; *Vigere* est florere, & pollere. Varro in Manio: Viget, veget, liber est. Hinc *Vegetus* dicitur sanus & incolumis; *Vigens* est fortis atque robustus: Nam *Vegetum* corporis, *Vigens*

etiam Animi dicitur, auctore Nonio.

Velocitas Corporis, *Celeritas* Animi est. Agr. H.

Velut, *Uti Quasi*, *Tanquam*, *Ceu* significant sæpe imaginem: *Sicut*, *Sicuti*, *Ut* Similitudinem. H.

Venale expositum; *Vendibile* facile venditu. H.

Venalitii dicuntur ipsi Servi venales; *Venalitiarii* autem sunt Mangones, qui Servorum negotiationem exercent, Africanus Quæstion. 3. l. 107. D. de Verb. Sign. Mangones sunt Mercatores, sed Venalitiarios appellari; a quo dissentit vetus Inscriptio Romana: L. Valerius Zabdæ Mercatori Venalitiario. Interdum tamen Venalitii pro Venalitiariis accipiuntur. Cicero pro Cornelio: Neque me divitiæ movent, quibus omnes Africanos & Lælios multi Mercatores Venalitiique superarunt. Suetonius de claris Rhetoribus: Venalitii cum Brundisii gregem venalium navi educerent.

Veniunt, qui accedunt, *veneunt*, qui venduntur. Agræt. R.

Venustas muliebris; *Dignitas* virilis pulchritudo. H.

Verbum est dictio articulata, & significabilis; *vox* est quilibet sonus ore prolatus. Tac. III. Hist. Verba vocesque duos testes habebant. Hor. I. Ep. I. Sunt *verba* & *voces*: ubi *verba* (1) sunt disputationes & orationes philosophicæ, ut in antiqua

(1) *Verbum* proprie ἀξίωμα, id est, sententia vel enunciatio, quæ uno ligatur, & adstringitur verbo, a veteribus dicebatur. Donat. R.

siqua Formula: *Verba* habere & Orationem: *Voces* sunt sententia & dicta.

Verecundia est custos virtutum omnium, dedecus fugiens, laudemque maxime consequens. Cic. in Partit. Orator. p. 142. R.

Verendi major quædam vis est, quam *colendi*. Cic. de amic. neque solum inter se *colent* amici, sed etiam *verebuntur*. Nam maximum ornamentum amicitiæ tollit, qui ex ea tollet verecundiam. Vavassor.

Vereor plus est; *metuo* minus, Goclen. H.

Veritatem amicus debet, *obsequium* assentator. Donat. R.

Versura a *fœneratione* aliquid differt. Eadem quidem est re fœneratio ac versura, sed tamen aliqua ratione diversa. *Fœneratur* enim, qui dat, *versuram* facit; qui accipit mutuo, teste Festo. Plura dabit Sigonius de A. I. civ. R. II. 11. p. 118. Male, qui versuram δανειου δανειον interpretantur, quum saltem δανειον sit. Id quod Salmasius & Gronovius luculenter docuerunt, conf. Gesn. thes. v. Versura.

Vertex Capitis est & inprimis ejus summitas, ubi Capilli gyrant, *Vortex* Fluminis. Clar.

Vetus est, quod habet ætatem: *Vetustum* est, quod hominum memoriam excedit; sicut vetustas significat Tempus infinitum, cujus scilicet Memoria non extat. Plautus in Curculione: Ita veteris vetusti cupida sum.

Vetus plerumque refertur ad laudem, interdum ad vituperationem. Donat. R. *Vetus* ad Nova; *vetustum* ad antiquitatem refertur; *Antiquum*

excessit memoriam patrum. Sed *senex* ab Annis dicitur. H.

VETUSTISCERE & *veterascere* Nigid. lib. 10. Commentar. Gramm. differre ostendit. Dicimus enim, quæ vetustate deteriora fiunt, *vetustiscere* (1) quæ meliora, *veterascere*.

VIATICUM erat certa pecunia, quæ imperatoribus ad bellum proficiscentibus constituebatur, *vasarium* vero Proconsulibus in provincias abeuntibus ad necessaria itineris comparanda. R.

VICINIA (2) significat locum, ubi plures vicini habitant; *vicinitas* est vicinorum propinquitas, vel multitudo. Hæc est conversationis conjunctio; illa vicinorum. Ter. And. Commigravit huc *viciniæ*. Id. Heaut. Virtus tua me, vel *vicinitas*. Cic. VI. Verr. Signum, quod notum erat, *vicinitati* buccina datur.

VICTIMA major est, & tauris constat, *hostia* minor & v. c. opes, capras, oves offert. Front. R.

VIDERE est cognitionis & curæ, proprie autem est oculis percipere, ut *videre*, quid agatur, *videre*, ne res pereat; *visere* est officii, ut *visere* ægrotum, amicum, vel *visere* ad ægrotum, amicum, ideoque in hoc sensu sumtum idem est, ac sæpius videre, quid quis agat. Nam utrumque veseres dixerunt. Ter. Hec. Nostra illico it *visere* ad eam. Varro II. R. R Cum proretam fessum *vise-*

(1) Sic veterani Milites plerumque sunt vetuli, & veteratores veteratoriis insidiis veteratorie ludere gnari, quos in nequitiis vetustescere & inveteratos esse ad malum inveteravit opinio. Comenius.

(2) *Vicinia* vicorum conjunctio, *vicinitas* hominum conversatio est propter vicorum conjunctionem. Front. R.

visere venissemus. Frequenter tamen *visere* pro *videre* usurpatur. Alias videmus natura; Spectamus voluntate. Intuemur Cura; Aspicimus ex improviso; Animadvertimus animo; Cernimus Oculis. Fronto.

Videmus, quod in promtu est, *investigamus*, quod non videmus. Pæd. R.

Videte est imperativum; *videtote* mandativum. Corn. Front. R.

Aliud est *vincere sejuge*, aliud *vincere sejuges*. *Vincit sejuge*, qui hoc genere currus certans fit superior. *Vincit sejuges*, qui sejuges habet adversarios, quibuscum cursu contendit. Schefferus de re veh. II. 14. p. 183. ubi errorem quoque Onuphrii notat, qui hoc discrimen non observarat.

Vincere est probare, confirmare, & argumentis docere; *Evincere* autem est obtinere, ut in Judicio dicitur *evincere*, qui legitimo certamine apud Judicem obtinet, & sic rem jure dominii ab aliquo aufert, ut *evincere* hæreditatem, & *evincere* per bonorum possessionem (1). Nam prima litera hic auget significationem, ut in Emigro, Elaboro, Emereor, & aliis multis. Lucret. libr. 6. Multa simul vincam consurgere nubibus ipsis. Idem ibid. Nam neque eum ferro, nec frigore vincere possis.

Vindicta vel *vindicatio* factum punit, vel futurum prohibet atque propulsat, *Ultio* persequitur con-

(1) Sic quilibet pervicax pervincere semper avidus aperte convinci potest, ut convictus obmutescat, aut illi evictione certa evincatur, quod ille, tanquam jure possidendo pervicaciter tenuit.

contumeliam, vel injuriam factam, aut damnum datum, vel vindicat factum, & *vindicta* etiam legitima est, & ad magistratus in reos animadversionem pertinet. *Ultio* aliorum quorumlibet est. Comenius *ultionem* imprimis Deo adscribit his verbis: Vis ulcisci injurias tuas, non inultæ manebunt; si ultionem permittas ultori Deo. Cato IV. Originum: Si quis membrum rupit, aut os fregit, talione *vindicta* proximus cognatus *ulciscitur*. Varro III. R. R. Lux pinguetudinis *vindicta*.

Violare & *offendere* differunt. Cic. off. I. 99. Justitiæ partes sunt non *violare* homines, verecundiæ non *offendere*. Facile patet, gravius esse *violare*, quem *offendere*.

Virgæ, *ferulæ*, *flagella*, differunt. Cic. pro Rab. perd. c. 3. Porcia lex virgas ab omnium corpore amovit, hic misericors flagella retulit. Acerr. P. II. p. 24. R.

Virgulta sunt, quæ de radice pullulant, *viburna* autem minuta silva, humilia virgulta, ut genistæ & hujusmodi. Anton. in Virg. Eclog. 1. R.

Virtus hominis summum bonum est, quæ & in oratione & in cursu potest videri; *Fortitudo* vis corporis ad sustinendos labores; *Vigor* animi habet elationem; *velocitas* corporalis celeritas, quasi velox & cita; *vehementia* a vi, id est impetu Mentis. Corn. Fronto.

Virtutes animi sunt; *vires* corporis. H.

Vis est juris, *potestas* exercitii juris apud Juris. Consf. *Vis* est corporis & potentis, *nequitia* vero consilii. *Vis* & nequitia, quicquid oppugnant, ruit. Phædr. II. 6. R.

Vi-

Visere (1) femel ; *Viſitare* viſionum frequentiam indicat. Fronto.

Visus naturalem videndi facultatem deſignat, & intranſitive ſumitur, *conſpectus* actum oculorum notat, quo adjicitur ad alios, & propterea tranſitive ſumitur.

Visus genere maſculino utimur, cum de his loquimur, quibus videmus. Ut ſi dicam: nubecula abeſt viſibus meis. Sin neutro utamur, ea, quæ videntur, ſignificamus. Serv R.

Vites. *Sub vitem haſtas jacere* dicitur veles, cum eas ſub manu ſurſum mittit: *Sub vitem prœliari* dicuntur milites, cum ſub vinea militaturi pugnant: *Sub vineam jacere* dicuntur, cum aſtantibus centurionibus jacere coguntur ſudes Feſt. R.

Vitium (2) & *vitioſitas* ſunt generaliora; *malitia* eſt ſpecialius. Exempla Ciceroniana leg. apud Goclen. in Obſerv. L. L. p. 250. ſequ. H.

Vittæ ſacerdotis ſunt, *Laurus* vero etiam imperatoris victoris. Serv. R.

Vituperatio vitium parit; *Culpatio* a culpa incipit.

Vivere eſt vitam ſecure agere, *Vitam vivere* eſt vitam jucunde agere, *vitam trahere* eſt duriter vitam agere. H.

Vivum de victuro dicimus, *viventem* de morituro. Agr. R.

Ul-

(1) *Viſere* officii eſt, *videre* quærentis aliquem. *Viſere* officii eſt apud ægrotos, *videre* cognitionis, Donat. R.

(2) *Vitia* proprie ſunt in ipſa natura & habitu, *peccata* vero proprie in affectu ſine actione. Goclen. *Vitium* eſt, ſi tonat tantum, *calamitas*, ſi tonat & grandinat & etiam fulminat. Donat. R.

Ulciscor illatam injuriam, *vindico*, ne accipiam. H.

Ulcus est, quod nascitur, & fit in primis, cum acris humor carnem ulcerat, ulcerosoque dolorem facit, sed tu, monente Comenio, ne animum cujusquam hominis exulceres, cave. *Vulnus*, quod ab alio infertur: Agr. *Ulcus* tecta & clausa est malignitas; Virg. Georg. III. Quam si quis ferro potuit rescindere summum Ulceris os, alitur vitium, vivitque tegendo. *Vulnus* hians ac patens. Virg. IX. Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi Veste tegens. Non. *Vlcus* innatum, *vulnus* illatum.

Ultimus orbis, *novissimus* ordinis. R.

Umbo & *sinus* differunt ita, ut, ubi inciperet *sinus* togæ, ibi *umbo* desineret, & ipsum veluti umbonem ambiret. Ea mens Tertulliani est; vadeo nec artifice necesse est, qui pridie rugas ab exordio formet & inde deducat in tilias, totumque contracti umbonis figmentum custodibus forcipibus adsignet. Mox: Recognito rursus umbone, & si quid exorbitavit, reformato, partem quidem de lævo promittat, ambitum vero ejus, ex quo sinus nascitur, jam deficientibus tabulis retrahat a scapulis, & exclusa dextera in laeuam adhuc congerat, cum alio pariter tabulato in tergo devoto. Umbo iste Tertulliani haud dubie a sinu distinctus, centrum nempe & modus artifex coeuntium plicarum. Ceterum non semper umbonem arcte coactum fuisse, docet Persius V. 33. v. Hier. Bossius de toga Rom. p. 76. Gesneri thes. v. umbo, Salmasius ad Tertul. de pallio. In alia omnia abit Oct. Fer-

Ferrarius de Re Vest. lib. I. p. 118. 127. & anal. p. 140.

VOLEMA ab eo, quod Volam seu Palmam impleant, dicta sunt, Gallis Pira bona & grandia; *Vola* autem est cavitas Manus, seu medietas Palmae, vel Pedis. Unde & Involare dicimus.

VOLONES erant servi, qui Bello Punico II. militare volebant interrogati; *Voluntarii* erant emeriti, qui iterum militare volebant. Salmas. ad Florum II. *6.* 23. R.

VOLVENTIA, quae volvunt, *Volubilia*, quae volvuntur. Front. R.

VOLUNTAS (1) facto gaudet; *Voluptas* fieri cupit. Fronto.

VRBS constat Muris; *Civitas* Incolis. Vid. quae sup. p. 183. seq. ad Civitatis Tit. sunt adjecta. Virgil. II. Æn. 363. Vrbs antiqua ruit, multos dominata per annos.

VOTI *damnatus est*, cum quis ob impetratam rem, cujus causa votum ante susceperat, obstrictus tenetur, votum sive rem Deo promissam persolvere. *Voti reus* diis in eventum conditionis promisit; jure adpellari potest voti debitor, ea videlicet ratione, ut, si quando eventus optato respondit, *votum*, id est, res promissa, ab eo, quamvis invito, exigi queat. Macrobius saturn. III. 2. Haec vox proprie sacrorum est, ut reus vocetur, qui suscepto voto se numinibus obligat, damnatus autem, qui promissa non solvit. Is. Pontanus

(1) Volentiam quoque pro Voluntate dici Sallustius lib. IV. Histor. auctor est his verbis: Multisque suspicionibus Volentia plebi facturus habebatur.

tanus ad cit. Macrobii locum. Macrobius intelligit, eum proprie voti damnatum adpellari, qui promissum votum cum non solvit, damnatus habeatur, ut solvat. Itaque præcedit obligatio, quam qui præstitit, voti reus dicitur. Qui autem reus voti non solvit; is damnatus voti est, ad id solvendum. Jac. Perizonius ad Sanctii Minerv. lib. IV. c. 4. n. 14. Est voti reus, qui se obligavit diis ad præstandum aliquid, si consequatur id, quod petit. Id vero ubi jam consecutus est, dicitur voti damnatus, hoc est, damnatus ad præstandum id, quod voto promisit. *Compotem voti aliquem facere* indicare, est efficere, ut aliquis consequatur id, & in potestate quasi habeat, quod ipsi fuerat ante in optatis, v. Jo. Ad. Emmrich diatribe de locutionis voti damnatum esse vera notione.

VOTUM *faciebant* sine multa cogitatione in periculo præsenti, *Vota concipiebant* vel *suscipiebant* etiam extra periculum re ante bene considerata. R.

Esse discrimen inter *urere* & *sepelire*, quilibet facile concedet, ut adeo longa expositione supersedere possimus. *Sepeliri* proprie dicebantur, quorum cadavera ignem non experiebantur, sed integra tradebantur humo. Cic. de legg. II. 23. hominem mortuum inquit lex in XII. tab. in urbe ne sepelito neque urito. Quod autem addit, *neque urito*, indicat: non qui uratur, sepeliri, sed qui humetur. Interdum tamen sepelire ponitur pro urere. Ter. Andr. I. 1. 191. Procedit; sequimur; ad sepulcrum venimus, In ignem imposita est. Ad quem locum Westerhuvius ita commentatur: sepulcrum h. l. manifesto notat ipsum locum

locum, ubi comburebatur cadaver. Sequitur enim continuo: In ignem imposita est. Pariter Tac. ann. II. 73. Flor. III. 21, 22. Cic. pro Flacco 95. Ep. Fam. IV. 12. Sulpicius, scribens de Marcelli Funere, locum rogi itidem sepulturam vocat. Nec aliter intelligendus est locus Cornel. Nep. Eum. 13. Suet. Dom. 15. Eodem respexit Plaut. Menæch. I. 2. 45. ubi cyathos sorbillando diem producturus Menæchmus inquit: Clam uxorem ubi sepulcrum habeamus & hunc comburamus diem. An ideo locus rogi sepulcrum dictus, quod quandoque ossa sepeliebantur eodem loco, quo cadaver erat combustum? Exemplum refert Virg. Æn. XI. 211.

Usucapere & *Usurpare* Jurisconsulti distinguunt, & *usucapere* est usu adquirere, & possessione suum facere, sicut *Usucapio* est Dominii adeptio adquisitioque per continuationem possessionis temporis lege definiti. Vid. Schardii Lexicon Iurid. p. 963. col. 1. fac. a. *Usurpare* (lib. 3. D. de Usur.) autem est apprehendere id, quod alius possidet, eaque re possessionem illius interrumpere; & *usurpatio* (leg. 2. D. de Usuc.) est possessionis interruptio. Unde ex leg. 12. Tabb. usu Uxor, nondum *usucapta*, si ante annum a Marito trinoctium abfuisset, dicebatur *usurpata* esse: quod interrupta ejus *usucapio* erat, ipsaque apprehendebatur ab iis, quorum antea in potestate fuerat, puta Parentum; aut Tutorum, & Mariti potestate exibat, ut Gellius & Macrobius tradunt. Sed Oratores & Historici *usurpationem* frequentem usum vocant, & *usurpare* accipiunt pro crebro aliquid agere, aut dicere, ut Cicero multis in locis, &

Liv.

Liv. XXXIX. Admonet sæpe usurpatæ Dionysii Tyranni vocis.

Usucapio *a longa possessione capio* differt. Illi leges decemvirales in rebus mobilibus anni, in fundis biennii spatium præfixi erant. Quandoquidem enim tunc civitate continui, agrisque perpetuo cives detinebantur, rariusque relicto natali solo Italia egredi consueverant, tam breve temporis spatium rebus usu acquirendis, habita inter præsentes & absentes nulla distinctione, sufficere credebatur. Quum vero sensim romani longe lateque proferrent imperii fines, partim edictis, partim principum constitutionibus in ejus, quod lege antiqua rebus immobilibus usu adquirendum datum fuerat, temporis locum longius temporis intervallum surrogari cœpit. Unde res immobiles non biennio amplius, sed longo tempore usu acquirebantur, id est, inter præsentes decennii, inter absentes vicennii spatio continuo. Quum vero antiqua illa ac decemviralis adquisitio usucapio diceretur; nova hæc dicta est longa possessione capio, vel longæ possessionis prærogativa. Heineccii Antiqu. p. 454.

Usus (lib. 10. 11. 12. de Usu & Habit.) est jus utendi re aliena, salva rerum substantia; *Ususfructus* autem omnem rei fructum significat, & jus utendi fruendique præstat, tam ad Quæstum, aut Voluptatem, quam ad Necessitatem. Ita in Ususfructu & usus est; at in Usu Fructus non continetur. Ab illo dicitur Usuarius, qui usum habet; ab Hoc Usufructuarius, qui Fructum: de quibus prolixe tractant Iurisconsulti. Cicero pro Cæcinna: Cujus enim usus, inquit, ejus & Fructus Fundi.

Usus, & *experientia* differunt, ut causa efficiens, & effectus.

Usus est generale, ut hæc usu pereunt: *Abusus* speciale. Ac Jurisconsulti quidem abusum proprie in iis constituunt, quæ usu consumuntur, seu quorum usus in ipsa consumtione positus est. German. *Abnutzung*. Goclen. *Vtilitas* ex adeptione alicujus commodi quæritur. Cic. in Partit. Orat. R.

Usu *venit*, quod fit frequentius; *Contingit* & *Accidit* etiam, quod non est consuetum. H.

Uterque venit, & *Vtrique* veniunt, utrumque dicitur. Agræt. Cic. Jubeo promi utrosque, binos ut habeam. R.

Uterus est mulierum & quidem proprie locus fœtum concipiens. Unde uterini fratres dicuntur ex uno utero editi. *Alvus*, qua defluunt sordes. Sallust. Simulans sibi alvum purgari. *Venter*, qui videtur. Juven. Sat. IV. v. 107. Montani quoque *venter* adest abdomine tardus. Serv.

Uti (1) est ad necessitatem & honeste insumere (2): *Abuti* est ad alium usum re uti, quam in quem ea comparata est, vel rem omnino consumere & perdere: sicut *Vsus* est utilitas: *Abusus* est consumtio & perditio. Suetonius in Nerone, Qui abuterentur ac perderent. Terentius (3):

 Nam

(1) Vtimur fructibus rei, quæ ab amantibus salvo usu nobis subministratur. Abutimur, quando deperdimus, & rem & fructum. Vsui est ager, domus, Abusui vinum, oleum, & cetera hujusmodi. Donat. Vtimur cum honore, Abutimur cum injuria. Donat. R.

(2) Vtimur alterius gratia; Fruor delectando sine ampliore respectu; Potimur re aliena expetita.

(3) In Prologo Andriæ v. 5. ubi Castigationes Marginales Martini Hayneccii sunt videndæ.

Nam in prologis scribendis operam abutitur. Plautus in Asinaria: Ubi isthæc, quæ dedi, abusa? Cicero in Topicis: Usus enim, non abusus legatus est; Ubi Boethius: Utimur his, quæ nobis utentibus permanent; His vero abutimur, quæ nobis utentibus pereunt.

Utrubi significat utro in Loco: *Vtrobique* est utroque in Loco, seu in utraque parte: *Vtrinquè* de loco, id est, ex, vel ab utraque parte; *Vtraque* ad Locum, id est, in utrumque Locum. Goclen. *Vtrubi* dubitationem habet utrius Loci; *Vtrobique* affirmationem utriusque Loci. Nævius in Tarentilla: *Vtrubi* cœnaturi estis, hiccine, an in triclinio? Cato in Servium Galbam pro Lusitanis: De frumento *utrubi* bona, utrubi mala gratia capiatur. Plautus in Sticho: *Vtrubi* accumbo, utrubi tu vis. Ulpianus ad Edictum 62. lib. I. D. utrubi Prætor ait; *Vtrubi* hic homo, quo de agitur, majore parte hujusce anni fuerit. Theophilus, Græcus institutionum interpres, utrubi interpretatur *παρ' οποτερω*.

Vulnus illatum; *Vlcus* innatum. H.

Vulnus a *plaga* differt. Salmas. exerc. Plin. p. 355. *Plaga* est *εντομη*, ubi cutis tantum laxatur & scinditur, *vulnus*, *το ελκος*, cum distrahitur & tollitur, ac separatur a corpore. Sed differentia neque a prosaicis, neque a poetis observata est. Celsus, quem passim evolui, his verbis promiscue utitur. Ipse Cicero mortiferam plagam infligere dicit, in Vatin. XX. 8.

Vultus proprie hominis, & describitur, quod sit ipsa in homine indicatio, quæ pro motu Animi in Facie ostenditur, interdum etiam significat ipsius

ipſius Corporis Faciem. Leg. Forum Romanum, ſeu theſaurus L. L. p. 160. col. 1. T. III. *Os* omnium; *Facies* plurium. Fronto. *Vultus* mutatur; *Facies* permanet. *Vultus* eſt voluntas, quæ pro motu Animi in Facie oſtenditur; *Facies* ipſa Oris ſpecies. Salluſt. in Catil. Prorſus in *Facie Vultuque* vecordia inerat.

X.

XENIA & *ſtrenas* alii diſtinguunt, alii interdum pro iiſdem habent. Fabr. lex. *Xenium* quoque ſtrenam poſsis interpretari, quæ dabatur calendis Januariis. At contrarium defendit Demſterus in notis ad Roſinum p. 32. Sunt, qui putent, idem eſſe *ſtrenas*, & *xenia*. Sed falſi illi. *Xeniæ* enim pro minervali advocatorum uſurpantur, vel pro donis, quæ hoſtibus olim oblata. *Xeniæ* in plurali numero ſunt baleneæ hoſpitales. Cic. pro Cœl. c. 25. Conſtitui locum juſsit, balneas xenias, ut eo mitteret annos, qui deliteſcerent. Fabr. Mavult tamen Verburgius in notis ad hanc Orat. balneas Senias.

XYSTUS erant porticus tectæ, quibus athletæ per hyemem exercebantur, *Xyſta* vero erant ambulationes ſubdiales, ubi cælo ſudo, ſerenaque tempeſtate pugnabant. Vitruv. V. 2. R.

AVSONII POPMÆ
FRISII
DE
USU ANTIQUÆ LOCUTIONIS

LIBRI DUO.

VETERUM SCRIPTORUM
DE
USU ANTIQUÆ LOCUTIONIS
SENTENTIÆ.

M. Varro lib. IV. de Ling. Lat. p. 2. Edit. Scaligeriano-Stephanianæ : *Vetustas* non pauca depravat; multa tollit. Quem puerum vidisti formosum, hunc vides deformem in senecta. Tertium Seculum non videt eum hominem, quem vidit primum.

Qu. Horatius Flacc. in Lib. de Arte Poetica v. 61. seqq.

Vt, silvæ foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: Ita *Verborum vetus interit ætas*,
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.

Et v. 69. seqq.

- - - - - - Mortalia facta peribunt,
Nedum sermonum stet honos, & gratia vivax.
Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque,
Quæ nunc sunt in honore Vocabula, si volet usus.
Quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi.

Quinctilianus lib. VIII. Institut. Orator. cap. 3. p. 364. seq. Edit. Pithoeiano-Stoerianæ: Cum sint autem Verba propria, ficta, translata, propriis dignitatem dat Antiquitas. Namque & sanctiorem, & magis admirabilem faciunt Orationem, quibus non quilibet fuerat usurus, eoque ornamento acer-

rimi judicii P. Virgilius unice eſt uſus. *Olli* enim, & *Quianam*, & *Mis*, & *Pone* pellucent, & aſpergunt illam, quæ etiam in Picturis eſt gratiſsima, Vetuſtatis inimitabilem arti auctoritatem. Sed utendum modo, nec ex ultimis tenebris repetenda. Id. ibidem pag. 365. Quid multa? Totus prope mutatus eſt ſermo. *Quædam* tamen *adhuc vetera Vetuſtate ipſa gratius nitent*: Quædam etiam neceſſario interim ſumuntur, ut *Nuncupare*, & *Fari*: Et multa alia etiam audientibus grata inſeri poſſunt, ſed ita demum, ſi non appareat affectatio.

A. Gellius lib. I. N. A. cap. 10. p. 24. Edition. Tornæſianæ. Id, quod a C. Cæſare, excellentis ingenii ac prudentiæ Viro, in primo de *Analogia* libro ſcriptum eſt, habe ſemper in memoria atque in pectore; ut, tanquam ſcopulum, ſic fugias inauditum, atque inſolens Verbum.

INDEX CAPITUM

LIBRI PRIMI

CAPUT

LIBRI

LIBRI SECVNDI

AUSONII POPMÆ

DE

USU ANTIQUÆ LOCUTIONIS

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De Litterarum Vocalium inter se commutatione.

ANTIQUI & idonei Latinæ Linguæ Auctores multa Vocabula usurparunt ab usu & consuetudine Sermonis nostri penitus remota; multa longe aliter protulerunt, quam a nobis hodie vulgo efferuntur. Utriusque generis exempla in ipsorum Scriptis non pauca reperiuntur, & plura exstarent, nisi imperiti Librarii antiquam & minus usitatam Locutionem fere ubique ejecissent. Quam cum difficile sit in suam, unde vi dejecta est, possessionem restituere, nos, quod potuimus, in hoc Libello *usum* ejus ostendere, & collectis quasi per Saturam undique testimoniis probari conati sumus.

Ut autem a minimis ordiamur, multa propter *mutuam Cognationem* & *Affinitatem litterarum* Veteres promiscue dixerunt. Nam *Litteræ pleræque omnes inter se locum commutarunt*, ut

1. Principes duæ Vocales A, & E. Unde De-

fetiſcor depeciſcor ſcriptum olim notat Priſcianus; hodieque in Libris veteribus exſtat. Ter. in Phorm. Neque *defetiſcar* unquam adeo experirier. Id. ib. Jam *depeciſci* mortem cupio. Cic. pro Sex. Roſc. Partem ſuam *depeciſci*. Et mox ita: Ipſe tria prædia *depectus* eſt. Et in Verrinis frequenter. Gell. XX. Reus qui *depeciſci* noluerat. Ulpianus X. ad Edictum: Hoc edicto teneatur etiam is, qui *depectus* eſt. Depectus autem dicitur turpiter pactus. Æquipero, Præpero, ut Recipero, etiam nunc dicimus. Enn. II. Annal. Ingens cui animis cum concordibus *æquiperare*. Gellius X. Namque in *præperatu* Rei ruſticæ per tempeſtates pluvias, quoniam otium eſt, maturari poteſt. Hieto Plautus: Ubi cum *hietare* nondum in mentem venit. Cæcilius: Præi hercle tu, qui mihi oſcitans *hietansque* reſtas. Edor pro Ador, Frumenti genus Feſtus.

2. Similiter A & I, ut Fontinalia pro Fontanalia. Varro V. de L. L. Juvenilis, Juvenalis, Gloſſæ, & Ulp. de adulteriis. Sane ſi juvenali facilitate ductus. Rurſus Bacchanal *Bacchinal*. Plaut. in Aulul. Ad Bacchas veni in *Bacchinal* coquinatum. Id. ib. Aperitur *Bacchinal*. Librale, Librile, ſcapus Libræ, Feſtus. Subigitare retinent Libri veteres Terentii in Heautontimorumeno, Beneficere & Maleficere Pandectæ Florentinæ, ſicut eædem Fornicato, & Fornicarius, qui Fornacis accendendi curam gerit. Aquæmanile & Aquiminale, Vas ſive Urceolus, quo aqua in trulleum effundebatur lavandis manibus, Paulus lib. IV. ad Sabinum & lib. III. Sententiar. Aquimanile, Χερνιβος, Gloſſarium. Item Subjunctivi Modi Verborum

rum tertii Ordinis, quos non per *Am*, sed per *Im* efferebant, ut *Accessim*, *Edim*, & alia, de quibus suo loco dicemus.

3. A & V, ut Condalus, Condulus, Festus, & Græci κονδυλος. Fabalia, Fabulia, Lucil. X. Satyr. Hic in stercore, humo, *fabuloque* fimo, atque succerda. Varro I. de R. R. Id ex *fabuli* segete. Pedule *indumentum* Pedia, Ulpianus, & Grammatici, Pedale Ποδεῖον, Glossarium.

4. E & I, ut Seco, Sico, & quæ ex eo junguntur ut, *Circumsico*, *Præsico* *Resico*, Varro in Libris de R. R. & IV. de L. L. Brassica, ut Præsica, quod ex hujus scapo minutatim præsicatur. *Exsico* Plautus in Rudente:

Quin tu in paludem is, exsicasque *arundines*.

Consiptum Ennius in Medea: Teneor *consipta*, undique venor. Varro IV. de L. L. Gallorum ossa, qui possederunt urbem, ibi coacervata ac *consipta*. *Lucifcit* Plaut. in Amphitr. Eamus. Amphitruo, *luciscit* hoc jam. Quod imitatus Ter. in Heaut. *Luciscit* hoc jam, cesso pultare ostium. *Augisco* Enn. I. Annal. & ab eo Varro in Satyra Testament.

Qui rem Romanam Latiumque augiscere *voltis*.

Putisco, *Flacisco*, *Incurvisco*, Cic. IV. de Fin. Animam sui datam pro sale ne *putisceret*. Varro IV. de L. L. Puticuli quod *putiscebant* ibi cadavera projecta. Pacuvius in Chryse: Interea loci flucti *flaccifcunt*, Vetus Poeta: Rami baccarum ubertate *incurviscere*. Milli pro mille, Lucilius IX. Tu *milli* nummum posiis uno quærere centum.

Idem

Idem XV. Hunc milli pafsim qui vicerit atque duobus. Quatinus pro Quoniam, Quia, auctore Festo. Hor. III. Carmin. *Quatinus* heu! nefas Virtutem incolumem odimus; & lib. I. Sermon. Satyr. III. v. 76. sequ. Denique *quatinus* excidi penitus vitium iræ Cetera item nequeunt stultis hærentia. Suet. in Claud. *Quatinus* sibi matrimonia male cederent. Ni pro Ne, Plaut. in Mænech. *Ni* mala, *ni* stulta sis. Id. in Merc. *Ni* metuis tu ista. Varro I. de R. R. *Ni* extrinsecus spiritus afflet. Cic. ad Varronem; Consilii nostri, *ni*, si eos quidem, qui id secuti non sunt, non pœniteat, nobis pœnitendum putarem. Virg. Æn. III. *Ni* teneant cursus. Em & Im pro Eum, Festus. Endo, vel Indo pro In, Ennius & alii. E diverso Amecus, Menerva, Magester, dixerunt Vetustissimi, ut Ennius I. Annal. Daidala Menerva; Genetrix Virgilius, & Lucretius, ut ipsorum antiqui testantur Libri (1). Derigo Varro I. de R. R. & ab eo Derectarii, qui in aliena Cœnacula se dirigunt furandi animo, item Dejudico, Intelego, Despero, Delenimentum, Deverticulum edunt Libri Iurisconsultorum. Specio pro Spicio, id est, Video, Plautus: Nunc specimen *specitur*, felix Herba, & Felicula Cato de R. R. *Felicata* patera ad ejus Herbæ speciem cælata, Fe-

(1) Recentiores enim Editiones, inprimis Virgilii, legunt lib. I. Æneid. v. 599 lib. II. v. 787. lib. VIII. v. 383. lib. IX. v. 82. 94. 117 284. & 297. lib X. v. 234. & lib. XII. v. 412. & 554. pro Genetrix semper Genitrix; sicuti ex Aldina, Bersmanniana, Calagiana, Erythræjanis, (Hanoviensi videlicet, & Veneta) Frelloniano-Lugdunensi, Meyeniana, Minelliana, Plantiniano-Antverpiensi, Taubmanniana & aliis patet Editionibus.

Festus, & Cicero in Paradoxis: Felicatas istorum pateras. Ques pro Quis; Ennius, & Cato. Here Adverbium. Iuvenalis Satyra I. Res hodie minor est, *here* quam fuit. Quam Scripturam Priscianus ibidem observavit, & Quinctilianus sua ætate in usu fuisse testatur. Nam in fine Dictionum Veteres usi indifferenter his Litteris, maxime in Adverbiis, & Casibus Dativo, & Ablativo tertii Ordinis, ut infra dicemus.

5. E & O, unde Apello. Sed Antiqui dicebant pro Apollo, Sol, Helus Helusia, quod nunc Holus Holera, teste Festo, item Hemo Homo. Ennius II. Annal. Vulturius silvis miserum mandebat *hemonem*. Pigneris, ut Pignero Verbum. Plaut. in Capt. Reliquit *pigneri* putamina. Cato de R. R. Si qua illata erunt, *pigneri* sunto. Iuvenalis Satyr. 3. *Pigneribus* positis. Gellius XTI. Obsidis vice pignerisque esse apud Rempublicam videbatur. Temperi Adverbium, & Temperius, id est maturius, a Tempus Temperis. Plaut. in Amphitr. Num satis *temperi*: Idem in Persa, *Temperi* hanc vigilare oportet. Cic. IV. in Verr. Se ad Comitia *temperi* venturum. Id. ad Pætum: *Temperius* fiat. Cornelius Nepos de Viris illustribus: C. Lælium quondam in Puteolano Kal. Mart. admonitum ab uxore, *temperius* ut discumberet. Memordi, Peposci, Spespondi observat Gellius, Rursus Amploctor, Animadvorto, Voster, Vortex, Vorsus & id genus alia Vetustiores omnes usurpant, quæ in Catone, Plauto, Terentio, Sallustio passim occurrunt, & Antiquitatis causa diligenter conservanda sunt. Volim pro velim Lucilius lib. 24. Satyr. Idola atque atomos Epicuri vin-

vincere *volim*. Plaut. in Asin. Meo modo loquar, quæ *volim*, Id. in Capt. Me fuisse, quam esse nimio *mavolim*. Cic. II. de N. D. Quo facilius id, quod dicere *volimus*, intelligi posit. Apprimo, Arcano, Tutissimo, Quotidiano & similia Adverbia, quæ infra referuntur (1).

6. E & V, ut Auger, Augeratus pro Augur & Auguratus notat Priscianus, Hemona, Humana Festus; Pepugi, Cecurri, pro pupugi, cucurri. Gellius. Contra Participia Faciundum, Vendundum, ceteraque V Littera media proferunt Cato, Sallustius, Varro & alii, de quibus Priscianus lib. I. Apud Antiquissimos, inquit, quotiescunque N D sequuntur in his Verbis, quæ a tertia Conjugatione nascuntur, loco E V scriptum invenimus, ut *Faciundum*, *Legundum*, *Dicundum*, *Vertundum*, pro Faciendum, Legendum, Dicendum, Vertendum.

7. I & O, ut Olli pro Illi præter vetustiores Ennium, Plautum, Lucretium, etiam Virgilius, amantissimus antiquitatis, in Æneide usurpavit. *Agnotus* pro Agnitus: Pacuvius in Iliona: In turba cognita *agnota* est Soror. *Apolloni* Apollini in æreo Numismate, Apolloni Sancto. Inlico, sive Illico, pro in Loco. Ter. in Phorm. Exadversum *Inlico* Tonstrina erat quædam. Sispes Juno, Festus, pro ea, quæ vulgo appellatur Sospes, aut Sospita, a qua diversa est Iuno Hospita, cujus meminit Martianus Capella lib. I. Philologiæ: Junonis vero Hospitæ Genius accitus ex nona. Ut enim Jupiter cognominatus fuit Hospitalis: sic Juno

(1) Scil. huj. lib. I. cap. 13. de Adverbiis.

Juno Hospita dicta, & Hospita Minerva, quæ in Promontorio juxta Surrentum Templum habuit ab Vlysse conditum, ut auctor est Strabo. Statius lib. III. Silvarum: Qua Pater ætherius mensisque accita Deorum Turba, atque excelso veniat Soror Hospita Templo. Crastini, Quarti, Septimi, Noni Die pro Crastino, Quarto, Septimo, Nono, de quibus Gellius. Quivis, Quidquam, Quicum, pro Quovis, Quocum, vel Quacum, Terent. in Adelph. Abs *quivis* homine. Plaut. in Cistell. sed tun' unquam cum *quiquam* viro Consuevisti? Id. in Perf. Nec satis a *quicquam* homine accepi. Et in Merc. Quid tua refert, *quicum* istaç venerit. Virg. XI. Æn. Accam ex æqualibus unam, *Quicum* partiri curas.

8. I, & U, ut Existumo, Fuo, Dissupo, Optumus, Maxumus, Inclutus, & infinita alia omnes Veteres, atque etiam ipse Cicero in illis libris, in quibus Viros antiquos inducit differentes de Amicitia, & Senectute. Primus autem C. Iulius Cæsar per I ejusmodi verba enunciavit, & scripsit. Inde ceteri secuti auctoritatem, ut Varro, & Quinctilianus tradiderunt. Contra Manipretium Cato de R. R. & Varro IV. de L.L. Scripulum id. XIII. de R.R. & Satyris: Vt ne unum quidem habuerit *scripulum*, quem hirundinibus hospitis ostenderet. Simus pro Sumus Augustus Cæsar semper scripsit, itemque Messalla, Brutus & Agrippa, teste Suetonio. Recipero in Iurisconsultorum, & aliorum veterum Auctorum manu exaratis libris exstat, atque etiam in antiquis Inscriptionibus, ut Romæ: Sancto Semoni Deo Fidio Sacrum

De Curia Sacerdotum Bidentalium Reciperatis Vectigalibus.

9. O, & A, ut Posthoc pro posthac in Lege Papiria: Quicumque Prætor *Posthoc* Factus Erit. Et rursus Hacpropter, ut Quapropter pro Propter hoc. Varro in Satyris: Hac propter omnes, qui laborant, invocant.

10. O, & U, ut Folmen, Fonus, Popolus, Piacolom in Libris Fœderum & Legum antiquarum. Ollorum, id est, illorum fuit in columna Duillii. Hoc, Adhoc, Illoc, pro Huc, Adhuc, Illuc. Plaut. in Captivis: Quis ait *hoc*, aut quis profitemur. Id. in Mer. *Hoc* non voluntas me impulit. Ter. in Andr. Sublimen intra hoc rape. Id. ib. Cum *illoc* advento solitudo ante ostium. Id. in Adelph. Satis *adhoc* tua nos frustrata est fides. Varro V. de L. L. Voca inlicium *hoc* ad ad me. Lucret. lib. I. *Hoc* accedit uti solidissima materiai. Virg. IV. Æn. *Hoc* tunc ignipotens cælo descendit ab alto. Vlpianus ad Sabinum 17. *Hoc* usque erit procedendum. Quatenos pro Quatenus scripsit Scipio Africanus, teste Festo. Antiquos, Divos, Ovom, Servom, Volgus, Volt, & cetera, quæ nunc V gemino scribuntur, Plautus, Terentius, Varro, & ipse Cicero in Lælio & Catone, ut ex veteribus Libris apparet. Quam scribendi rationem sua ætate desiisse Quinctilianus auctor est. Idem observat Hecoba, & Notrix, ac ne in Græcis id tantum notetur, Dederont, & Probaveront. Ennius XVI. Annal. Concidit, & sonitum simul insuper arma *dederont*. Antiquæ Inscriptiones, Fueront, Vixeront. Contra Fruns & Frus

Frus frundis, Funs funtis, & similia, de quibus ita Priscianus lib. I. Multa praeterea vetustissimi in principalibus mutarunt syllabis, ut Cungrum pro congrum, Cunchin pro conchin, Huminem pro hominem, Funtes pro fontes, Frundes pro frondes. Ennius. Populea *frus*. Id. VII. Annal. Rurescunt *frudes*. Vtrubi, Vtrubique habent Libri Pandectarum, qui ab archetypo Florentino manarunt. Iidem constanter & sine ulla varietate referunt Suboles, Adulescens, Epistula, e quibus illud Suboles etiam in aliorum Auctorum veteribus Libris perpetuo scribitur, eamque Scripturam confirmat Etymologia, quae in Adulescens repugnat. Vtrumque enim deducitur ab antiquo verbo Olesco, quod significat Cresco, auctore Festo. Sed & Epistula in aliis multis Libris, & antiquis Inscriptionibus exstat; neque ante Iustiniani Imperatoris tempora, ut videtur, O litteram recepit; quamvis origine sit Graecum Επιϛολη: quod ipsum quoque est in Numisma & Brundisium (1), quae Graeci scribunt Νομισμα, Βροντισιον.

11. V & Y mutant in Graecis Dictionibus; ut Myrrha, Murra, Myrtus, Murtus. Quam commutationem observavit Cicero in Oratore: Purrum semper Ennius, inquit, nunquam Pyrrhum, Vi patefecerunt Fruges, non Phryges, ut ipsius antiqui declarant libri. Nunquam enim Graecam litteram addebant: nunc autem etiam duas, & cum *Phry-*

(1) Legunt & Graeci Βροντεσιον, seu Βρεντεσιον. Brentesium a Brento quodam, (si Stephano credimus) Herculis Filio, aut certe a cervini Capitis similitudine; quod Messapii sua lingua Βροντεσιον adpellabant.

Phrygum, & cum *Phrygibus* dicendum esset. Ennius VII. Annal. (1) *Purrus* uti memorant Divom a stirpe supremo. Id. Eurudica, Illurica, Olumpus; Livius in Odyssea Cuclops Vlisses; Cato Murtus, Mutilli Μυτιλοι Pisces. Vlpianus lib. IX. de Officio Proconsulis: Quod instituuntur Venatores, aut *Purricharii*. Similiter Assurius, Musia, Tumpanum in Iuriscousultorum optimis Libris exstat: sicut contra *Lysitania* pro Lusitania; *Lydi* pro Ludii. Plaut. in Curcul. Fice causa mea *Lydi*, Barbari, *Cymæus* pro Cumacus, Varro I. de R.R. Antigonus *Cymæus*. Virg. Ecl. V. (2) Vltima *Cymæi* venit jam carminis ætas. Id. VI. v. 98. Æn. Talibus ex adyto dictis *Cymæa* Sibylla. Ex hoc autem genere pleraque U litteram retinuerunt, ut *Duplus*, *Sulla*, *Tuscia*: Quædam in I mutarunt, ut *Inclitus*, *Lacrimæ*, *Stilus*, *Olimpus*; *Mitili* pisces apud Plinium; alia Y receperunt, ut *Cylops*, *Myrtus*, *Mysia*, & similia.

CAPVT II.

De Mutatione Dyphthongorum.

EX Vocalibus coalescunt & constanter Diphthongi, quibus itidem varie usos Antiquiores observavimus, ut

1. Pro

(1) Hic locus Ennianus lib. VII. Fragmentor. quæ Henricus Stephani studiosissime excudi curavit; non extat, nec est reperiendus inter istos Versus, quos ex incertis Annalium libris ibid. pag 48. seqq. collectos deprehendimus.

(2) Non extat hic locus Eclog. V. sed VI. & quidem v. 4. ubi pro *Cymæi* in plurimis Recentiorum Editionibus rectius legitur Cumæi.

1. Pro Æ nonnulli Græcorum more semper efferebant Ai : quidam singulariter tantum, cum in Genitivum, vel Dativum Casum incidissent, ut Quinctilianus testatur. Hinc Aimilius, Aiternus, Paitus in antiquis Marmoribus exstat : Maisius, Nainia ; Operai adservant veteres plerique libri. Poetæ autem hac Diphtgongo distracta fere utebantur, ut Ennius Terrai frugiferai, & Nævius, Lucretius, stque etiam ipse Virgilius, cum ait : Alai in medio, & Pictai Vestis.

2. Œ fuit loco U Vocalis ; ut Pœnio, (a quo manet Pæna) Mœrus, Mœnera, Pœniceus, Œsus, quæ nunc Punio, Murus, Munera, Puniceus, Usus. Commœtat pro Commutat, Cato de R.R. Interdum ponebatur loco I, ut Lœberum Liberum, Lœbertas Libertas, Festus : maxime in Nominativis Pluralibus Græca terminatione, ut Olœ, Olli, sive Illi in lege Regia : Si Parentis Puer verberit, ast olœ plorassint. In Carmine Saliari : Pilomnœ Poplœ, id est, Pilumni Populi, scilicet Romani, Pilis in Bello uti adsueti.

3. Au pro O, Ausculor, Osculor (1), Aula, Olla.

(1) Cum aliquando (Mens. np. Novembr. Anni Christi MDCLXXIX.) Illustrem atque Excellentissimum Virum Dn. Iobum Ludolfum, ICtum celeberrimum, Consiliarium Saxo-Gothanum splendidissimum, Linguarum Orientt. Doctorem peritissimum, Patronum meum adhuc magnum, & certum, eumque Dresdæ in arduis Sereniss. Ducis ac Heri sui negotiis t. t. commorantem, de Origine Mutationis Diphthongi Au in O modestissime quærerem ; doctam atque eruditam hanc Responsionem, inque chartam benevole atque eleganter conjectam accepi ex animi sententia : Ad quæstionem Tuam, Hekeli Cl. cur Ausculor pro Osculor apud Pacuvium reperiatur, sciendum, vel illius Auctoris, vel certo Regionis cujusdam Dialectum fuisse. Nihil enim inter Nationes frequentius, quam permutatio Diphthongi Au in O. Hinc Maurus, & Mauritania oriundus, Italis Moro, nobis *ein Mohr*. Et

sic

Olla. Vnde Aulicoqua Exta, quæ in Ollis coquuntur, Raudus Rodus in XII. Tabulis; Raudusculo libram ferito. Caurus Corus Ventus, Saurex Sorex, Caudex Codex, a quo Caudicariæ Naves.

4. E diverso O, pro Au, ut Clodius apud Ciceronem, quem Claudium aliis dictum Dio Historicus notat, Coda, Plodo, Plostrum, Clostrum, pro Cauda, Plaudo, Plaustrum, Claustrum; quæ Diomedes Libro primo adnotavit, & in veteribus Libris passim occurrunt. Oricularius clyster in Libris Medicorum pro auricularius. Dehorito Dehaurito, Polulum Paululum, Cato de R. R. Copo & Copona pro Caupo & Caupona, Festus & Charisius.

II. Præter has autem Diphthongos, quibus hodie utimur, aliis multos usos Veteres constat, ut

a. Ei pro I longa: unde Quei, Lucei in antiquis Libris; Etruscei, Sabinei in Monumentis legitur. Quem usum tradit Lucilius lib.IX. Satyr. ubi de litteris disputat.

Iam Fuerei venere, E postremum facito atque I,
Vt plurès Puerei fiant. I si facis solum
Pupilli, Pueri, Luccilli, hoc unius fiet.
Hoc illi factum est uni, tenue hoc facies I.
Hac illei fecere, addes E, ut pingujus fiat.
Meil-

sic in Latinis plerisque Itali Au in O mutant. Exempl. gr. Laude Lode, &c. ut verisimile sit, multos Latinorum olim sic pronunciasse. Nam & Galli pro Aurum dicunt Or. Sic Germani nostri Lauri baccam vocant *Lorbeer*, Auris *Ohr*. Et vice versa ex O faciunt Au, ut cum ex Lora fecerunt *Laur*. Immo pro diversitate Regionum nonnulli pro *Augen* dicunt *Ogen*: pro *Laufen*, *Lofen*: *Raufen*, *Rofen*; quod upud Saxones, & Belgas perpetuum est, qui dicunt *Loopen*, *Ropen*, & similiter.

Meille hominum, duo meillia, item huic utroque
opus meille.
Meilitiam, tenues I, Pilam, qua ludimus, Pilum
Quo pinso, tenues I, plura hæc feceris, Peila
Quæ jacimus, addes E, Peila, ut plenius fiat.
Mendacei Furcique addes E, quam dare furei
Jusseris.

Sed a Lucilio dissentiunt Quinctilianus, & Velius Longus, qui observationem illam cum supervacuam, tum incommodam esse docent.

b. Oi, ut Coilum Cœlum, *Proilium* Prœlium, quod retinent libri veteres Plauti in Menæchmis:

Ego istic mihi hodie apparari jussi, apud te
proilium
Hodie ut fieret: in eo uterque pro Ilio potabimus.

Vbi est venusta Paronomasia *Proilium* & pro Ilio, quæ nulla est in Voce Prœlium.

c. Ou, ut Fourius, Foures, Ious, Ioudico, aliaque hujusmodi, quæ in antiquis Inscriptionibus exstant.

CAPUT III.

De Consonantium inter se Commutatione.

Nec minor varietas & mutatio fuit inter Literas Consonantes, sicut inter

1. B & P, unde Scapreo, pro Scabreo Ennius & Pacuvius apud Nonium: Optineo, Optulit, Suprile, Libri & Monumenta.

2. B & V Veteres & in pronunciando, & in scribendo indifferenter posuerunt, ut *Ferveo* & *Ferbeo*, *Ferbesco*. Hor. I. Sermon. Velatumque stola mea cum *conferbuit* ira. *Rebito* Plautus in Captivis: *At si non rebitas huc. Revito* περικάμπτω Glossar. *Billius* est apud Valer. Max. VIII. Idem *Villius* apud Liv. XXIX. & XXXI. *Bagienni* Populi nominantur a Varrone I. de R. R. qui *Vagienni* a Plinio lib. III. Sic in antiquis Monumentis leguntur *Albus*, *Serbus*, *Amavilis*, *Venemerens* & similia. Ex hoc autem promiscuo & indifferenti Usu istarum Litterarum multi errores veterum Auctorum libros insederunt, ut in Dictionibus *Acerbat Acervat*, *Habe Have*, *Belle Velle*, *Bilis Vilis*, *Jubet Juvet*, *Nobis Novis*; quarum altera in alterius locum migravit; sicut *Favia Lex* & *Faviana Actio*, *Jubentius*, *Jubolenus*, *Habitus* scriptum fuit pro *Fabia*, *Fabiana*, *Juventus*, *Javolenus*, *Avitus*.

3. C & G invicem commutarunt, ut *Acetare* dicebant, quod nunc dicimus Agitare, Festus. Idem & *Calbei* & *Galbei*, *Cerrones* & *Gerrones*, *Culiocæ*, & *Guliocæ*, *Clucidatum* & *Glucidatum*. Sic in Lege *Numæ*: Acnom Feminam Cædito. Et in XII. *Tabulis*. Nei Cum Eo Pacit. Ut & in Libris *Augurum*: Interea Ea Conrecione, pro *Conregione*. Similiter in antiquis Marmoribus & Numismatis *Curges*, *Calba*, *Calbinus*, *Oculnius*, pro Gurges, Galba, Galbinus, Ogulnius. *Germalum* Montem Romæ nominat Varro, *Cermalum* Festus; *Ancras* Arborum intervalla, Idem; *Angras* Isidorus. *Cajus* vulgo in *Pandectis Florentinis* est *Gajus*. *Gummis* a Catone dicitur *Cummis*, ut

a Græ-

a *Græcis* κομμt. *Vacca* Oppidum & *Vaccenses* sunt Sallustio; *Vaga* & *Vagenses* Plutarcho & Ptolomæo, quibus pleraque *Sallustii* antiqua Exemplaria accedunt. Item *Sugambri*, *Nongœa*, *Nonagria*, *Lygurgus* habent Libri veteres.

4. Præterea mutant C & QV, ut *Arquus*, *Oquulus* pro Arcus, Oculus, Priscianus. Vicissim *Anticus*, *Eculus*, pro Antiquus, Equulus scripti Libri. *Quum* vel *Quom* scribi indicat Quinctilianus, qui velut frigidam notat, quæ sit a multis tradita Differentia, ut cum significaret Tempus, Q; cum autem causam vel Conjunctionem, C acciperet. Quoi pro Cui paullo ante *Quinctiliani* ætatem, ut distingueretur a Nominativo Qui, scribebatur, ut Virg. III. Georg. *Qui non dictus Hylas*, Sic illud Ter. in And. *Qui mihi exorandus est*; nonnullos legisse, *Qui mihi expurgandus est*, pro Cui, adnotat Donatus. Quæ ratio scribendi, opinor, induxit *Servium Grammaticum*, ut Nominativum *Qui* pro Cui, vel Quoi perperam acciperet, in illo Virg. Ecl. IV. --- *Qui non risere Parentes*. *Delicia* tignum, Festus, *Deliquiæ* Vitruv. VI. *Querquera* febris, Lucilius. *Quercera* Gell. XX. *Cotidie* non Quotidie, licet originem habeat a quoto die, scribunt Quinctilianus & Victorinus. *Stercilinium* pro Sterquilinium habent Libri veteres Catonis de R. R. & Ter. in Phorm. Quibus consentiunt Pandectæ Florentinæ. *Inseco* & *Insequo*, id est, dicendo præeo, & sequentem verba duco, Ennius, Livius Andronicus, & Cato, ut disputat Gellius XVIII. *Hujusce* & *hujusque* promiscue olim scribebant, etsi Victorinus ista significatione distinguit. Hinc eadem Fortuna

hujus-

hujuſce diei apud Plin. XXXIV. & Fortuna *hujuſque* diei apud Cic. II. de Leg. & Victorem de Regionibus urbis: Vicus Hujuſque Diei Fort. Æd.

5. Sic D & L, ut *Dacruma* Lacruma, *Dautia* Lautia, *Fidius* Filius, *Reduvia* Reluvia, aliaque id genus, de quibus præter Feſtum, Victorinus his verbis: Novenſiles ſive per L, ſive per D ſcribendum. Communionem enim habent hæ Litteræ apud antiquos, ut *Dinguam* Linguam, & *Dacrimas* Lacrimas, & *Capitodium* Capitolium, & *Sella* a Sede, *Olere* ab Odore. *Melicæ* Gallinæ adpellantur, quæ Medicæ a Media Inſula dici debebant, auctore Varrone & Columella. *Delicare* pro Dedicare, & *Delicatus* pro Dedicatus, ſive Conſecratus, *Impelimenta* Impedimenta, *Caſſilem* Caſſidem, Feſtus.

6. D & R, ut *Apor*, vel *Apur*, pro Apud, idem, & Victorinus, *Medidies* Meridies, Varro VI. de L. L. In Lege Numæ: Jovi Fedetrio Bovim Cædito. *Monerulæ* pro Monedulæ. Plautus in Captivis: Aut *Monerulæ*, aut Anates, aut Coturnices dantur, *Arvectum* Advectum, Cato de R. R. *Arcedo* pro Accedo, Turpilius in Boethuntibus: Qui verba venatur mea, Peſtis *arcedat*, & ſermonem hinc ſublegat. *Arfero* Adfero, unde *Arferia* aqua, quæ in ſacris inferorum adferebatur, Feſtus. Similiter *Arvenio*, *Arvento*; *Arfari*, ut notat Priſc. lib. 1. Antiquiſſimi vero, inquit, pro AD *AR* ponebant, *Arvenas*, *Arventores*, *Arvocatos*, *Arfines*, *Arvolare*, *Arfari*, dicentes, pro Advenas, Adventores, Advocatos, Adfines, Advolare, Adfari.

7. D

7. D & T, ut *Andruare* & *Antruare*, id est Circumflectere; *Drua* & *Trua* Cochlear, quo illa commovetur, Festus: & maxime in fine Dictionum, ut *Apud* & *Aput*, *Ad* & *At*, *Quod* & *Quot*, *Quodannis* & *Quotannis*, *Sed* & *Set*, *Haud* & *Haut*: quæ etiam nunc in optimis vetustissimis Libris promiscue scripta reperiuntur. Id, quod videtur confirmare Quinctilianus lib. 1. ubi notat, quosdam frigide observare, ut *Ad*, cum esset Præpositio, D litteram; cum autem Conjunctio, T acciperet. Quam tamen differentiam sequendam præcipit Victorinus, & similem tradit inter *Haud* & *Haut*: Haut, inquit. D litteram conservat, si sequens vocabulum incipiat a Vocali, ut *Haud aliter* minor, & *Haud equidem*: at cum Verbum a Consonante incipit, D perdit, & T inducit, ut *Haut dudum* & *Haut multum*.

8. F & C, ut *Ecfero* Efferro, *Ecfari* Effari, apud Plautum sæpe, & Lucilium lib. 26. Neu Mysteria referres foras.

9. F & H, ut Forda & Horda Bos prægnans, a quo *Fordicidia* & *Hordicidia* Sacra, Varro. Idem *Fœdus*, *Folus*, *Fostis*, *Fostia*, *Fircus* pro Hœdus, Holus, Hostis, Hostia, Hircus, idem Festus. Hanula pro Fanula, parva Delubra, idem. Hortes pro Fortes Isidorus.

10. F & R, ut Sufflamen, & Suffr amen, Conflages Loca, in quæ diversi confluunt Venti, Festus; *Confrages*, Isidorus. Hinc in Versu Plauti in Curcul. legit Festus Clupeatum Elephantum machæra dirigit; Nonius autem diligit: ubi tamen nunc melius est dificit.

11. G & N, de quarum communione ita Varro

ro lib. 1. de L. L. *Aggulus*, *Aggens*, *Agguilla*, *Iggerunt*, in ejusmodi Græci & Attius noster binam G scribunt.

12. Alii N & G, quod in hoc veritatem facile videre non est. Similiter *Agceps* & *Agcora*. Ita Stagneum pro Stanneo Plaut. apud Festum: Murraticam autem video in vasis *stagneis*. Scribonius Largus: Pixide *stagnea*, Vase *stagneo*. Ulpianus D. ad Legem Cornel. de Falsis: Ne quis numeros *stagneos*, plumbeos emere vendere dolo malo velit.

13. L & N, ut Nympha, Lingua Ningua, unde Ninguosi Garruli, Glossæ Isidori. Luscitiosus & Nuscitiosus, qui interdiu parum videt, Festus.

14. L & R, ut Palilia & Parilia Sacro, Prœliaris & Prælialis Dies, Latiaris & Latialis Jupiter; Pellicio Perlicio, Velius Longus; Perlego Pellego, Terentius Scaurus in Versu Virgilii: *Pellegerent* oculis. Agonalia Agonaria Sacra, Glossæ; Mortualia Plaut. in Asinaria: Hæc sunt non nugæ. Non enim *mortualia*. *Mortuaria* Gellius XVIII. Vos philosophi mera estis, ut Cato ait, *Mortuaria* glossaria, Imperia pro Impelia, sive Impilia scribitur in Libris Pandectarum ex Pauli ad Sabinum 4. Lecti etiam inargentati, culcitræ, toralia, imperia, Vasa aquaria.

15. L. & T, ut Thetis Dea Græce, Ennius Thelis, Dea Thelis ei mater.

16. M transire in N, adnotat Priscianus lib. 1. maxime sequentibus Litteris D. T. C. Q. ut Tam, Tandem, Tantum, Tantundem, Idem, Identidem, Num, Nuncubi. Contra Muginor, pro

pro *Luginor*, id est, Nugor. Varro: Dum ista *mugiiamur* pluribus horis vivimus.

17. M & S mutant in fine Dictionum, ut *Demus* peo Demum, Livius Poeta, teste Festo, *Serſus* pro Seorſum, Afranius apud Chariſium, *Prorſum* pro Prorſus, Idem in Emancipato: Vetuit me ſine mercede prorſum paucies Remeare in ludum.

18. N & R, ut *Architectores* pro Architectones, *Strigores* pro Strigones homines magnatum virium, Feſtus. Item *Extrarius* & Extraneus, *Præcidarius* & Præcidaneus, *Proletarius* & Proletaneus, *Vicarius* & Vicaneus, *Præſentarius* & Præſentaneus, quæ eadem eſſe, & nihil omnino differre monui de Differentiis Verborum.

19. N & S migrant fere in fine Græcarum Dictionum, ut Aris Arin, Eleuſis Eleuſin, Delphis Delphin, *Minos* Minon, & ſimilia, quæ Priſcianus obſervavit.

20. R & S, ut Comperce pro Compeſce, Feſtus; Quære pro Quæſe. Plautus in Menæchmis: *Quære* meum Patrem, tecum ſimul ut veniat ad me: Niſi quis hic malit quæſe; uti in Bacchidibus: Mirum eſt, me ut redeam te opere tanto *quæſere*. Contra *Eſit*, vel *Eſcit*, *Obeſit*, *Supereſcit*, pro Erit, Oberit, Supererit, Feſtus. In XII. Tabulis: Si Morbus Ævitaſve Vitium Eſit; & Quoi Auro Dentes Vincti Eſunt. Ennius in Annalibus: Dum quidem unus homo Romæ toga *ſupereſcit*, Lucretius lib. 1. Ergo rerum inter ſummam, minimamque quid *eſcit*. Auſelii, Papiſii, Valeſii, antiquitus nominati, qui poſtea Aurelii, Papirii, Valerii, de quibus Cicero in Epi-

Epiſtola ad Pætum. Varro lib. VI. de L. L. In quo Antiqui dicebant S; nunc dicunt R, ut in Carmine Saliari ſunt hæc: *Coſculo*, *Doloſi*, *Eſo*. Poſt *melios* melior, *Fœdeſum* Fœderum, *pluſima* plurima, *Janitos* Janitor, Cato de R. R. Fundus *melios* erit. Item *Amos*, *Colos*, *Honos*, & ſimilia Maſculina nunc in OR finita. Plaut. in Curcul. Ejus *amos* cupidam me huc prolicit. *Clamos* Ennius XVII. Annal. Tollitur in cœlum *clamos* exortus utrimque. *Colos* Varro in Prometeheo: Ex ſanguinibus dolore evireſcat *colos*. Sall. in Catilina: *Colos* ejus exſanguis. *Labos*, *Odos*. Idem ibidem: Igitur talibus viris non *labos* inſolitus. Ter. in Hec. Aliquis objectus eſt *labos*. Plaut. in Capt. Quorum *odos* ſubbaſilicanos omnes abigit in forum. Id. in Curcul. --- naſo *odos* obſecutus eſt meo. Timos, Vapos: Levius Lycurgo, jam ibi nos implicat advenientis *timos* Lucr. VI. permanat *odos*, frigusque.

21. S & H, ut Hoſpicatur pro ſuſpicatur Claudium Quadrigarium lib. 8. Annalium dixiſſe obſervat Diomedes, qui mihi tamen de mendo ſuſpectus eſt, & puto illum notare voluiſſe Soſpicatur pro Suſpicatur dictum, V in O verſa. Rurſus Sos pro Hos dixit Ennius I. Annal. Conſtitit inde loci propter *ſos* Dea Dearum. & III. Circum *ſosque* ſunt magnæ Gentes opulentæ: quibus in locis Feſtus *Sos* pro Eos accipit.

22. S & T, ut Adgrettus, Exfutus, pro Adgreſſus, Exfuſus. Ennius Adgrettus fari. Merto Merſo, Lucr. V. contra nunc rerum copia *mertat*. *Pulto* & *Pultatio* pro Pulſo & Pulſatio. Ter. in Heaut. Ceſſo *pultare* oſtium. Plaut. in Moſtell.

ftell. *Pultabo* Heus. Id. in Bacch. Quaenam istaec est *pultatio?* *Ostentus*, *Tertus*, Ostensus, Tersus. Terent. in Phorm. Ni mihi esset spes *ostenta*. Id. in Sat. Εχω σε; *Terta* nitet galea. *Ipsipti*, vel *Ipsipte*, Festus, & Glossae, quod Plauto in Cistellaria *Ipsipsus est*.

23. S & X, ut *Nugas* pro Nugax, Charisius & Priscianus, Varro in Synephebo; Quod si Actaeon occupasset & ipse prius suos canes comedisset, non *nugas* saltatoribus in theatro fieret. *Adassint* pro Adaxint, Plaut. in Aulul. Utinam me Dii *adassint* ad suspendium. *Ninsi* pro Ninxi, Priscianus.

24. X & C magnam habent adfinitatem. Unde ab *Illexit* fit Illicium, auctore Varrone VI. *Secus* pro Sexus neutri Generis, & unius Casus. Plaut. in Rud. Virile *Secus* nunquam ullam habuit. Sallust. II. Histor. Concurrentium undique virile & muliebre *Secus*. Gellius III. Quod ejus virile *Secus* futurum est. Ausonius, Vesta, Ceres, & Juno *Secus* muliebre sorores. Idem: Nota Calidoniis nuribus muliebre *Secus* Strix. Arnobius lib. 5. In quo *Secus* virile, non solum homines ponunt. Amm. Marcell. XVI. Rerum gestarum. Egressi promiscue virile & muliebre *Secus* sine aetatis ullo discrimine trucidabant.

CA-

CAPUT IV.

De Litterarum in Dictionibus Adjectione.

VT autem litteris commutatis, sic quoque iisdem adjectis, vel detractis multa Veteres variarunt. Cujus rei ignoratione plurima in optimorum Auctorum libris interpolata sunt.

I. Et aliquando quidem litteræ appositæ in initio Dictionum, ut *Stlocus* locus, *Stlatus* latus; unde mansit *Stlata* genus navigii, quod plures malos, aut Asseres habet, *Stlis* lis, a quo nuncupati decem viri *Stlitibus* judicandis, *Stritavus* Tritavus, *Scensa* Cœna, *Sesopia* esopia, Festus. *Scælum* Cælum in carmine Saliari, sed jam *Scælo* candens aurora. *Gnosco*, *Gnarro*, *Gnobilis*, *Gnavus*, *Gnatus*, quæ in Compositione nunc G litteram servant, ut Ignosco, Ignarus, Ignobilis, Ignavus, Cognatus. Quamvis Cicero aliter sentire videatur in Oratore, cum scribit: *Noti* erant, & *Navi*, & *Nari*; quibus cum *In* præponi oporteret, dulcius visum est, Ignoti, Ignari dicere, quam veritas postulabat. Cui consentit Festus, qui *Navus* in Ennio & Plauto agnoscit, ut etiam libri veteres Sallustii in Iugurtha: Imperata *navè* fecerant.

II. Interdum autem in medio dictionum litteræ interpositæ, ut

1. C in *Frucmentam*, *Ferctum*: genus Sacrificii apud Catonem, *Forctis* in XII. Tabulis: Nexo Soluto Forcti Sanatique Item Ious Estod. *Dume-*

Dumecta , *Escit* , pro Dumeta , Esit , sive Erit, Festus .

2. D in jungendis Verbis , ut *Mederga* , *Sederga* , *Tederga* : sicut est in redarguo , redimo , redamo . Plaut. in Asin. Si quid *mederga* tu hodie falsum dixeris . Id. in Epid. Meus deliquisset *mederga* .

3. E , ut *Cereo* Creo , a quo forte Ceres Dea appellata . Varro V. de L.L. Cerno a cereo , id est, creando . Trabes Ennius & Varro in Satyris : Plebes Cato & Sallustius ubique . *Arbiterium* pro Arbitrium sæpe scribitur in Pandectis Florentinis , & Inscriptione Romana : M. Largius M. F. Pomptinus Arbiterio Lardiæ Fortunatæ Vxoris . *Dextera* , *Extera* , *Infera* , *Intera* , *Supera* , pro Dextra , Extra , Infra , Intra , Supra . In libris Augurum , Interea ea conrecione . Cic. Arato : Torvus draco serpit subter *superaque* retorquens sese . Lucr. II. Linquit enim *supera* tetri primordia viri , & aliis multis locis .

4. I , ut *Audaciter* . Cicero pro Sex. Roscio , multa scelerate , multa *audaciter* , multa improbe fecisti . Seneca in libro : Quare bonis Viris mala accidant ? *Audaciter* Veteranus cruorem suum spectat . Cavitum , Ducitum , Plaut. in Mil. Opportune mihi *cavita* est hæc Epistola . Id. in Truc. Quia te *adduciturum* huc dixeras . Vlpianus lib. 45. ad Edictum ; *Duci tum* a Græco . *Favitum* , *Favitor* , quod tamen negat Charisius ulla Veterum auctoritate , vel ratione dici . Plaut. in Amphitr. Sat habet *Favitorum* semper , qui recte facit . Id. Ib. Sed cui *favitores* delegatos viderint . Lucil. XXIX. *Favitorem* me tibi atque Amicum summum.

mum. *Vacitus*, *Vacititas*, pro Vacuus, Vacuitas. Plaut. in Caf. Aures *vacivæ* si sunt. Id. in Curcul. Ita cum *vacivitate* venio lassi lactibus. *Calix*, *Merix*, pro Calx, Merx. Id. in Pœn. Quin prius disperibit faxo, quam unum *calicem* civerit. *Navita* Nauta, præter Poetas, Cato & alii. Stribilita genus Placentæ, quod apud Catonem *Scriblita*. Plaut. in Pœn. Nunc dum *scribilitæ* æstuant occurrite. *Civitatium*, *Hæreditatium*, *Anuis*, *Victuis*, & similes Genitivi: de quibus suo loco dicemus.

5. M, ut *Æditimus* pro Æedituus, in quo ineptiunt Grammatici, qui hoc significatione discernunt. Varro I. de R. R. Rogatus ab *Æditumo*, ut dicere didicimus a Patribus nostris, ut corrigimur a recentibus urbanis ab Æedituo.

6. N, ut *Ferinunt*, *Nequinunt*, *Obinunt*, *Prodinunt*, *Redinunt*, pro Feriunt, Nequeunt, Obeunt, Prodeunt, Redeunt, Festus. *Thensaurus*, *Vicensimus*, *Octogensimus*, *Totiens*, *Quotiens* habent Pandectæ Florentinæ: e quibus posteriora duo etiam in aliorum Auctorum libris veteribus perscripta exstant, atque ita scribenda esse monuerunt Caper, & Victorinus Grammatici. *Pauciens* observat Festus Titinii Gemina, Uxorem *pauciens* video.

7. P, ut *Ips*, *Quips*, pro Is, Quis, ut alibi adnotavimus.

8. R, ut *Laneus* Lanerus, *Querceus* Quercerus.

9. S ante M, vel T, ut *Dusmosus*, *Casmenæ*, *Cosmittere* Varro & Festus, pro Dumosus, Camenæ, Committere. Ennius I. Annal. Musai, quas me-

memorant *Casmenas* esse Latini. *Obstineo*, *Obstrudo*, pro Obtineo, Obtrudo, in Carmine Saliari; Sed jam scelo candens aurora *obstinet* suum patrem. Plaut. in Curc. Atque illud prius *obstrudamus*. *Præstergeo* Prætergeo, id. in Pseud. Vorsa, *præsterga*, strata, lautaque.

10. V, ut *Duo*, Do, *Adduo*, *Creduo*, *Reduo*, *Venumduo*; Plautus, Terentius & Vetustiores omnes. *Anguina* pro Angina, Glossæ; *Bovarium* pro Boarium antiqua Inscriptio, In Foro Bovario. *Muculeus* Nucleus. Plaut. in Cas. Qui e nuce *nuculeum* esse volt. Id. in Capt. *Nuculeum* amisit, reliquit pigneri putamina. *Nomenculator*, *Figulinæ*, *Secutio* pro Nomenclator, Figlinæ, Sectio, habent Pandectæ Florentinæ. Lautumiæ, quas Cicero in Verrem 7. & Festus dicunt Latumias, est in Pandectis, & Seneca lib. 9. Declamat. &. Controversiarum 5. Cum Reus rogaret, ut in *Lautumias* tranferretur, Ne nunc, inquit, quemquam vestrum decipiat nomen *Lautumiæ*, illa animo meo non lauta res est. *Ninguo*, *Tinguo*, *Ungueo*, *Urgueo*, Varro 7. de L. L. Et alia *urguent*. Id. 8. Cum alia vis *urguet*. Virgil. 8. Georgic. Interea toto non secius æquore *ninguit*. Et 1. Æn. Quid tamen Oceano properent se *tinguere* soles. Id. ib. In brevia & syrtes *urguet*: Lucr. 4. *Unguit* amaricino, & foribus miser oscula figit: Quam Scripturam Verborum *Unguo* & *Tinguo* approbant Valerius Probus, & Caper Grammatici. *Duonum* pro Donum in Carmine Cn. Martii Vatis: Quamvis noventium *duonum* negitate, id est, negate & repudiate donum, etiam eorum, quos noveritis.

 III.

III. Aliquando vero in Fine Dictionum Litteræ adjectæ, ut

1. C in Pronominibus *Hic*, *Hæc*, *Istæc*, pro Hi, Hæ, Istæ, de quibus infra.

2. D in omnibus fere Vocibus vocali Littera finitis, tum maxime, cum subsequentis Dictionis prima Littera est vocalis. Hinc *Estod*, *Habetod*, in XII. Tabulis, & in Columna Duilli *Altod*, *Marid*: de quo ita Quinctilianus lib. I. D Latinis veteribus plurimis in verbis in ultimo adjecta est, quod manifestum est etiam ex Columna rostrata, quæ est Duilio in Foro posita. *Med*. *Sed*, *Ted*, *Meritod*, & id genus alia Ennius & Plautus.

3. E, ut *Lacte*, *Sale*. Ennius VII. Annal. Cœruleum spumat *sale* conserta rate pulsum. *Cume*, *Tame* pro Cum, Tam, fuit in carmine Saliari, quod recitat Terentius Scaurus. *Virgiliæ*, *Laertiæ*, & similes Vocativi Nominum secundi Ordinis; de quibus Prisc. VII. *Exemplare*, *Pugillare*, & talia Neutra, quæ hodie in AR desinunt.

4. I, ut *Sicuti*, *Vti*, *Veluti*, Ennius, Cato, & Sallustius fere semper usurpant.

5. N, ut *Atquin*, *Cæteroquin*, pro Atqui, Ceteroqui, in optimis libris Pandectarum aliquoties occurrit.

IV. Huc pertinet geminatio Vocalium, quam etiam Quinctilianus notavit, cum scilicet vocalem producendam vetustissimi geminarent tam in fine, quam medio Dictionum, ut *Feelix*, *Viirtus*, in Numismatis, *Eiius*, *Eii*, *Reii*, *Habuuit*, *Fluuit*, in Libris antiquis exstat. De quo ita Prisc. I. Ut Majus, Pejus, Ejus, in quo loco antiqui sole-

bant

bant geminare eandem I litteram, & *Maijus*, *Peijus*, *Eijus*, scribere; quod non aliter pronunciari posset, quam si cum superiori syllaba prior I, cum sequente altera proferretur, ut *Peijus*, *Eijus*, *Maijus*: & duo II pro duabus Consonantibus accipiebant. Nam quamvis I sic Consonans in eadem syllaba geminata jungi non posset, ergo, non aliter, quam Tellus, Mannus, proferri debuit. Unde Pompeji quoque Genitivum per tria I Antiqui scribebant, quorum duo superiora loco Consonantium accipiebant, ut si dicas Pompeji. Nam tribus *III* junctis, qualis possit syllaba pronunciari? Quod Cæsari, doctissimo artis Grammaticæ, placitum a Victore quoque in Arte Grammatica comprobatur. Sic *Eii*, *Reii*, Plaut. in Cas. Senex hic maritus habitat, *Eii* est Filius. Et mox: Est *eii* quidam servus. Item in Prol. Mil. Magnai *reii* publicai gratia. Lucr. I. Neque ulla præterea *reii*, quæ Corpora mittere possit. Id. V. Nam primum quidquid fulgoris dissperit *eii*. Id. ib. Via, qua munita *fideii*. *Fuvit*, *Fluvit*, *Fluvidus*, *Habuvit*. Plaut. in Pœn. Quo genere gnata, qui parentes *fuverint*. Id. in Asin. Tot reddat spurcas, quod puras *habuverit*. Lucr. II. Sed quod amara vides eadem, qui *fluvida* constant: & alibi sæpius.

CAPUT V.

De Litterarum in Dictionibus Detractione.

RUrſus litteræ omiſſæ & abjectæ in initio, vel medio dictionum, & maxime Conſonantes, quas veteres non geminaſſe, Grammatici monuerunt, ut *Anus*, *Feſus*, *Oli*, *Tera*, pro Annus, Feſſus, Illi, Terra.

1. A, ut *Cludo*, *Cluſus*, non modo Antiquiores, ſed etiam Seneca in epiſtolis frequenter uſurpat. *Defrudo* præter Plautum in Aſin. & Terentium in, Adelph. ac Phorm. etiam Paulus Ictus lib. IV. Quæſtionum. Ne commodo dotis *defrudetur*. Quod pro *Quoad* Terent. in Eun. Munus noſtrum ornato verbis, *quod* poteris. Id. ib. iſtum æmulum, *quod* poteris, ab ea pellito. Cic. XII. ad Att. Aut ego ad te totus, aut tu ad me, *quod* licebit. Gell. XII. Hominem poſtea, *quod* Capillus adoleſceret, domo continuit.

2. E, ut *Am*, pro eam, Lucret. III. Corpore qui noſtro rarus magis *am* cohibeſsit. Ulpianus lib. 17. ad Legem Juliam & Papiam: Si totam *am* partem, ex qua quis Heres inſtitutus eſt. Quo tamen loco ſuſpicor, illud *Am* negligentia librarii repetitum ex poſtrema ſyllaba præcedentis Dictionis. *Audibam*, *Cuſtodibam*, *Lenibam*, & ſimilia, de quibus infra.

3. H in principio dictionum: ut *Allex* pro Hallex, Feſtus. *Ei* pro Hei in libris antiquis Plauti in Caſina, ei ei; fœtet tuus mihi ſermo. *Em* pro Hem, Ter. in Eun. Amo *em*. Et, *Em* Eunu-

Eunuchum tibi. In Adelph. *Em* tibi rescivit rem omnem; Varr. lib. de R. R. *Em*, quin adsum; Cic. 13. epist. *Em* hic ille est de illis maxime. Aut post Consonantes, ut Cicero & Quinctilianus, itemque veteres Grammatici testantur. Unde etiam nunc *Broccus*, *Graecus*, *Pilippus*, *Triumpus*, *Tropaeum* retinent nummi & marmora, atque etiam plerique antiqui libri.

4. I, ut Caldus usurpant veteres omnes, *Frigdus*, *Ardus*. Attius in Annalibus — ut quam *frigdissimus* alvus. Lucil. VIII. satyrar. Sallere muraenas, mercem in *frigdaria* ferre. Id. XXVII. Ardum, miserrimum atque infelix lignum sambucum vocant. *Cante* pro Canite fuit in Carmine Saliari: Divom exta *cante*, divom Deo supplice *cante*. *Lamna*, Lamina, Hor. II. Carmin. Abditae terris inimice *lamnae*. Ulpianus ad Sabinum 44. Quod neque in massa neque in *lamna*. *Mna* mina, Plaut. in Asin. Viginti argenti commodas *mnas*. Id. in Curcul. Triginta *mnis* vestem, aurum. In Poen. Si ego *mnam* non ultus fuero. *Subus* pro suibus Varro 1. de R. R. -- Ita Bubus ac *Subus*, ut fiant pingues. Id. 2. De *Subus*, nemini ignotum. Lucret. 1. -- setigeris *subus* acre venenum est, & mox -- *subus* haec jucunda videtur. *Depostus*, *Repostus*, Poetae crebro usurpant, in quibus Grammatici volunt esse Syncopen.

5. M, ut *Tympanum*, *Typanum*, Glossae.

6. N, ut *Pago*, *Tago*, *Attigo*, *Contigo*, Pacuv. in Teucro; ut ego si quisquam me *tagit*. Plaut. in Bacch. Ne *attigas* puerum ista causa. Apul. IX. Metam. Inchoatum gustum extremis labiis *contigebat* Adolescens. Sic *Piso* Varro 1. de

R.R. Ut in pistrino *pisetur* ac torreatur. Id. IV. de L.L. Pilum, quod eo far *pisunt*. *Fros* Id. XV. Antiquit. Humanar. *Fros*, *Fœnum*, *Messis*. Et I. de R. R. Unde *fros* ovibus & bubus fiet: Virg. II. Georg. *Fros* tenera imprudensque laborum. *Columa* pro Columna, teste Quinctiliano. Unde *Columen* & *Columella* forte dicta sunt. *Tondes*, *Prasus*, *Praegnas*, *Mesis* & similia retinent veteres libri Varronis & aliorum Scriptorum, abjecta N inter Vocalem & S Litteram, eaque Veteres promiscue sic pronunciasse testantur grammatici, & manet vestigium in eo, quod scribitur Cos, id est consul.

7. R, ut *Susum*, *Deosum*, *Rusum*, *Prosum*. Cato de R.R. Ita subducito *susum* animam. Varro IV. de R.R. Qui colunt *deosum*, magis Æstate laborant, qui *susum*, magis Hyeme. Id. lib. de L.L. Clivus proximus a Flore *susus* versus. Catullus: Animo æstuante *rusum* reditum ad vada tetulit. Afranius in Emancipato: Vetuit me sine mercede *prosum* pauciens remeareiin ludum. Paulus lib. II. de Adulteriis: A patre, avo, proavo & ceteris *susum* versus.

8. T, ut *Pacio* pactio, *Dubio* dubito, Festus.

9. V, ut *Sis*, *Sos* & *Sas*, pro suis, suos & suas. *Em*, vel *Im*, pro *Eum*, ut infra de pronominibus dicemus. *Alis*, *Alid*, pro alius, aliud, a quo aliter adverbium formari censet Priscianus, & *Alimodi* pro aliusmodi, Festus. Sallust. in Catilina: *Alis* alibi stantes. Catullus de Coma Berenices; Conjugium, quo non fortior ausit *alis*. Lucret. I. Quando *alid* ex alio reficit natura. Et II. Sic *alid* ex alio nunquam desistet oriri. Id. V.

Sic

Sic *alid* ex alio peperit diſcordia triſtis . *Savior* & *Savium*, pro ſuavior & ſuavium conſtanter retinent libri veteres Plauti , Terentii , aliorumque , & ſavillum, genus operis piſtorii a ſuavitate apud Catonem . Diſſuavior M. T. Cicero ad Tironem : etiamſi te veniens in medio foro videro, *diſſaviabor* . *Circlus* , *Oraclum* , *Periclum* , *Seclum* , *Hercle*, *Singlariter*, & id genus alia exſtant apud Poetas : quæ metri cauſa ita contracta volunt grammatici ; cum tamen in ſoluta quoque Oratione inveniantur pleraque , ut *Tablinum*, *Figlinæ* , *Triblæ* apud Catonem . *Surcli* Varro I. de R. R. Quod ex arbore per *ſurclos* defertur in terram . Seclum Cicero ad Atticum / Promiſcus , a quo adverbium promiſce & promiſcam , de quo infra . Gell. XI. Varia *Promiſcaque* & non neceſſaria . Id. VI. Ut promiſcue dici ſolet; & alibi ſæpius.

II. In fine dictionum litteræ abjectæ, ut

1. C, *Iſti* pro iſtic . Afranius in Conſobrinis: Hem *iſti* parentum eſt vita vilis, liberis Vbi malunt metui , quam vereri ſe a ſuis . *Illi'* pro illic ſæpe apud Plautum . Turpilius in Canephoro, Haud facile eſt venire *illi'*, ubi ipſa eſt ſapientia . Ter. in. Hec. *illi'* ubi ſum adſidua . Id. in Phorm. Interea dum ſedemus *illi'* . Varro I. Hebdomadon : Quod *illi'* Jotæ mortuo faciunt ſacra . Lucr. I. *illi'* cum videant Solem . Cœlius ad Ciceronem : Domitium quemdam nobilem *illi'*.

2. E in adverbiis hac littera deſinentibus , ut *Volup* , *Facul* , *Difficul* , pro volupe , facile , difficile .

3. H , ut *Pro* , loco proh . Salluſt. in Catil. *Pro*

Pro Deum atque hominum fidem. Cic. in Œcon. *Pro* Deum immortalium.

4. I in dativis quartæ declinationis, *Luxu*, *Victu*, *Sumtu*; & in genitivis quintæ declinationis, ut; *Die*, *facie*, item in genitivis nominum secundi Ordinis, quæ geminatam litteram I habent, ut *Oti*, *poculi*, *Pecuari*, *Tuguri*: de quibus omnibus infra suo loco dicemus.

5. M in verbis, quæ ipso M finiuntur sequente vocali, ut *Secundum* pro secundum. Varro 2. de R.R. *Secundo* ea cum jam pasci possint. Visu iri, Cic. 1. Off. Se beneficos in suos amicos *visu* iri. Datu iri, creditu iri, debitu iri, traditu iri in libris Jurisconsultorum.

6. N abjiciunt latini in græcis dictionibus, ut *Antipho*, *Dorco*, *Meto*, *Xeno*; ad eumdemque modum plurima, quæ Priscianus observavit. Laco Horatius in Epod. aut fulvus Laco.

7. S, ut *Qui*, *Aliqui*, *Siqui*, *Nequi*, Ter. in Phorm. *Qui* nominat me? Cic. Nisi *qui*, ut icis, Parthicus casus accesserit. Id. 3. Off. Nisi *aliqui* casus consilium ejus prævenisset. Varro 2. de R. R. Ne *qui* porcellus a matre opprimatur. Id. in Lege Mænia, Si qui patriam majorem parentem extinguit. Idem nominativi græci in As: *Ænea Pausania*, & genitivi in Is, ut *Ogygi*, *Persi*: de quibus infra. *Mehercule* maluit Cicero dicere, quam Mehercules, ut ipse testatur in Oratores his verbis: Pomeridianas quadrigas, quam postmeridianas, libentius dixerim, & *Mehercule*, quam Mehercules. Et ita ad Cælium: Mihi *Mehercule* magnæ curæ est. Quamvis in Verr. Mehercules bis dixit, & in Catil. & pro Plancio:

pro

pro Amerino autem & in Bruto Hercules. *Ambo*, *Duo*, Accusativo casu. Terent. in Andr. *Ambo* opportune vos volo. Id. in Adelph. Tu illos *duo* olim pro re tollebas tua. Plaut. in Amphitr. Puer *ambo* anguis enecat. Et in Epid. Quæ Senes *duo* docte ludificetur. Id. in Pseud. Lanios inde accersam *duo*. Lucil. Hunc pontes Tiberinos *duo* intercaptus catillo. Cato de R.R. Eo calcem cribro secretum indito alte digitos *duo*. Varro I. de R. R. *Duo* Villicos & duas Villicas. Id. 2. Satis esse *duo*, & id marem & fœminam. Cicero Gallo: Præter nos *duo* loquitur isto modo nemo. Id ad Q. Fratrem: *Duo* Mysos insuisses in culeum. Virg. in Bucolicis: Craterasque *duo* statuunt. Id. ib. Nam sæpe senex spe carminis *ambo* luserat. Et IV. Georg. Verum ubi ductores acie revocaveris *ambo*.

CAPUT VI.

De Syllabarum in Dictionibus Adjectione.

EAdem varietas & mutatio in Syllabis, quibus adjectis, vel detractis plerasque Dictiones producebant, alias contrahebant:

I. Idque interdum in principio, ut.

1. Cum Du ponebant loco B, ut Duis Bis, a quo *Duicensus* Bicensus, *Duidens* Bidens Hostia, *Duonus* Cerus, id est, Creator bonus, *Duellum* Bellum, *Duellicus* Bellicus, *Duellator* Bellator. Plautus in Captivis & Epidico, & Lucr. II. *Equo-*

quorum duellica proles. *Duillii* Billii in Historia Romana nobiles, de quibus Cicero in Oratore his verbis: Quid vero licentius, quam quod Hominum etiam nomina contrahebant, quæ essent aptiora? Nam ut *Duellum* Bellum, *Duis* Bis: sic *Duilium* eum, qui Pœnos classe devicit, *Bilium* nominaverunt, cum superiores appellati essent semper *Duilii*.

II. Aliquando Syllabas interponebant in medio dictionum, ut *Æuiternus* Æternus. Varro in Pseudolo: Per *æuiternam* Hominum domum Tellurem. Avicipes, Præcipes, Principes, de quibus Priscianus. *Antidea* Antea Liv. XXXII. Si *antidea* Senatus Populusque jusserit fieri. *Interidea* interea Glossæ, *Indoteridea* εν τω μεταξυ. *Postidea* Postea, Plaut. in Aulul. Nunc, quod profectus sum, ibo *postidea* domum. Id. in Cat. *Postidea* rursum denuo, & alibi non raro. Ter. in Hec. Quid faciundum fortasse sit *postidea*. *Boverum*, *Suerum*, pro Boum, Suum. Cato de R. R. Quod juga *Boverum*. *Calim* Clam, Festus, *Coquino*, *Natino*. *Negino*, pro Coquo, Nato, Nego. Plaut. in Aulul. Veni in Bacchanal *coquinatum*. Cn. Marcius: Quamvis noventium duonum *neginate*. *Divitior*, *Divitissimus*, pro Ditior, Ditissimus. Plaut. in Aulul. Qui me est divitior? Id. in Pseud. Namque hinc nunquam eris nummo *divitior*. Ter. in Phorm. semper aliquid addant *divitioribus*. Cic. II. de Off. Nam Mamerco homini *divitissimo*: Id. in Parad. Ita *divitissimus* habendus sit. Lucr. V. *Divitioris* enim sectam plerumque sequuntur. Corn. Nepos in vita Phoc. Fuit enim perpetuo pauper, cum *divitissimus* esse posset. *Dubiennus*, *So-*

Sociennus, pro Dubius, Socius. Festus, & Plautus in Amphitr. & Aulul. Illi *socienno* tuo. *Fruinor* Fruor, a quo Frunifcor & Frunitum Catonem dixisse notat Festus. *Gnaruris* Gnarus Plaut. in Mostellaria: Simul *gnarures* vos volo esse. Arnobius lib. 2. Cur esse dicatis in aliis præceptionibus *gnarures*. Ausonius: Non cultor instans, non arator *gnarius*. *Itiner* iter frequens apud veteres Poetas; quorum testimonia recitant Priscianus & Nonius. *Mavolo* Malo Plautus sæpe, & Terentius in Hec. *Potissum* ex potis & sum, & inde potesse, quod nos contracte Possum & Posse. Ennius: Spero si speres, quidquam prodesse *potissunt*. Lucil. 1. Satyr. p. 152. Quo pacto Populum atque urbem servare *potissit* amplius Romanam. Plaut. in Aulul. Censen' talentum magnum exorari *potesse*. Ter. in Eunucho: Sed nihil *potesse*. Lucret. I. Quod si forte ulla credunt ratione *potesse*. Id. II. Neve putes æterna penes residere *potesse*. *Præhibeo* Præbeo Plaut. in Menæchm. Molitum *præhibeo*. Id. ib. Ancillas, penum recte *præhibet*. Et in Merc. Si *præhibuerit* palam. *Speres* spes, Ennius, Varro, & alii. *Tamenetsi* tametsi Ennius IV. Annalium: At Romanus homo *tamenetsi* res bene gesta est. Plaut. in Mil. *Tamenetsi* istuc mihi acerbum est. Ter. in Andr. *Tamenetsi* hoc verum est. Catullus, Quæ *tamenetsi* uno non est contenta Catullo. Cic. V. ad Attic. Nos, *tamenetsi* hoc te ex aliis audire malo, XII. *Tamenetsi* continuo congressuri simus. Et ad Planc. Sed *tamenetsi* antea scripsi, quæ existimavi scribi oportere. Id. in Verr. *Tamenetsi* animo æquo provincia tulisset. Cæs. VII. de B. G. Quæ *tamenetsi* Cæsar

Cæsar intelligebat. Id. ib. Ac *tamenetsi* dextris exertis animadvertebatur. Vlpianus ad Edictum 29. Interdum *tamenetsi* Senatusconsulto locus sit; tamen in alium datur actio. Id. XII. Interdum *tamenetsi* scientia noceat; tamen restitutio facienda est. *Totondi*, *Sciscidi*, *Concucurri*, *Præcucurri*; item *Posivi*, *Reposivi*, & similia Præterita, de quibus Priscianus. Varro in Satyra Κενοδοξια: Huc aucupatum *concucurristis* domo. Cato de R. R. Ita in Legibus *posiverunt*. Plaut. in Asin. Quin pol si *reposivi* remum sola ego in casteria.

III. Quin etiam in fine Dictionum Syllabas adjiciebant, sicuti cum Monosyllabas Voces geminabant, vel cum Particulas quasdam Monosyllabae apponebant.

1. Geminatæ Voces reperiuntur minus tritæ, *Quiqui*, *Quaque*, *Quodquod*, pro Qui, Quæ, Quod. Afranius: *Quodquod* quibo boni. Plaut. in Perf. Si eveniunt, *quæque* exopto. Id. in Cas. *Quiqui* uti veniant. Cic. 2. de Fin. Omnes, *quiqui* sine dolore sunt. Varro 2. de R. R. Is ita appellatur, *quiqui* admittit. *Quidquid* pro Quidque, ut *Quisquis* pro Quisque. Cic. in Torquato: Quocunque in loco *quisquis* est. Id. 5. Tusc. Qu. Vt *quidquid* objectum est, & Orat. 4. in Verrem: Ita adorabantur omnia, ut, ubi *quidquid* esset, aliqua ratione invenirent. Plaut. in Trin. Sin unum *quidquid* sigillatim & placide perconctabere. Lucr. 2. Inque suos *quidquid* rursus revocare meatus; & alibi frequenter. *Quotquot* pro Quot. Varro 4. de L. L. Fundat *quotquot* annis. Id. ib: Sacra *quotquot* mensibus feruntur in arcem. Et 8. *Quotquot* annis eodem modo exoritur. Et

III.

III. de R. R. Pastorem columbaria *quotquot* mensibus crebro oportet evertere. Gell. VI. Vt Carthaginienses *quotquot* annis darent Populo Romano certum pondus Argenti puri puti.

2. Particulæ Monosyllabæ Dictionibus appositæ reperiuntur.

a. AN, ut *Fortassean*. Attius in Antenoridis: *Fortassean* sint, quos hic non mertat metus. Sisenna lib. 3. Quod *fortassean* ex voluntate sua, summa cum claritudine celeriter confecissent. Varro IV. de L. L. *Fortassean* ab eo quatuor. Id. III. de R. R. *Fortassean* tecum duceret ferram. Id. ib. Hoc dico, quod *fortassean* tibi satis sit. Gell. XI: *Fortassean* auxilii petendi caussa. Et XVII. Processit autem argutatori isti *fortassean* reprehensio. Id. XIX. Ac *fortassean* de quadrigis veterum auctoritates concessero. Apul. I. Apolog. Et *fortassean* præacute reperiisse vobis videbamini. Id. de Deo Socratis: *Fortassean* inter Græcos prælio cognitos. Tertull. de Anima: *Fortassean* & de corpore, & valetudine aliquid accedat, Id. de Pallio: Quingenariam promulsidem supra scriptis *fortassean* mensis necessariam.

b. CUM, ut *Donicum* pro Donec, Cato, Plautus, & alii. *Mecum*, *Tecum*, pro Me, Te. Plaut. in Asin. Hoc jube petere atque orare *mecum*. Id. in Cas. Si is *mecum* oraret. Id. ib. Atque ego censui abs te posse hoc *mecum* impetrare. Et in Curcul. *Tecum* oro & quæso. Ter. in Hec. Quamobrem *tecum* orabam. Id. ib. Egi atque oravi *tecum*, uxorem ut duceres. Gell. XX. Sed quæso *tecum* tamen digrediare paulisper e curriculis istis.

c. DE,

c. DE, ut *Quande* Quam, Ennius apud Festum, & Lucr. I. *Quande* Grajus inter Grajos, qui vera requirunt. *Ende*, vel *Endo*, aut *Indu*, pro In, quorum usus frequens vetustissimus fuit, & seorsum, ut Ennius VII. Annal. Consilio *indu* foro lato sanctoque Senatu. Et XVII. *Endo* mari magno. Et in Compositione, ut *Endogredi*, *Indupediri*, *Induperator*, & similia, quæ apud Lucretium & alios ita frequenter leguntur, ut nemini ignota esse possint.

d. DUM, ut *Sedum* pro Sed, auctore Charisio. *Agedum*, *Etiamdum*, *Nequedum*, *Primumdum*, *Hicdum*, *Quidum*, apud Plautum & Comicos.

e. NAM, ut *Quidnam* Ennius, & Nævius apud Festum, e quibus & sumsit Virgilius lib. 5. & 10. Æneid. *Numnam* apud Plautum in Amphitruone & alibi. Varro in Agathone: *Numnam* cælatus in manu dextra scyphus?

f. NE & NI, ut *Quippini* pro Quippe, Plautus frequenter, *Quiane* Virg. IV. Æneid. *Quiane* auxilio juvat ante levatos, — ....

CAPUT VII.

De Syllabarum in Dictionibus Detractione.

Vice versa Syllabas Antiqui abjiciebant, vel. I. in Principio Dictionum, ut *Rabo*, pro Arrabo. Plaut. in Mostell. *Fructus*, pro Usufructus. Id. in Cas. Sed meus *fructus* est prior. *Jurandum*, pro Jusjurandum, id. in Cistell. Abi quæ-

quærere, ubi tuo *Jurando* satis sit subsidii. Terent. in Andr. Quia si forte opus sit ad horum *Jurandum* mihi.

2. Vel in Medio Dictionum, ut *Apiscor* pro Adipiscor. Plaut. in Epid. --- sine me hominem *apisci*, Sisenna lib. 3. Historiar. --- Itaque postero die Legatos *Iguvium* redeuntes *apiscitur*. Lucr. 1. Nec ratione animi quam quisquam possit *apisci*. Tac. 3. Annal. Præbuit Juveni materiam *apiscendi* honoris, & 6. Dum dominationis *apisceretur*. Id. 4. Histor. --- Intus summo *apiscendi* libido. *Cuimodi*, *Cujusquemodi*, *Cujusque*, pro Cujusmodi, Cujusmodicunque Cujuscunque. Gell. XII. Ea res *cuimodi* sit. Id. XI. Demus, inquit, huic aliquid æris, *cujusquemodi* est. Et XI. Non necessaria rerum *cujusquemodi* plurimarum & cogitatione, & petitione. Cic. pro Flacco: Tabulæ illæ ipsæ, *cujusquemodi* sint, proferuntur. Lucr. 4. Et *cujusquemodi* formarum vertere in ora. Ulpianus de liberali Causa, *Cujusque* sit ætatis, qui emtus est. *Damnas*, pro Damnatus, Vox propria in Formulis Legatorum; ut Hæres dare *damnas* esto, & in Legibus atque Senatusconsultis, ut in Lege Manilia: Colonis Municipibusque, In Quorum Agro Id Factum Erit, Dare Damnas Esto. Et in senatusconsulto de Aquæductibus apud Frontinum: Si Quis Adversus Ea Commisisset in Singulas Res in Dena Millia Damnas Esset. *Dis* Dives, & *Ditiæ* Divitiæ. Ter. in Adelph. *Dis* quidem esses. Id. in Andr. Quæ se inhonesta optavit parare hic *ditias*. Id. in Amicos, Genus, Cognatos, *Ditias*. *Dortium* Divortium, Turpilius in Leucadia: Tristities ante *dortium*,

tium. *Epoll*, Edepoll, Ter. in Eun. Bene *epoll* narras. *Nancitor*, pro Nancifcitor in XII. Tabulis, Feftus, *Porgo*, Porrigo Ennius, tefte Servio, & Plaut. in Epid. Lumbos *porgite* atque extollite. A quo Exporgere, porro agere, Exporrigere interpretatur Feftus. *Poftulio*, Poftulatio. Varro 4. de L. L. Deum Manium *poftulionem* poftulare. *Præquam* præterquam Cato I. Orig. Fama in eo loco compluria fuerunt; ea exauguravit, *præquam* quod Termino Fanum fuit, id nequitum exaugurari. *Prendo* Prehendo, *Præbeo* Prohibeo. Unde Probi dicti, qui fe a delinquendo prohibent; & Proebia remedia, quæ fafcinum putabantur arcere, quorum meminit Varro 6. & Feftus. Lucr. 1. Nam five eft aliquid quod *præbeat* officiatque. *Quandoque* pro Quandocunque. Cic. 6. de Rep. *Quandoque* ab eadem parte Sol eodemque tempore iterum defecerit. Hor. 4. Carmin. *Quandoque* trahet feroces. Id. in Arte Poet. Indignor *quandoque* bonus dormitet Homerus. Ulpianus D. Soluto Matrimonio: Dotis actio filiæ non erit adempta, *quandoque* fui juris filia fuerit facta, Id. ib. Hi reftituendi funt, *quandoque* divortio facto. Et alibi in Libris Jurifconfultorum: *Quandoque* venerit, *Quandoque* Liberos habuerit, *Quandoque* nupferit, *Quandoque* conditio extiterit, & fimilia. *Quemque Quæque* pro Quemcunque & Quæcunque Ter. in Hec. Spolies, laceres, *quemque* nacta fies. Id. ib. *Quæque* fors fortuna eft. Plaut. in Amphitr. *Quemque* hominem adfpexero, obtruncabo in ædibus. Id. ib. *Quæque* edixti modo, omnia ementitus. *Satias*, Satietas, Terentius, Varro, Lucretius & alii Poetæ: item-

que

que Sallustius, & Tac. 3. Annal. An *satias* accepit; & *Satias* in melius mutant. *Surpio* Surripio, Plaut. in Capt. Alterum quadrimum Puerum servus *surpuit*. In Pœn. ibi, qui eum *surpuit*. Lucr. 1. motus quoque *surpere* debent. Hor. Quæ me *surpuerat* mihi; &, Unum me *surpite* morti. Cic. 2. ad Att. Velim me *surpi* ea conditione, sed facile patior. Ita enim nos locum illum restituimus ex vestigiis veteris scripturæ sirpiæ, vel *surpiæ*, quam varii varie interpolarunt. *Ubique* pro Ubicunque Javolenus D. de contrah. Emit. In lege Fundi vendundi Lapicidinæ in eo Fundo *ubique* essent, exceptæ erant. *Deum*, *Nummum*, *Meum*, & similes Genitivi Plurales; Idem Præterita *Sensti*, *Dixti*, *Accesti*, & infinitivi *Cesse*, *Consumse*, & alia, quæ post suo loco referemus.

3. Similiter Antiqui abjiciebant Syllabas in fine Dictionum, atque adeo extremas partes præcidebant more Oscorum, qui dicebant *Facul*, *Famul*; vel etiam Græcorum, apud quos inveniuntur δῶ pro δῶμα, ῥα pro ῥᾴδιον & similia, quæ Strabo lib. 8. Geographiæ refert, prolatis veterum Poetarum testimoniis. Sic in Carmine Saliari fuit *Pa* pro Parte, *Po* pro Populo. Ennius dixit, *Endo suam Do*, & *Lætificum Gau*, & *Altisonum Cœl* pro Domum, Gaudium, Cœlum. Id. 8. Annal. *Debil'* homo. Et reddit ut ex summo Regno *famul'* infimus esset. *Guberna* Gubernacula, Lucilius & ab illo Lucretius. *Simil* & *Consimil* pro Similis & Consimilis. Plaut. in Amphitr. Nimis *simil'* est mei; Itidem habet petasum, ac vestitum, tam *consimil'* est atque ego. Quibus

O 2 adnu-

adnumerari possunt Particulæ in extrema parte decurtatæ, ut *Forsit* pro Forsitan. Hor. 1. Serm. Dissimile hoc illi est, quia non ut *forsit* honorem jure mihi invideat quivis. *Simul* pro Simulac, Cicero Leptæ: *Simul* accepi a Seleuco tuo Litteras. Id. ad Att. *Simul* aliquid audiero, scribam ad te. Et 2. Qu. Acad. *Simul* tibicen inflavit, Carmen agnoscitur. Id. 3. de Fin. *Simul* autem cepit intelligentiam. Lucr. 1. Cui *simul* Infula virgineos circumdata comptus, ex utraque pari Malarum parte profusa est. Virg. 4. Georg. Taygete *simul* os terris ostendit honestum. Horat. 1. Sermon. Quæ *simul* inversum contristat Aquarius annum. Id. 1. Epistol. Vivo & regno *simul* ista reliqui. Paulus ad Legem Juliam & Papiam lib. 3. Cum in eadem Provincia degis Reipublicæ administrandæ causa, *simul* agere Rempublicam cepit, ad similitudinem absentis habetur. *Dein*, *Exin*, *Proin*, non Poetæ solum usurpant metri causa, ut Festus putat, sed etiam Sallustius & Tacitus fere semper. Varro 1. de R. R. *Exin* mutatis litteris. Suet. in Tib. Prandium *dein* Populo mille mensis. *Augmen*, *Momen*, *Regimen*, pro Augmentum, Momentum, Regimentum, de quibus mox infra. *Præter* pro Præterquam, ut Græci πλὴν usurpant, cum Nominativo jungentes. Salluft. in Catilina: *Præter* rerum capitalium condemnatis. Cic. 5. ad Att. Nullas enim adhuc acceperam, *præter* quæ mihi binæ semel in Trebellano sunt redditæ. Id. 1. ad Q. Fratrem: Cavendæ sunt quædam Familiaritates, *præter* Honestorum & Paucorum. Varro 1. de R. R. *Præter* si aliter nequeas. Tertullianus lib.

4. ad-

4. adversus Marcionem: *Præter* oneribus conspersionum. Id. ib. Cæterum *præter* ex causa Adulterii nec Creator disiungit. Et adversus Valentinianos: Omnium, *præter* Hæreticorum Patrem. Et alibi non raro. *Plerus* & *Plerum* pro Plerusque & Plerumque. Cato 1. Originum: Agrum, quem Volsci habuerunt, campestris *plerus* Aboriginum fuit. Cic. in Læl. Tamen hæc duo levitatis & infirmitatis *pleros* convincunt. *Quæcum* pro Quæcumque. Lucr. 6. Morbida vis *quæcum* extrinsecus insinuatur. *Ubi* pro Ubique, Plaut. in Bacch. Quicunque *ubi* sunt, qui fuere, quique futuri sunt posthac. *Uter* pro Utervis, Cic. 3. Offic. Sibine *uter* rapiat, an alter cedat alteri. Id. Parad. Quæ quando *utro* accessit. Et pro Sestio Horum *utro* uti volueris, altero est carendum.

CAPUT VIII.

De Extremitatibus Nominum.

De Litteris & Syllabis hactenus. Nunc de Dictionibus, & primum quidem de Nominibus eorumque extremitatibus, quibus Veteres promiscue atque indifferenter usos animadvertimus: veluti.

1. A Littera finita Nomina Latina primi Ordinis proferebant etiam in ES tertio Ordine, ut *Amicities*, *Avarities*, *Desidies*, *Notities*, Lucr. *Luxuries* Cicero aliquotiens; *Proficies* Varro 11.

Rerum humanar. *Proficiem* exterum vel in menſam porricere; *Triſtities* Turpilius in Leucadia: *Triſtities* ante dortium. *Pigrities* Liv. 54. Romanis *pigritiem* ad ſequendum locis ignotis fecit. *Delicies*, *Fallacies*, *Sævities* Apuleius; *Furcilles* Feſtus. Græca autem Nomina efferebant in E tertio Ordine, ut Grammatice, Logice, Phyſice, Delphice, Menippe. Varro in Modio: Quod *Delphice* canat columna: Idem in Thaphemenippo: Natis quos *Menippe* hæreſis nutricata eſt. Similiter *Libye*, *Phœnice*, *Thrace*, *Samothrace* Græco more, Διβυη, Φοινικη, Θρακη, Σαμοθρακη. Cæſar. B. C. 3. Magnam ex Aſia Cycladibuſque Inſulis, Corcyra, Athenis, Ponto, Bithynia, Syria, Cilicia, *Phœnice*, Ægypto, claſſem coegerat. Varro 2. de R. R. & 4. de L. L. Europa ab Europa, Agenoris Filia, quam ex *Phœnice* Manlius ſcribit Taurum exportaſſe Id. ib. Sunt pro illis, qui in *Samothrace* Θεοι δυνατα. Lucr. 5. *Thracen* Biſtoniaſque plagas.

2. E littera deſinentia nomina græca tertii Ordinis proferebant in A primo Ordine, ut Circe *Circa*, Plaut. in Epid. Hanc adſerva *Circam*. Horat. I. epiſt. Sirenum voces, & *Circæ* pocula noſti. Id. Volente *Circa*, *Glycera*, Plaut. in Mil. Quam nominem *Glyceram*. *Dirca*, *Penelopa*. Id. & Horat. Sponſi *Penelopæ*. Papinianus lib. VII. Reſponſor. Quem *Penelapa*, recognoſcendi Viri ſignum accipit. *Mycena* Virg. V. Æn. Urbe *Mycenæ*. *Semela*, Horat. I. Carm. Jubet me *Semelæ* Pater.

3. In I indeclinabilia generis neutri deſinebant in Is, ut fœminina tertii Ordinis, ut *Gummis*, *Sina-*

Sinapis. Cato de R.R. *Gummim* pridie in aquam infundito. Colum. XII. Nova dolia liquida *gummi* perluere. Plaut. in Pseud. Teritur *sinapis* scelera.

4. O littera finita pleraque desinebant in US; ut Pavo & *Pavus*, Capo & *Capus*. Ennius 1. Annal. Memini me fieri *Pavum*. Varro περὶ ἐδεσμάτων, *Pavus* e Samo. Id. de L. L. Ex Gallo gallinaceo castrato fit *Capus*. Quædam etiam nominativum habebant similem genitivo, ut *Apollo* & *Caro*. Plaut. in Menæch. vocandi casu. Imperium tuum demutat atque edictum *Apollinis*. Liv. 47. Quod Laurentibus carnis, quæ dari debet, data non fuerat.

5. U desinentia in UM quoque proferebant, vel in us masculino genere, & quarta declinatione, ut *Cornu*. *Cornum* & *Cornus*, *Gelu*, *Gelum* & *Gelus*, *Tonitru*, *Tonitrum* & *Tonitrus*. quorum exempla exstant apud Nonium & Priscianum.

6. AL apponebant E, ut *Animale*, *Tribunale*, *Bidentale*, teste Charisio. *Sale* Ennius & Poetæ. *Torale* Varro V. de L. L.

7. AN finita nomina græca augebant syllaba us, ut *Titan*, *Titanus*. Plaut. in Menæchm. Barbatum, tremulum, *Titanum*, qui cluet Cygno patre.

8. AR etiam in are, ut *Pugillare*, *Torculare*, *Exemplare*. Lucr. 2. *Exemplare* dare, & vestigia notitiai: vel in arium, ut *Torcularium*, Cato de R.R. *Exemplarium*, *Lupanarium*, *Miliarium* Jurisconsulti in libris pandectarum.

9. AS finita nomina græca sine S, ut *Geta*, *Byrrhia*, *Chærea*, *Clinia*, *Sosia*, Terentius, *Pterila* Plaut. in Amphitruon. *Ænea* Varro in satyris, *Pausania* Cic. ad Appium: Illud idem

Pausania dicebat . *Marsia* , Juvenalis , Occurris fronte obducta , ceu *Marsia* victus . Quædam vero in A primo Ordine , ut *Hebdomas* Hebdomada . *Lampas* Lampada . Plaut. in Cas. Tene hanc *lampadam* . Lucret. 6. Aut etiam nona reddebant *lampada* vitam . Cicero Tironi , Ne in quartam *hebdomandam* incideres . Gell. 3. Duodecimam annorum *hebdomadam* ingressum esse , & ad eum diem septuaginta *hebdomadas* librorum conscripsisse .

10. AX , ox , abs & ops peregrina etiam in us more latinorum , ut Thrax & *Thracus* , Cappadox *Cappadocus* , Arabs *Arabus* , Æthiops *Æthiopus* . Gell. 19. Cuipiam *Thraco* insipienti & rudi . Apul. 8. de Asino : At ille *Cappadocum* me & satis forticulum denunciat . Lucil. 4. Rhinoceros velut *Æthiopus* . Id. XXV. *Arabus* artemo . Plaut. in Bacch. & in Pœn. Mirrhinus odor *Arabus* . Virg. Hyrcanisve *Arabisve* parant seu tendere ad Indos .

11. ER & is terminationes in multis nominibus promiscue erant , ut *Acer* , *acris* , *Alacer* , *alacris* , *Celebre* , *celebris* , *Equester* & *equestris* , *Vomis* & *vomer* aliaque similia , quæ Priscianus observavit . Similiter er & us , ut puer & *Puerus* , prosper & *Prosperus* , pulcer & *Pulcrus* , exter & *Exterus* , socer & *Socerus* , veter & *Vetus* , itemque græca Teucer & *Teucrus* , Evander & *Evandrus* , de quibus idem Priscianus : Menander *Menandrus* . Cicero Tironi : *Menandrus* postridie ad me venit . Ovid. Vixerit & meretrix blanda *Menandrus* erit . Super & *Superus* , Cato de R. R. Ubi *super* inferque vicinus permittit . Lucr.

Lucr. 1. de Rer. Nat. Naturam, quam totus habet, *super* ignis haberet.

12. ES finita nomina latina & græca tertii Ordinis etiam desinebant in A primo Ordine, ut *Effigia*, Plaut. in Rud. Veneris *Effigia* hæc quidem est. Lucr. 4. Dico igitur rerum *Effigias*, tenuitque figuras. Id. ib. -- *Effigias* quoque debent mittere tenues. *Mollitia* Cicero aliquoties, & Varro 1. de R.R. Propter fœmineam *Mollitiam*. Liv. 49. *Mollitia* hostium regiisque opibus ditiores. *Planitia* Cæs. 1. de B. C. Erat inter Oppidum Ilerdam & proximum collem *planitia*. Id. 4. de B.Alex. *Planitia* ex omnibus partibus subjecta. *Prosapia* Plaut. in Merc. Rogitares, quis esset, aut unde esset, qua *prosapia*? Cato 1. Originum: -- Veteres *Prosapias*. Quod imitatus Sallust. in Jug. Hominem veteris *Prosapiæ*; & Apul. 1. Apol. Omnes illæ veteres *Prosapiæ*. *Anchisa*, *Acesta*, *Chrysa*, *Atrida*. Nævius lib. 3. Belli Punici: At postquam avim de Templo *Anchisa* spexit. Virg. Patris *Anchisæ*. Id. & clari nomen *Acestæ*. Propert. Non ita Dardanio gavisus *Atrida* Triumpho.

13. Is tertii Ordinis etiam exibant in en neutro genere, ut *Sanguis*, *Sanguen*, vel in us, aut jus secundo Ordine, ut *Gracilus*; cujus Fœmininum protulit Lucil. 8. satyrar. Quod *gracila* est, pernix, quod pectore puro. Quod Puero similis. Ter. in Eun. Vincto pectore ut *gracilæ* sient. *Hilarus*, id. in Adelph. *Hilarum* ac lubentem te fac in Gnati nuptiis. Plaut. in Mil. *Hilarus* exit; & alibi sæpe. *Imberbus* Varro V. de Actionibus scenicis. *Imberbi* Juvenes. *Inermus* Cæcilius in Hym-

Hymnide: Nihil agit in amore *Inermus*. Salluſt. in Iug. Ab *inermis* pedibus auxilium petere. Idem l. Hiſtoriar. Vos *inermos* retinet. *Proclivus*. Plaut. in Milite, Feciſti modo mihi ex *proclivo* palam rem. Lucr. VI. Et *proclivus* item fiat minus impetus undis. *Sterilus*, id II. Et ſonitu *ſterila* & ſucco jejuna feruntur. *Sublimus* Salluſt. III. Hiſtoriar. *Sublima* nebula cælum obſcurabat. *Articularius*, *Peculiarius*, Cato de R.R. Verum morbum *articularium* nulla res tantum purgat. Ulpianus ad Edictum 77. Parenti licere deteriorem conditionem Liberorum in rebus *peculiariis* facere. Pomponius ad Sabinum lib. 7. Res tamen in cauſa *peculiaria* manent. *Vulgarius*, Afranius in Privigno: Temeritatem repudio *vulgariam*. Gellius I. Non in compitis tantum, neque in plebe *vulgaria*.

14. OR & OS Terminationes indifferentes erant in multis, ut Color, *Colos*, Labor, *Labos*, Timor, *Timos*, Vapor & *Vapos*; de quibus ſupra diximus. Item OR & VS, ut, Algor & *Algus*. Plaut. in Rud. Tu vel ſuda, vel peri *algu*: Lucret. III. Morbis *alguque* fameque. *Tripector* & *Tripectores*. Id. V. Quidve *tripectora* tergemini vis Geryonai. Verſicolor & *Verſicolorius*. Ulpian. lib. 22. ad Sabinum: Lanæ appellatione *verſicoloria* non contineri.

15. VS finita Nomina Græca etiam in ON exibant Græcorum more, ut Architectus & *Architecton*. Varro in Manio, & Plaut. in Amphitr. Deum regnator *architecton* omnibus.

16. VS & VM finita ſecundi Ordinis plerumque etiam in ENS tertio Ordine definebant, ut Benevolus, *Benevolens*. Cic. II. Rhet. Pietas per quam

quam sanguine Conjunctis Patriæque *benevolens* officium, & diligens tribuitur cultus. Opulentum, Validum, *Opulens*, *Valens*. Sallust. in Iug. Erat inter ingentes solitudines Oppidum magnum atque *valens*. Id. ib. Civitas magna & *opulens*. Corn. Nep. de Viris illustribus: Neque animo æquo Pauperes alienam *Opulentium* intuentur fortunam. Suaviloquus, *Suaviloquens*. Lucr. IV. Volui tibi *Suaviloquenti* Carmine. Nonnulla in EN finiebantur, abjecta ultima Syllaba, ut Fundamentum *Fundamen*, *Regimen* Ennius, *Augmen*, *Momen* Lucretius, *Munimen* Virg. II. Georg. *Effusos munimen* ad imbres.

17. Præterea erant Veteribus in frequenti usu extremitates Nominum hodie quidem minus usitate, veluti in BILIS multa desinebant, ut *Ærumnabilis*, *Aversabilis*, *Naturabilis*, *Spirabilis*, Lucretius & alii. *Genitabilis* Lucret. (mallem heic legere Lucilius) lib. 1. Satyrar. Ætheris & Terræ *genitabile* quærere tempus. *Disciplinabilis*, *Opinabilis*, *Penetrabilis*, Cicero: *Sociabilis*, *Impetrabilis*, *Inexsuperabilis*, Livius.

18. Plurima exibant in NTIA, ut *Decentia*, *Audientia*, *Dispicientia*, *Discrepantia*, *Cohærentia*, *Curantia*, *Negantia*, *Profluentia*, *Repugnantia*, Cicero Sallustius *Properantia*; Attius *Faventia*; Plautus *Incogitantia*, *Servientia*; Lucretius *Repetentia*, *Pertinentia*, *Variantia*; Gellius *Exsuperantia*, *Ignoscentia*, *Impatientia*, *Culpa*, Impatientiæ & Pœna indeprecabilis subeunda esset.

19. OR, ut *Ægror*, *Amaror*, *Canor*, *Sonor*, Lucretius & Virgilius lib. 1. Georgic. Sensu torquibit *amaror*.

20. Nec pauciora efferebantur in TAS, ut *Famulitas*, *Solitas*, *Vicissitas*, *Squalitas*, *Dulcitas*, *Ponderitas*, Attius; *Luculentitas*, *Pulchritas*, *Opulentitas*, *Indulcitas*, Cæcilius; *Differitas*, *Maximitas* Lucretius; *Favitas* Horatius; *Infortunitas* Gellius lib. 6. *Felicitas*, *Infortunitas*, *Sceleritas* Martianus J. C. Non enim Facti ſceleritatem eſſe obnoxiam. *Malitas* Ulpianus lib. 2. ad Edictum: Metum accipiendum labeo dicit non quemlibet *Timorem* ſed majores *Malitates*.

21. Item pleraque in VDO, quæ nunc in AS definunt, ut, *Neceſſitudo*, *Claritudo*, *Sanctitudo*, *Celeritudo*.

CAPUT IX.

De Mutatis Declinationibus, Caſibus & Generibus.

I. ORDINES quoque *Declinationum* veteres mutabant, & maxime ſecundum & quartum. Hinc *Adſpectus*, *Exercitus*, *Fluctus*, *Fructus*, *Gemitus*, *Luctus*, *Ornatus*, *Partus*, *Senatus*, *Strepitus*, *Sumtus*, *Tumultus*, *Victus*, & pleraque alia, quæ nunc quarta tantum declinatione efferimus, veteres etiam ſecunda extuliſſe, Nonius multis teſtimoniis oſtendit: Contra quarto ordine, *Cibus*, *Lectus*. Plaut. in Capt. Tantus ventri commeatus meo adeſt in portu *Cibus*. Id. in Amphitr. Prius abis, quam *Lectus*, ubi cubuiſti, convaluit locus. *Domus*, *Humus*, Plaut. in Mil. Fugere cu-

cupere ex hac *domu*. Liv. I. *Domu* profugum. Vlpianus: insula injuncte *domui*. Varro in Taphemenippo: in *humu* calceos facis elixos. Virg. Pressit *humu* nitens: quod Servius perperam censet esse adverbium. *Somnus*, *Sonus*, Varro I. de R. R. Si non diffiderem meo insititio *somnu*; Sisenna lib. 3. Histor. Postquam in *sonu* signorum prœlium magno cum clamore virorum commissum est, Sic *succus* quoque & *susurrus*. Apul. 9. In amaram cœnosi *succus* cariem exolescunt. Id. 2. Apolog. Tibia quæstu delectabilior, & fistula *susurru* jucundior.

II. 1. Similiter casus nominum variabant, ut genitivum singularem primæ declinationis efferebant per AS, nominativo S litteram adjicientes, ut *Familiæ*, *Familias*. Unde adhuc manet *Paterfamilias* & *Matefamilias*. Sic *Escas Monetas*, *Latonas*, Livius in Odyssea: *Terras*, *Fortunas*, Nævius in Bello Punico, *Curas* Attius, *Tristitias*, *Vias*, Ennius, & Lucr. 4. At reliquas tamen esse *vias* in morte patenti. *Auras* Virgil. XI. Æn. Nihil ipsa nec *auras*, nec sonitus memor.

2. Genitivus singularis secundi ordinis eorum nominum, quæ ante VS, vel VM, syllabam habent I, per eandem vocalem simplicem, non autem geminam, efferebatur, nec id in versu tantum metri causa, ut Priscianus censet, sed etiam in soluta Oratione, ut *Anni*, *Arcadi*, *Statili*, *Pecuari*, apud Varronem de R. R. *Septimi*, *Aureli*, *Æli*, *Caffi*, in antiquis Inscriptionibus, *Tuguri*, *Peculi*, *Patavi*, *Oti*, Virgilius: *Appi*, *Claudi*, *Numici*, *Terenti*, Horatius.

3. Genitivum pluralem secundi ordinis per contractionem mediæ syllabæ proferebant non modo Poetæ, sed etiam Oratores & Historici, ut *Nummum*, *Denarium*, *Sestertium*, *Iugerum Modium*, *Medimnum*, *Senum*, *Septenum*, *Denum*, *Tricenum*, *Deum*, *Fabrum*, *Librum*, Cic. *Studium*, *Thesaurum*, Sallust. *Cadum*. Varro de vita Pop. Romani lib. 4. Hortensius supra decem millia *cadum* hæredi reliquit. *Amphorum*, *Duum*, Lentulus in Epistola ad Senatum: Quarum minor nulla erat *duum* millium *amphorum*: de quo admonet Charisius: *Amphorum* dici, cum additur numerus, *Amphorarum* per se.

4. Dativum & ablativum pluralem *Diis*, *Equis*, *Filiis*, *Natis*, pro Deabus, Equabus, Filiabus, Natabus. Varro 2. de R. R. Ut bis *Diis* Helicona atque Olympum attribuerunt homines. Id. 3. Sed ex his *equis*. Plaut. in Sticho: ego ibo intro, atque gratulabor vestrum adventum *filiis*. Id. in Pœn. O mi here salve, Hanno auspicatissime, Mihi tuisque *Filiis*. Id. Qui talis est de *Natis* suis.

5. Genitivus singularis tertii ordinis, in nominibus Græcis, præsertim propriis, IS mutabit in EI, ut *Achillei*, *Herculei*. Horat. lib. 1. Carmin. Matronisque Phrygum classis *Achillei*. Catull. sed te jam ferre *Herculei* labos est. *Themistoclei*, *Theophanei*, Cic. ad Attic. *Simonidei* Ausonius, Concedut Cei Musa *Simonidei*: vel etiam desinebat in I abjecta S ultima littera, ut *Ogygi* Varro 3. de R. R. Quæ ante cataclysmon *Ogygi* condita dicuntur. *Herculi* id. 7. de L. L. *Herculi* an *Herculis* clavam dici oporteret. *Persi* Sallust. lib.

1. Hi-

1. Histor. Ad Bellum *Persi* Macedonicum. Tac. 4. Annal. Ad Bellum *Persi*. *Chremi* Ter. in Andr. Puerum inde abiens conveni *Chremi*. *Agathocli*, *Achilli*, *Herculi*, *Euripidi*, *Periphani*, *Sphyngi*, Plautus. *Timarchidi* Cicero in Verrem: in *Timarchidi* potestate. *Aristoteli*, *Themistocli*, *Isocrati*. In Virg. -- Fortis *Achati*, -- acris *Oronti*, -- immitis *Achilli*, & -- pellacis *Vlyssi*; quod idem usurpat Gell. 4. Auditores illos *Vlyssi* labores suos illustrissime narrantis.

6. Item genitivus nominum græcorum in O exibat in VS, ut *Didus*, *Eratus*, *Mantus*, *Sapphus*. Varro in Cosmotoryne; *Didus* atque Æneæ misceri sanguine sanguen. Virgil. Fatidicæ *Mantus*.

7. Dativus singularis tertii ordinis mutabat I in E, ut *Minore*, *Sene*. Varro 1. de R. R. Facilius enim eis, quam *minore* natu sunt dicto audientes. Idem in admirandis: infcia *sene* papaverem. *Pede*, Virgilius, Hæret *pede* pes, densusque viro vir. *Funere*, *Morte*, Propertius, illi meo caros donasset *funere* crinis. Idem: si placet, insultes, Lygdame, *morte* meæ. In Epitaphio Plauti: postquam est *morte* datus Plautus. *Discrimine*, *Professione*, Vellej. Paterc. *Discrimine* vestro me subtraham. Id. Quam *professione*, ejus, qua semper usus erat, congruebat. *Defensione*, *Exceptione*, Julianus Digestor. 9. Non enim offert se *defensione* alieni servi. Id. ib. Cum satisdatione doli mali *exceptione* locus erit.

8. Accusativus in IM exibat, ut *Avim* Nævius lib. 3. Belli Punici: at postquam *avim* de templo Anchisa spexit. *Clavim* Tibullus: hinc *clavim* janua

nua sensit. *Febrim* Cicero ad Gallum: Quod *febrim* non haberem. *Lentim* Varro 2. de Poematis. *Strigilim* Lucilius: Præfractam *strigilim*. *Turrim*, *Puppim*, *Restim*, *Securim*, Virgilius & alii, quorum testimonia adfert Priscianus lib. 7.

9. Ablativus in I. ut *Avi*, *Ovi*. Varro 7. de L. L. vulgo alii dicunt in singulari hac *Ovi* & *Avi*, alii ab hac *Ove* & *Ave*, *Absenti* Plaut. in Menæch. Fecisti funus *absenti* me prandia. *Adfinitati* Venulejus: Nisi ita conjunctus est *Adfinitati*. *Amni* Virg. 9. Æn. Nam dextra cingitur *amni*. *Assi* Lucil. *Assi* duas ficos. *Civi* Cicer. Orat. 4. in Verrem: Quod Siculis Civibus a *Civi* Romano Civis Rom. datur. Id. ibid. Quod Civis cum *Civi* ageret. *Colli* Lucr. II. Nam sæpe in *Colli* tundentes pabula læta. Id. ibid. Et veluti in viridi candor consistere *colli*. *Fusti* Plaut. in Capr. *Fusti* pectito. Sallust. Sorte ductos *fusti* necant. Valer. Maxim. VI. Metellus Uxorem, quod Vinum bibisset, *fusti* percussam interemit. *Labi* Lucret. lib. 5. Nec novitate cibi, nec *labi* corporis ulla. *Orbi*, id. ibid. Pectora, terrarum qui in *orbi* sancta tuetur. Cic. 7. de Rep. *Orbi* terrarum comprehensos. Varro 3. de R. R. Ex *orbi* ligneo. *Parti*, *Posti*, Plaut. in Menæchmis: Satur nunc loquitur de me, & de *parti* mea. Ovid. 4. Metamorphos. Raptaque de dextris robusta repagula *posti*. *Sordi* Lucr. 6. Visceribus cœcis prope jam *sordique* sepultis. *Sorti* Lucil. Græcia Sulpicio *sorti* datur. Plaut. in Casina: Specula in *sorti* restat. Id. ib. *Sorti* sum victus. Contra Ablativus in E, ut *Mare* Plaut. in Cistellaria: tranquillo *mare*. Id. in Milite: Nam si a *mare* abstinuis-

nuissem. *Familiare*, *Constante*, *Forte*, & similia, quæ Charisius adnotavit.

10. Nominativus & Accusativus pluralis in IS, ut *Omnis*, Ter. in Andr. *Omnis* me gaudere. Sallust. in Catil. *Omnis* homines, qui student sese præstare. *Fontis*, *Litis*, *Montis*, *Puppis*, *Restis*, *Navis*, *Urbis*. Virg. I. Georg. *Urbisne* invisere Cæsar. Et V. Æn. Quoque magis fessas optem dimittere *navis*. Varro 7. de L. L. In *Multitudinis* hæ *Puppis*, *Restis*, & hæ *Puppes*, *Restes*. Id. ibid. In Accusandi hos *Montis*, *Fontis*, hos *Montes*, *Fontes*.

11. Genitivus Pluralis vel in VM, vel IVM, de quo ita Varro 7. de L. L. Quod in patrico Casu hoc genus dispariliter dicitur *Civitatum*, *Parentum*, *Civitatium*, *Parentium*. *Cohortum* Cæs. 5. de B. G. Duplicatoque partim *cohortum* numero. *Mensum* Ovid. 7. Metam. Et quod sustinui bis *mensum* quinque labores. Paulus lib. 30. ad Edictum: Sex *mensum* erit post mortem filii. Ulpianus lib. 31. ad Sabinum: Pro modo temporis omnium *mensum*. *Partum* Ennius: Jamque fere quattuor *partum*. Contra *Fraudium*, *Laudium*. Cic. 3. Off. Qui fons est *fraudium*, maleficiorum. Id. in Orat. 2. Philipp. Mearum *laudium*. *Locupletium* Sallust. in Catil. Polliceri Tabulas novas, Proscriptionem *locupletium*. Cic. 7. ad Att. Non moderationem, quam Sulla in pecuniis *locupletium*. Id. in Parad. Proscriptiones *locupletium*. *Voluntatium*, id. in Læl. In quo est omnis vis Amicitiæ, *Voluntatium*, Studiorum, *Æstatium* *Apium*, *Civitatium*, *Facultatium*, *Hæreditatium*, *Parentium*, *Pa-*

ludium, *Principium*, *Quantitatium*, *Servitutium* Jurisconsulti plurimis in locis.

12. Genitivum singularem quarti Ordinis producebant, Littera I interjecta, ut *Anuis* Ter. in Heaut. Ejus *anuis* causa opinor. *Domuis*, Varro in Taphemenippo: Perrexit in interiores partes *domuis*. Etsi *Domui* quoque scriptum exstat generandi Casu, pro *Domi* in veteribus libris Ciceronis lib. 3. de Officiis: Esse *domui* suæ cum Uxore. Idem in Philipp. *Domui* suæ. Et in Tusc. *Domui* alienæ. *Fructuis*, Varro l. de R. R. Ejus enim salivam esse *fructuis* venenum. (*Senatuis*, *Sumtuis*, *Victuis*, *Rituis*, *Graduis*, *Partuis*, in Fragmentis dicit.

13. Rursus Dativum contrahebant, abjecta ultima Littera I, atque ita Cæsarem in Analogicis libris scribendum tradidisse, auctor est Gellius lib. 4. ut valde erraverit Priscianus, qui ait, Poetas hoc metri causa facere. *Casu*, *Consensu*, Cæs. 6. de B. G. Ne minimo quidem *casu*. Et l. 7. Cujus *consensu* ne orbis quidem terrarum posit obsistere. *Receptu*, *Magistratu*, Id. 3. de B. C. *Receptu* suo timens. Id. ib. Eadem, quæ venerant, *receptu* sibi consulebant. Et 1. de B. G. Qui summo *Magistratu* præerat. *Exercitu*, id. ibid. Cum *Exercitu* frumentum metiri oporteret. *Impetu*, Plancus ad Ciceronem: Quibus subito *impetu*, ac latrocinio Parricidarum resistat. *Luxu*, Sallust. in Jug. Non se *luxu* atque inertiæ corrumpendum dedit. Id. ibid. Copiaque & affluentia *luxu* proprior. Tac. 5. Histor. Exponi suo *luxu* cupiditatibus alienis. *Cruciatu* idem: *Cruciatu* aut præmio cuncta

per-

pervia esse. *Metu* Virg. 1. Æn. Parce *metu* Cytherea. *Concubitu*, *Victu*, Id. 4. Georgic. *Concubitu* indulgent. Et: Namque aliæ *victu* invigilant. *Nisu* Sallust. in Jug. Quæ dubia *nisu* videbantur. *Vestitu* Ter. in Adelph. *Vestitu* nimium indulges. *Visu* Lucret. 5. Nec tamen hanc posſis oculorum subdere *visu*.

14. Genitivum singularem quinti Ordinis similem Nominativo, aut per II geminum efferebant, ut hujus *Dies*, vel *Dii*, hujus *Luxuries*, vel *Luxurii*; hujus *Facies*, vel *Facii*, hujus *Pernicii*, *Progenii*: Quæ multis veterum auctorum testimoniis Gellius probat. Quibus addi potest illud Pacuvii in Armorum judicio: *Fides* sacratæ jus perpetuo falleret. Et Lucr. 4. *Rabies* unde illæ hæc germina surgunt. Interdum extrema littera abjecta similem Ablativo faciebant, ut *Acie*, *Die* pro Aciei, Diei, Sallust. 1. Histor. Dubitavit *acie* pars. Id. in Jug. Vix decima parte *die* reliqua. Id. ib. Et jam *die* vesper aderat. *Fide* Plaut. in Aulularia: *Fide* censebam fidem multo maximam. Lucr. 1. Multaque præterea tibi possum commemoranda Argumenta *Fide* dictis contendere nostris. Plancus ad Cic. Quo obside *Fide* illius & Societatis in Republica administranda uterer. Hor. 2. Carm. Constantis juvenem *Fide*. Id. 2. Serm. Commissa *Fide*. Ovid. 3. Metam. Prima *Fide* vocisque datæ sumsit.

15. Dativum singularem similiter absque I littera extrema efferebant, ut, huic *facie*, Lucil. lib. 6. Qui te diligit, ætati *facieque* tuæ se Fautorem ostendat.

III. 1. Genera quoque Nominum pleraque erant

ambigua & duplicia, quæ unus omnium diligentissime persecutus est Nonius, a quo, qui volet, petat. Nos eadem repetere non putamus operæ pretium, sed alia quædam Veteribus usurpata referemus. *Deus* utroque Genere enunciabatur, ut apud Græcos ο Θεος και η Θεος, Ennius 1. Annal. Respondit *Juno* Saturnia Sancta *Deorum*. Virg. 2. Æn. Discedo ac ducente *Deo*, cum *Venerem* intelligeret. Calvus, Pollentemque *Deum Venerem*. Similiter *Agnus*, *Lupus*, *Porcus*, & similia, quibus Sexui discernendo addebatur Mas, aut Fœmina. Ennius I. Annal. Endo tuetur ibi lupus *Fœmina*. Cato de R. R. Priusquam porcum *Fœminam* immolabis. In lege Numæ: Ac Non *Fœminam* Cædito. *Quis*, *Quisquis*, *Quisquam*, fœminino Genere usurpant Terentius, Plautus, & alii: ut *Quis* tu es Mulier? Varro περι εξαγωγης; *Quemnam* te esse dicam Feram? Item *Amnis*, Plaut. in Merc. Neque mihi ulla obsistit *amnis*. Varro 3. de R. R. Ubi confluit altera *amnis*. Id. 1. Peripl. Propter hos fluit *amnis*, quam olim Albulam dicunt vocitatam. *Ales*, id. 3. de R. R. Omnium *Alitum*, *quæ* intra parietes villæ solent pasci. Catullus: -- Bona cum *bona* nubit *alite* Virgo. *Canalis*, Varro 6. Rerum divinar. *Canales eas* dispescit. Virg. in Æn. Quod si *diversas* emittat terra *canales*. Id. ib. Nec tamen in *rigidas* exit contenta *canales*. Masculina *Alvus* Plaut. in Pseudulo: Dum hasce herbas hujusmodi in *suum alvum* congerit. Columella de cultu Hortorum: Florida cum suboles *materno* pullulat *alvo*. *Rete* Plaut. in Rud. Non vides proferre me *vuidum retem*. Varro 3. de R. R. Quibus cibus ministratur

tur per *retem* : & , Tecta porticus fit *rete canabino*.

2. Praeterea multa duum Generum & duplicis formae fuerunt , ut Masculina & Foeminina , quae in VS & IO similiter Veteres dixerunt , *Accubitus Accubitio* , *Apparatus Apparatio* , *Abusus Abusio* , *Concessus Concessio* , *Consensus Consensio* , *Convictus Convictio* , *Discessus Discessio* , *Interitus Interitio* , *Invitatus Invitatio* , *Permissus Permissio* , apud Cicer. *Partus Partio* , *Tactus Tactio* , Plaut. *Raptus Raptio* , Terent. *Adhaesus Adhaesio* , *Commutatus Commutatio* , *Conjectus Conjectio* , Lucret. *Occasio Occasus* , Ennius apud Festum . *Conjunctio Conjunctus* , Papinianus lib. 7. Responsor. Instructa *conjunctu* fuissent .

3. Masculina & Neutra , ut *Denarius Denarium* , *Eventus* , *Successus* ; *Eventum Successum* . Cic. de Amic. Moerere *hoc* ejus *Eventum* . Id. ad Herenn. Facile ex aliorum *eventis* possunt suis rationibus consulere . Plaut. in Mil. *Successus* bonis . *Galerus Galerum* , *Gladius Gladium* , *Lituus Lituum* , Varr. 1. R. R. Latet conditum *gladium* . Id. 9. de L. Quod dicitur a multis duobus modis hic *Dupondius* & hoc *Dupondium* , ut hoc *Gladium* & hic *Gladius* . Apul. 1. Apolog. Quod Pontificibus *galerum* , quod *lituum* Auguribus , *Lectus Lectum* , Ulpian. lib. 20. ad Sabin. *Lectum* plane *argenteum* , vel si quae alia supplex *argentea* fuit , Argenti appellatione non continetur : *Nasus Nasum* , *Stimulus Stimulum* , Plaut. Rursus *Aevum Aevus* , Lucr. 3. -- *Omnem* possit durare per *Aevum* , *Fretum Fretus* , *Peccatum Peccatus* , Varro in Fundanio : Qui est *Fretus* inter Rhegium & Messanam . Cic.

 Orat.

Orat. V. in Verrem: *Per angusto fretu* divisa. Id. Nemo ita in *manifesto peccatu* tenebatur. *Castellum Castellus*; *Mandatum Mandatus*, Jurisconsulti. Scævola Digestor. 7. Non *mandatu* mulieris dotem marito ejus dedit.

4. Fœminina & neutra, *Alimonia Alimonium*: Varr. 1. de R. R. In partu & *alimonio*. Id. 3. Mellis *alimonia*. Paul. lib. 2. Sententiarum: Parenti præstet *alimonia*: Et lib. 3. Qui *alimonia* denegat. *Obsidio*, *Oblivio*, *Obsidium*, *Oblivium*, Tac. 3. Historiar. Subierant *obsidium* etiam fœminæ. Id. 4. *Obsidium* Legionum urgebat. Id. ibid. Eam sententiam modestissimus quisque silentio, deinde *oblivio*, transmisit. Horatius lib. I. Serm. Ducere sollicitæ jucunda *oblivia* vitæ. *Papyrus* & *Papyrum* Plin. 13. *Papyrum* ergo nascitur in paludibus Ægypti. Ulpian. lib. 24. ad Sabinum: Chartis legatis neque *papyrum* ad chartas paratum, neque chartæ nondum perfectæ continebuntur. *Sutrina Sutrinum*, Sen. ad Lucil. Non multum abfuit, quin *Sutrinum* quoque inventum a Sapientibus diceret. *Testa*, *Testum* & *Testu*. Cato de R. R. Focum, ubi coquas calfacito bene & *testum*. Id. ibid. In foco caldo sub *testu* coquito leniter. Ovid. 2. Fastor. Ara fit, huc ignem curto fert rustica *testu*. Id. 5. Et spumat *testu* pressus uterque suo. *Consortium Consortio*, Cic. 3. Offic. Dissolvatur necesse est omnis humana *consortio*. Vellej. 2. Ut & Tribunitiæ potestatis *consortionem* Neroni constitueret. Papin. lib. 2. Respons. Cum Debitor pretium Pignoris *consortioni* subjecerit. *Crocum Crocus*, Apulej. 10. Metam. Vino *crocus* diluta. *Sertum Serta*, Propert. 2. Cum dua propen-

pendent demissæ ad pocula *fertæ*. *Symbolum Symbola*, Plaut. in Epid. Paratæ jam sunt scapulis *Symbolæ*. Apulej. de Philosophia: Eorum, quæ pacta sunt *Symbola*. Tertullian. adversus Valentinianos: Vt nautæ ad *Symbolam* sæpe exultant.

CAPUT X.

De Pronominibus.

PRONOMINA longe aliter protulerint Vetustissimi, quam nos hodieque efferimus, ut *Ipsus* pro Ipse in Comœdiis passim legitur. *Ips*, *Quips*, pro Is, Quis, in lege 12. Tabular. Nei Joudicium Faxit Aut *Quips* Endo Eo Im Joure Vindicit. Et *Ipsiptus* & *Ipsipte*, vel *Ipsipti* pro Is ipsus & Illi ipsi, Plaut. in Cistell. *Ipsipsus* est. Eho tu quam vos igitur fidem! Festus, *Ipsipti* Ipsi, neque alii. Glossarium, *Ipsipti* αυτοι. *Ollus* pro Ille apud Comicos atque etiam Virgilium. *Em* & *Im*, pro Eum notant Pestus & Macrobius, legumque Fragmenta retinent. Ennius: omnes corde patrem præbent animoque parentum circumfusi *im*. Ter. in Phorm. *Im* faxo tali immistum, ut hic nunc est infortunio. Cato in M. Cœlium: si *em* percussi. Ulpianus lib. 29. ad Edictum: nulla ratione id *em* consequi posse. *Hisce* nominativus pluralis pro Hi, Terent. in Eunuch. *hisce* hoc munere arbitrantur. Plaut. in Mil. Non possunt mihi nunciis talis *hisce* oculi foridi. Id. ibid. Non hercle *hisce* homines. Licinius Macer pro Tuscis:

Quos oportuit amissa constituere, *hisce* etiam reliquias averterunt. *Hic*, *Hæc*, *Istæc* pro Hi, Hæ, Istæ. Plaut. in Menæch. Me *hic* homines insanire prædicant. Id. in Rud. Sed *hæc* pauperes sunt inopesque Puellæ. Id. in Persa: Quid *istæc* narrant. Ter. in Andr. *Hæc* Nuptiæ non apparabantur mihi. Id. in Eun. Continuo *hæc* adorant. Et in Hæc. nihil jam mi *istæc* res voluptatis fuerunt. *Idem* & *Isdem* pro Iidem & Iisdem. Virg. 2. Æn. & sedibus hæret in *isdem*. Quam Scripturam vulgo in usu fuisse testatur Charisius lib. 1. Is homo, inquit, Idem compositum facit, nisi quia Cæsar lib. 2. singulariter, Idem, pluraliter, Iidem dicendum existimat; sed consuetudo hoc non servat. *Hibus* pro His Plaut. in Curcul. teste Charisio. *Ibus* pro Iis, id Mil. Latrones *ibus* denumerem stipendium: *Mis*, *Tis*, pro Mei, Tui, Ennius 2. Annal. Ingens cura *mis* cum concordibus æquiperare. Plaut. in Pœn. Rebus *mis* agundis. Et in Pseud. Mei te rogandi & *tis* respondendi mihi. *Mi'* pro Mihi frequenter usurpant Poetæ, sed & Varro 2. R. R. Quum *mi'* esset dicta. Ib. ib. Veni *mi'* advocatus. *Mehe* pro Me apud antiquos, Tragœdiarum præcipuæ Scriptores, in veteribus libris inveniri testatur Quinctilianus. *Mepte* Plaut. in Menæch. *Mepte* potius fieri servum, quam te unquam emittam manu. *Eæ*, *Illæ*, *Istæ* genitivi & dativi fœminei, ut nominum *Aliæ*, *Alteræ*, *Neutræ*, *Vnæ*, *Vllæ*. Ter. in Eun. Hoc ipsa in itinere *alteræ* dum narrat. Cato de R. R. Simillimum genus terræ *eæ*. Id. ib. *illæ* rei habeto, & alibi: Qui tantisper *nullæ* rei sies, dum nil agis. Plaut. in Mil. Rei *nullæ* aliæ

esti

est improbus. *Sis*, *Sos* & *Sas*, pro Suis, Suos & Suas, Ennius apud Festum, & ab illo mutuatus Lucretius lib. 3. Lumina *sis* oculis etiam bonus Ancus reliquit.

CAPUT XI.

De Verbis.

Verborum Extremitates variæ atque ancipites in veterum Auctorum libris occurrunt.

I. 1. Et alia quidem Patiendi habent Terminationem loco Agendi, ut inter alia a Grammaticis notata *comperior*. Sallust. in Jug. Sed ego *comperior* Bocchum magis punica fide. Tac. 4. Histor. Gravem & sapientem Virum fuisse *comperior*. Apul. 1. Apolog. Ibi ego *comperior*, omnes Judices tanto Poetæ adsurrexisse. *Fruticor*, Cic. 15. ad Attic. Excisa enim est arbor, non evulsa. Itaque quam *fruticetur*, vides. *Persagior*, Plaut. in Bacchidibus: Animus jam isto dicto plus *præsagitur* mali.

2. Rursus alia in agendi pro patiendi extremitatem desinunt, ut *Auspico*, *Aucupo*, *Auguro*, *Assentio*, *Amplexo*, *Commento*, *Commoro*, *Consulo*, *Contemplo*, *Crimino*, *Cuncto*, *Digno*, *Epulo*, *Exsecro*, *Fabulo*, *Imito*, *Indipisco*, *Læto*, *Lucto*, *Luxurio*, *Medito*, *Miro*, *Molio*, *Opino*, *Opitulo*, *Osculo*, *Perscruto*, *Polliceo*, *Proficisco*, *Rixo*, *Scruto*, *Sortio*, *Suscipio*, *Testo*, *Tumultuo*, *Tuto*, *Vocifero*, *Ulcisco*, *Venero*: quorum omnium exem-

exempla atque teſtimonia recitant Grammatici, & Plautus ſuppeditat. *Comminiſco* utitur Apulejus lib. 4. Metamorphoſ. Eo volente *comminiſcimus*. *Demolio*, Varro de Poetis: & tamen non *demolio* aſtra Alphenus lib. 2. Digeſtor. Priuſquam veterem *demoliret*, damni infecti vicino repromp-ſit. Ulpianus lib. 6. Opinionum: Qui domum alienam invito Domino *demolit*. *Naſco*, *Uto*, Cato de R. R. Ubi germen *naſcere* cœperit. Id. ib. Poſtea id *utito*. Tac. 3. Hiſtor. Romam *revertit*.

II. 1. SIGNIFICATIONES Verborum itidem mutant, & quæ Patientia vulgo ſunt, Agendi vim pleraque habent, ut *Bellor*, *Nutrior*, & ſimilia, quæ Priſcianus annotavit. *Multor*, *Punior* Suet. in Aug. Neque aut crebrius, aut perfidioſius rebellantes graviore unquam *multatus* eſt pœna. Cic. 1. Tuſc. Qu. Multi inimicos etiam mortuos *puniuntur*. Id. 1. Offic. Neque ad ejus, qui *punitur* aliquem, aut verbis caſtigat, ſed ad Reipubl. utilitatem referri. Et Orat. Philipp. 8. Clariſſimorum hominum crudeliſſimam *puniretur* necem. *Sacrificor*, Varro 2. de R. R. Ibi enim ſolent *ſacrificari* lacte pro vino. Id. ib. Et ipſe pro ſe *ſacrificarentur*.

2. Rurius alia, quæ Agendi duntaxat ſignificationem vulgo habent, Patiendi notione accepta inveniuntur, ut præter, quæ Priſcianus obſervavit, *Comitor* Lucr. 1. poſſet claro *comitari* Hymenæo. *Conſpicor*. Plaut. in Epid. Patrem prius ſe convenire non vult, neque *conſpicari*, *Fateor*, *Loquor*, *Moror*, Cic. in Orat. 2. Agr. Excipere nominatim agrum, qui publicus eſſe *fateatur*. Cœlius

lius ad Cic. De damnatione frequenter *loqui* est cœptum. Id. Nec. multum ac diu ludetur, atque ita diu, ut plus biennium in his triꞇis *moretur*. *Interpretor*, Suet. in Neron. Verba supplicis *interpretata*, prætorio Viro multandum pronunciante. Paulus lib. 3. ad Sabinum: In Testamentis plenius voluntates testantium *interpretantur*. *Stipulor*, Liv. 33. Circumagi *stipularique* irato Consuli, Tribuno inde Plebi. Suet. IV. Prætoriorum: Lætoria, quæ vetat minorem annis viginti quinque *stipulari*. *Tueor*, Varro 3. de R. R. Et in pace a Rusticis Romanis alebantur, & in Bello ab his *tuebantur*. Julianus lib. 21. Digestor. Consilio & opera Curatoris *tueri* debet non solum Patrimonium, sed & corpus & Salus Furiosi: Vetus inscriptio: Pareant Ergo Et Noscant Omnes Senatus Et Populi Romani Imperium Deorum Numine, Et Militum Fortitudine Et *Tueri* Et Regi. Similiter *Admetior*, *Arbitror*, *Complector*, *Demolior*, *Exequor*, *Funeror*, *Mentior*, *Moderor Moror*, *Populor* Jurisconsulti in libris Digestorum Agendi significatione utuntur.

III. Coniugationum quoque magna varietas & inconstantia fuit, multaque duplici Conjugatione inflexa leguntur; ut

1. Prima & Secunda, ut *Densare Densere*, Lucr. 1. Nec tali ratione potest *denserier* aer. Id. ibid. Nihil prodesset enim calidum *denserier* ignem. Virg. 11. Georg. Juppiter humidus astris *denset*. Id. 12. Æn. Vos unanimi *densate* catervas. Hor. 1. Carm. Mixta Senum ac Juvenum *densentur* funera.

2. Prima & Tertia, ut *Lavare Lavere*, Virg.

3. Georg. *lavit* improba teter ora cruor. Lucr. 5. Proluvie larga *lavare* humida saxa. *Sonare*, *Sonere*, Id. 6. Caligare oculos, *sonere* aure, concidere artus. Id. ib. Scire licet, non sincerum *sonere*. *Tonare Tonere*, Varr. in Eumenid. Tibi tympana non inani sonitu Matris deum *tonimus*. Contra *Comere Comare*, Terent. Heauront. Dum moliuntur, dum *comantur*, annus est *Dicere Dicare*, a quo retinemus *Dedicare*. Ennius, Dico, qui hunc *dicare* cupit. Plaut. in Curcul. Haud in male meditantem male *dicassis*. *Domere Domare*, a quo Domitor & Domator. Attius: Olim quod Viros *domavi* & segetis armatæ manus. Tibullus, Te duce, non alias conversus terga *domator*. *Fodere Fodare*, Ennius 7. Annal. Illurici restant sicis, sibynisque *fodantes*. *Gerere Gerare*, unde manet Aggerare.

3. Prima & Quarta, ut: *Artare Artire*, Cato de R. R. Inter librum & stirpem *artito*. *Dementare Dementire*, Lucr. 3. *dementit* enim deliraque fatur. Apul. 2. Apolog. Sese mea magia in amorem inductam *dementire*. Tertull. de Anima: Nam & cum *dementit* homo, *dementit* anima. *Dolare Dolire*, Varro in Agathone Cæloque *dolitus* artem ostentat Mentoris. *Impetrare Impetrire*, Plaut. in Asin. Auguratum est, *impetritum* est. *Obstare Obstire*, Id. ibid. Ita Iracundia *obstit* oculis. *Verberare Verberire* in lege Regia: Si Parentes Puer *Verberit*.

4. Secunda & Tertia, ut *Caveo Cavo* in illo Horatii, teste Servio: Vade, vale, *cave*, ne titubes, mandataque frangas. *Ferveo Fervo*, Virg. 4. Æn. jam littora *fervere* flammis. Lucr. 5.

Fer-

Fervere jam videat classem, lateque vagari. *Fulgeo Fulgo*, id. ib. *Fulgere* cum cœli donavit plaga vapores, Et lib. 6. *Fulgit* item cum rarescunt quoque nubila cœli. *Indulgeo*, *Indulgo* Ter. in Adelph. Vestitu nimium *indulgis*. *Oleo Olo*, Plaut. in Mostell. Non omnes possunt *olere* unguenta exotica. *Obsideo Obsido*, *Possideo Possido*, Sallust. in Catil. Occulte pontem *obsidunt*. Lucret. 4. *Obsiditque* vias oculorum. Id. ib. Æri tuit oculos prior, & *possidit* apertos. *Rideo*, *Irrideo*, *Rido*, *Irrido*. Id. 3. largo diffuso lumine *ridit*. Brutus ad Cic. *irridunt* horum lacrumas. *Scateo Scato*, Lucret. 5. Nunc etiam *scatit*, & trepido terrore repleta est. Id. ib. Largifluum fontem *scatere*, atque erumpere flumen. Plaut. in Aulul. Si vino *scatit*. *Teneo*, *Teno*, *Tetini*, Attius & Pacuvius aqud Nonium. *Tueor*, *Contueor*, *Tuor* & *Contuor*, Ter. in Heaut. qui *intuitur* nos. Lucret. 4. in somnis sæpe figuras *contuimur* miras. Statius lib. 8. Thebaid. Namque modo infensos utero mihi *contuor* enseis. Idem lib. 3. *Intuor*, Inachii sunt hi tibi, concipe, Reges. Id. ibid. Vestra *tuor*. *Video Vido*, autore Prisciano. Rursus *Dico Diceo*, *Vivo Viveo*, *Claudo Claudeo* observarunt Grammatici. *Abnuo*, *Abnueo*, Ennius 8. Annal. Certare *abnueo*, metuo legionibus labem. *Attero Attereo*, Tac. 2. Hist. Mox *atteritis* opibus lubrico statu. Tibull. Aut operi insuetas *atteruisse* manus. *Compono Componeo*, Cato de R. R. In acervam *componeto*. *Congruo Congrueo*, *Fundo Fundeo*. Ter. in Heaut. Ne nos inter nos *congruere* sentiant. Id. in Adelph. Eho jam tu verba *fundes*. *Excello Excelleo*, Cic. de Orat. In Ora-

Oratoribus vero Græcis quidem admirabile est, quantum inter omnes unus *excellat*. Et ib. Non quod sola ornent, sed *excellant*. Et in Lal. Quamvis licet *excelleas*. *Strido Strideo*, Lucan. 6. Auribus incertum feralis *stridéat* umbra. *Scabo Scabeo*, Luc. *Scaberat* ut porcus contritis arbore costis.

5. Tertia & Quarta, ut *Cupere Cupire*. Lucr. 1. perfrangere ut arcta Naturæ primas portarum claustra *cupieret*. *Parere Parire*, Ennius in Epicharmo: Ova *parire* solet genus pennis condecoratum. Manilius Poeta apud Varronem; Latona *parit* casto complexu Jovis.

CAPUT XII.

De Temporibus & Modis.

I. TEmporum in Verbis Mutationes per singulos Conjugationum Ordines Grammatici accurate tradiderunt, in quibus referendis non est operæ pretium nos immorari. Illud unum leviter attigerunt, quod est observatione maxime dignum:

1. Veteres aliquando Tempus Præteritum a Præsenti formare atque deducere, ut *Accedo*, *Decedo*, *Discedo*: *Accedi*, *Decedi*, *Discedi* Varro. 1. de R.R. *Discedimus* omnes. Pomp. l. 1. Senatusconsultor. Quæ ad hæreditatem Patris *accederat*. Paulus l. 2. Decretor Si fine liberis *decederit*. *Cano Canui*, Salluft. l. 1. Histor. Jussu Metelii cornici-

nicines *occanuere*. *Callesco*, *Call sci* Cato in Orat. de Bello Carthag. Aures nobis *calliscerunt* ad injurias. *Clepo Clepi*, Cic. 2. de Leg. Sacrum sacrove commendatum qui *cleperit*, rapsitve, *Consisto Consisti* Ennius: *Consistere* amnes perennes, arbores vento vocant. *Neglego*, *Neglegi* Æmilius Macer. lib. 16. Annal. Omnium nostrum *neglegerit* auctoritatem, Cic. Philipp. 13. ex Epistola Antonii. Confugere Alexandriam *neglegistis*. *Nexo Nexi*, Propert. 1. At tibi quæ nostro *nexisti* retia lecto. *Premo Premi*, Cato de R. R. Ubi factores vestibus *premerint*. *Sino Sini*, Terent. in Andr. Dum tempus ad eam rem tulit, *sini* animum, ut expleret suum. *Confundo Confundi*, *Relinquo*, *Relinqui*, *Rescindo*, *Rescindi*, *Rumpo* & *Corrumpo*, *Rumbi* & *Corrumpi*, in libris Pandectarum Juris aliquotiens scriptum exstat. *Tollo Tolli*, *Astulo Abstuli*, Plaut. in Rudente; Aulas *abstulas*. Ulpianus 1. ad Sabin. Acceptilationem aliquid egisse, *tollisseque* totam Obligationem.

2. Similiter Tempus Futurum præsenti in Verbis Tertii & Quarti Ordinis ut *Dormio Dormibo*, *Largio Largibo*, Cato. *Expedio Expedibo*, *Reddo Reddibo*, Plaut. in Truc. Ego *expedibo*, rem perdidi apud vos. Id. in Menæch. Salvum tibi ita, ut mihi dedisti, *reddibo*. *Esurio Esuribo*, Pomponius in Augure: Non *esuribis* diutius. *Scio Scibo*, Terent. in Eun.

II. Modos autem, quos appellant Grammatici, in multis Verbis aliter Veteres protulerunt, veluti,

1. Imperativum monosyllabum, apposita E litte-

littera, ut *Dice*, *Duce*, *Face*, quæ apud Poetas passim leguntur.

2. Subjunctivum Verborum Tertiæ Conjugationis per EM, vel per IM, ut *Attingem*, *Dicem* Cato & alii, teste Festo & Quinctiliano lib. 1. *Remittes* pro Remittas, Terent. in Andr. Nam si rogites, *remittes* jam me onerare. *Arcessit*, *Quærit*, pro Arcessat, Quærat, Plaut. in Menæch. Quid velit, quidve *arcessit*. Id. in Aulul. Quid si quispiam tamen *quærit*? *Edim* pro Edam. Id. Plaut. in Pœn. est domi, quod *edimus*, ne nos tam contemtim conteras. Id. in Trinum. At pol ego, etsi vetat, *edim*. Et alibi frequenter. Cato de R. R. Quod volet cibi, postea *edit*. Id. ib. Sed si poterit solam brassicam esse, *edit*. Cic. ad Pætum: Ne ego, te jacente, bona tua *comedim*. Hor. 3. Carm. *Edit* cicutis allium nocentius. Id. 2. Sermon. Quam si cum lumbis quis *edit*.

3. Præterea Indicativi Moei Imperfecta per contractionem & diminutionem mediæ Syllabæ in Verbis, quæ in IO desinunt, ut *Custodibam*, *Gestibam*, pro Custodiebam, Gestiebam. Catullus: *Custodibant* calathisci. Plaut. in Aulul. Scapulæ *gestibant* mihi. *Lenibam*, *Nutribam*, Virgilius, *Sævibam*, *Scibam*, Lucretius & Terentius in Prologo Hecyræ: Quin *scibam* dubiam fortunam esse scenicam. Id. in Andria: Propterea quod *servibus* liberaliter. Et Perfecta alia, ut *Dixti*, *Sensti*, pro Dixisti, Sensisti, *Revixti*, *Præscripsti*. Ennius 1. Aneal. In Poma Troja *revixti*. Terent. in Andria: Tute ipse rebus finem *præscripsti*.

4.

4. Item Infinitivi Modi Præterita, ut *Abstraxe* pro Abstraxisse. Lucret. *Cesse*. *Cresse*, Id. lib. 1. Nam quæcunque prius de parti corpora *cesse* constitues, Et lib. 3. Cum membris videatur in ipso sanguine *cresse*. Cic. 15. ad Attic. Non videmur *cesse* victori. *Divisse*, Divisisse, Horatius: Antiquo censu natis *divisse* duobus. *Indixe*, *Produxe*, *Subduxe*. Terent. in Adelphis: Nam tu eum hoc modo rns *produxe* ajebas. Varro in Satyra de Mysteriis: Tum portitores æra *indixe*. Id. 2. de R. R. Quem sibi Thyestem *subduxe* quæritur. *Promisse*, *Sumse*, *Consumse*, pro Promisisse, Sumsisse, Consumsisse. Catull. in Epigr. Aut facere ingenuæ, aut non *promisse* pudicæ. Nævius in Triphalo: Argentum amoris causa *sumse* mutuum. Lucr. 1. Infinita ætas *comsumse* ante acta diesque.

CAPUT XIII.

De Adverbiis.

ADVERBIA pleraque bifariam & promiscue efferuntur a Veteribus, ut *Here* Heri, *Vespere* Vesperi, *Peregre* Peregri, *Præfiscine* Præfiscini, quo utitur Apul. 3. Florid. & Horat. 2. Serm. Nam mihi convivam quærenti *here* ductus illic. Terent. in Hecyra: *Here* nemo voluit. Plaut. in Pseud. Atque *here* ante dixeram omnibus, & aliis multis locis. Id. in Amphitr. *Peregre* adveniens. Et in Persa: Quia herus *peregri* est. *Commode* &

 Com-

Commodo, *Cottidie* Cottidio, *False* Falso, quorum Exempla exstant apud Charisium. *Arcane* & Arcano, *Exigue* Exiguo, *Proxime* Proximo, *Tutissime* & Tutissimo. Cæs. 2. de B. C. Domitius *arcano* cum paucis Familiaribus suis colloquitur. Cic. 4. ad Attic. *Proximo* a. d. 6. Cal. Octobr. Id. ibid. 8. Vbi *tutissimo* essent, & 16. legi *arcana* Convivis tuis. *Ample* & Ampliter, *Dure* Duriter, *Longe* Longiter, *Probe* Probiter, & alia id genus multa, quæ Grammatici annotarunt. *Avare* Avariter, *Avide* Aviditer. Plaut. in Curcul. Ingurgitat impura in se merum *avariter*. Arnob. 5. Invasisse *aviditer*. *Imprimis* & Imprimo, Varro 6. de L. L. Hominis *imprimo* in litteris latinis exercitati. Gell. 16. Tum *imprimo* περι αξιοματων discendum. *Promiscue*, *Protinus*, & Promiscam & Protinam, Ter. in Phorm. Hinc me conjicerem *protinam* in pedes. Varro in Caprino Prœlio: Cetera *promiscam* voluit communia haberi. *Clare* & Claritus, *Communiter* Communitus, *Publice* Publicitus, apud Terent. & alios. *Caute* & Cautim, *Diserte* Disertim, *Exquisite* Exquisitim, *Minute* Minutim, aliaque talia Adverbia in *Tim* admodum familiaria erant Veteribus. *Arctim* Cic. 12. ad Attic. Nec *arctim* Pompeium teneri. *Conjuratim*, *Perplexim*, Plautus, *Blanditim*, *Juxtim*, *Exultim*, Lucretius, *Propritim* vel *propriatim*. Id. lib. 2. Quid? genus humanum *propritim* de quibus actum est. Arnobius lib. 3. Usque adeo res exigit *propriatim* Deos scire. *Cessim* *Recessim*, Plaut. in Cas. Imitabor nepam: *recessim* adeo me ad parietem. Varro in Sesquiulysse: — cum domum ab Ilio *cessim* revertero. Justin. 2. Vos, commisso

i præ-

prælio, ite *cessim*. Alfenus JC. Interim superius plostrum *cessim* ire cœpit. *Illim*, *Istim*, pro Illinc, Istinc retinent antiqui libri Lucretii & Ciceronis, cum aliis pluribus locis, tum epistola ad Valerium: Qui *istim* nunc veniunt: & ad Atticum 9. *Illim* equidem Cn. profectum puto. Magis *Mage*. Quo præter Lucretium & Virgilium, etiam Cic. in Verrem utitur: *Mage* condemnatum hominem in judicium adducere non posse. *Nenu* pro Non Lucilius, & Varro apud Nonium, & Lucret. lib. 3. & 4. *Nenu* queunt rapidi contra constare leones. *Postea* & Postilla Terentius & Plautus crebro usurpant. Cato in Originibus, Sæpeque *post Illa* operam Reipublicæ fortem atque strenuam perhibuit. *Primo* & Primum, *Postremo* Postremum, *Tertio* Tertium, *Quarto* Quartum Veteres promiscue & indifferenter dixisse, ostendimus lib. 4. de Differentiis Verborum. Præter hæc fuerunt in usu Adverbia, quæ fiunt ab Auferendi Casu in utroque Numero, ut *Anniversario*, *Cottidiano*. Cic. 5. ad Att. Cum anatociis *anniversario*, id est, annuatim, anno vertente. Id. 6. de Republ. *Cottidiano* in forum mille hominum cum palliis conchylio tinctis descenderent. Plaut. in Capt. Nisi *cottidiano* sesquiopus confeceris. *Anno* pro Pridem, & *Horno*, id est, Hoc anno. Lucilius 27. Satyr. Utrum *anno*, an *horno* te abstuleris a viro. Plaut. in Amphitr. Etiam Histriones *anno* tum, cum in proscenio hic Jovem invocarunt, venit. *Hesterno*, *Postero*, *Hiberno*, *Matutino*, Tac. 4. Annal. Idemque cum *postero* ad Quæstionem traheretur. Et 15. *Postero* cum ad eosdem cruciatus retraheretur. Venulejus IC. Eum, qui *hiberno* habuerit

fundum. Apul. 9. Metam. *Matutino* me multis oleribus onustam proximam civitatem decere consueverat Dominus. *Numero*, id est, Cito, Celeriter, apud Comicos passim legitur. *Compacto* Afranius in Emancipato: Te facere *compacto* omnia; quod Plautus in Captivis: Rem *de compacto* geri. *Fortuitu* id. in Aulul. Si eam senex anum prægnantem *fortuitu* fecerit. *Noctu Diu*, *Lucu*, vel *Luci*, propter affinitatem litterarum I. & 5. Id. ib. Nec *noctu*, nec *diu*, quietus umquam eam. Sallust. I. Histor. *Noctu diuque* vigilias tentare. Ter. in Adelph. Cum primo *luci*. Plaut. in Amphitr. Nonne idem hoc *lucu* me mittere potuit. Id. in Merc. Ad portam hinc abi mane cum *lucu* simul. *Alternis*, *Multimodis*, *Omnimodis*, Lucr. *Gratis Ingratis*, vel *Gratiis* & *Ingratiis*, ut *Invitis* Adverbium, observat Charisius. Plaut. in Asin. Cave modo, ne *gratiis*, &c. Et in Cas. Vobis *invitis*, atque amborum *ingratiis*. Ter. in Eunuch. *Ingratiis* ut dormiam. Id. in Phorm. Meam ductes *gratiis*. Cic. Orat. 6. in Verr. Reticebunt, quæ poterunt, libenter, dicent, quæ necesse erit *ingratiis*: Id. pro Quinto: Extorquendum est invito atque *ingratiis*; id est, illibenter, gravate & contra voluntatem.

CA-

CAPUT XIV.

De Præpositionibus.

FUerunt Veteribus in usu Præpositiones, quæ jam exoleverunt *Am* & *Uls*, cujus vicem Pomponius de Origine Juris usurpat *Ultis*: Quinque Viri (inquiens) constituti sunt cis Tiberim & *ultis* Tiberim. *Am* vero servit Loquelis, sive Verbis, non Casibus, ut *Amplector*, *Amputo*, *Anquiro*. Unde inter eas Præpositiones, quas Probus, Diomedes, aliique veteres Grammatici Loquelares appellant, refertur a Charisio & Festo his verbis: AM Præpositio loquelaris significat Circum.

2. Præterea solent Veteres interdum Præpositiones geminare, ita ut in unam Dictionem coeant & coalescant; veluti *Insuper*, *Desuper*, & quæ minus usitatæ, *Exante*, *Inante*, *Postante*, id est, post alia facta, quomodo Græci dicunt ἐμπροσθεν. Varro 5. de L. L. *Postante* conventionem habeat. Propert. 2. Si quis vult forma tabulas anteire vetustas, Hic dominam exemplo ponat *inante* meam. Apul. 1. Metam. Proxime *exante* Pœcilen porticum. *Exadvorsum* Cato de R. R. & Terent. in Phorm. -- *Exadvorsum* inlico Tonstrina erat quædam. *Circumcirca*, *Circumsecus*, id est, in ambitum & in orbem. Plaut. in Aulul. Occœpit ibi scalpturire ungulis *circumcirca*. Apul. 5. Coloni quique *circumsecus* venantur, & 11. *circumsecus* variegatum. *Præter propter*, pro Præterquam propter,

 pter,

pter, sive propter aliam causam, quam propter eam, de qua loquimur. Ennius in Iphigenia: -- *Præter propter* vitam vivitur, id est, propter aliam caussam vivitur, quam ut vivatur, utputa propter Voluptatem, vel Gloriam.

3. Aliquando Præpositiones separatæ in Oratione conjunguntur, & nihilominus Dictionis vim servant. In quo sane errat Priscianus, qui tradit, Præpositiones, quotiens Casu carentibus apponuntur, Dictionis vim semper amittere. Sic *In ante*, *Ex ante*, Varro 3. de R. R. *Ex ante* diem 7. Id. Febr. & *Ex ante* diem 3. Id. Sextil. Cic. 1. ad Attic. *In ante* diem 15. Cal. Novembr. distulit. Et 3. *Ex ante* diem Non. Junii usque ad pridie Cal. Septembr. Liv. 45. Supplicatio pro concione Populi indicta est *ex ante* diem 5. Id. Octobr. *E circa* Id. 21. Extemplo *e circa* Prætorem ad Civitates missi legati, id est, ex iis, qui circum Prætorem erant. *In coram* Apul. 10. Quæ mecum *in coram* publicam Populi caveam frequentaret. Sed *Versus* & *Usque* aliis Præpositionibus conjuncta transeunt in Adverbia: ut *Versus* cum *Ab*, *Ad* & *In*, Varro 1. de R. R. Ridica vitis *ab* septentrione *versus* tegatur. Cæs. 6. de B. G. Cum legionibus tribus *ad* Oceanum *versus*. Sallust. in Catil. Modo *in* Urbem, modo *in* Galliam *versus*. Cic. de Amic. Atque is primum instituit in forum *versus* agere cum Populo. *Usque* cum *Ab*, *Ad*, *Ex*, & *Sub*. Virg. Siculo prospexit *abusque* Pachyno. Id. Hinc *usque ad* sidera notus, &: *Usque sub* obscurum noctis. Terent. in Eun. Ex Æthiopia est *usque hac*. Cic. Pro Flacco: Non accepit a suis Civibus, sed *ab* Tmolo *usque* petivit.

CA-

CAPUT XV.

De Compositione Vocum.

IN Compositione Vocabulorum nimio plus sibi indulserunt Veteres, maxime Poetæ, e quibus nos pauca quædam vulgo minus nota, referemus.

I. Ex tribus Dictionibus Nomina componere, quamvis latinæ linguæ non concedat Quinctilianus, tamen fecit Lucilius *Hippocampelephantocamelus*, ex istis tribus Vocibus Hippocampus, Elephantus, Camelus. *Viticapiferæ* Varro in Satyra, Magnum talentum: Detotonderat forcipibus *viticapiferis*, quasi Vitia capere ferre. *Quassagipennæ*, quæ quassis aguntur Pennis, idem *Sexagesi*; Nec *quassagipennas* Anates, tremipedas. *Scytosagittipelliger* cognomen Herculis, quod Scutum, Sagittas, & Pellem gestaret, Tertullianus de Pallio. *Triseclisenex* & *Dulcioriloquus* de Nestore Nævius in Alcesti, quæ ut nimium Poetica notat Gellius.

II. Ex Latino & Græco, ut *Antelogium* Plautus in Menæch. Nunc argumento *antelogium* quoddam hoc fuit. *Dentarpagæ* Varro in Cyniciatris: Hic bipensiles forcipes *dentarpagæ*. *Signosiæ* idem in Eumenidibus. Imponeret ædilis *signosiæ*. *Flexibulæ*, *Vimarcus*, Idem in Satyrarum Inscriptionibus. Contra *Epitogium*, Anticato, Titulus librorum Julii Cæsaris, quos scripsit contra Ciceronis laudationem Catonis. *Archigubernus* apud Javolenum JC. & *Mesonauta*, qui in Navi medium lo-

cum tenet inter Gubernatores & Remiges, ut inter Servos *Mediastinus*. Ulpianus lib. 13. ad Edictum: Non debet Exercitor Navis per Remigem, aut *Mesonautam* obligari.

III. Ex Præpositione & duobus Vocabulis est *Perterrefacio*, & quæ Pacuvius dure struxit *Incurvicervicum*, *Repandirostrum*.

IV. Rursus ex duabus Præpositionibus & uno Vocabulo multa junguntur, ut *Incompositus*, *Reconditus*, & quo Cicero utitur, *Subabsurdum*. Sic *Adindo* Cato de R. R. *Coaddo*, *Coaccedo*, *Exobsecro*, Plautus; *Perinungo*, *Prodeambulo* Terent. in Adelph. *Prodeambulare* huc libitum est. Varro 2. de R. R. Eadem re *perinungunt*, & tegunt rursus. *Inconcupisco*, *Incognosco* Apul. 3. Florid. Ut non minus vobis amicitia mea capessenda sit, quam mihi vestra *inconcupiscenda*. Id. 4. Ut *incognosceret* more ingenii humani quisnam esset. *Redadopto* Modestin. lib. 2. Regular. Filio dato in adoptionem, quem denuo *redadoptavit*. *Superanteactus*, Lucr. 3. Cum *superanteactam* ætatem meminisse nequimus. *Transadigo*, Virg. *Transadigit* costas.

V. Adverbium pro Verbo composito jungere frequens est apud Comicos, ut *Introadmitto*, *Introabeo*, *Introadspicio*. Ter. in Andr. Accessi, *introadspexi*. Id. in Hec. Here nemo voluit Sostratam *Introadmittere*.

VI. Ex Præpositione & Adverbio sunt *Derepente*, *Desubito*, *Demagis*, quibus utuntur Terentius, Lucretius, & Lucilius aliique. *Præterquam*, *Extraquam* Vox frequens in legibus & Edictis. *Adpri-*

primo, *Abhinc*, *Dehinc*, quæ sola Præpositionem recipere Charisius perperam censet.

VII. Præterea nonnulla Composita Verba, quæ nunc contracta, vel leviter immutata efferimus, Veteres integra protulerunt, ut *Traduco Transduco* in libris Digestorum Juris. Trado *Transdo*, Ter. in Prol. Phorm. Exquiro *Exquæro*. Plaut. in Aulul. Intro, *exquære*, sitne ita, ut ego prædico: Id. in Capr. Eadem ego ex hoc, quæ volo, *exquæsivero*. Iniquius, *Inæquius*, Id. in Pœn. Trado amico nihil est quicquam *Inæquius*. Ancisum *Ancæsum*, Concisum *Concæsum*, & contra *Distisum*, *Pertisum*, pro Distæsum & Pertæsum; ut testatur Festus, & Cicero in Oratore his verbis: Concisum, non concæsum; ex quo quidam *Pertisum* esse volunt, quod eadem consuetudo non probavit. Et ex contrario, quæ nos plene efferimus, illi contrahebant, ut Transluceo, Transmitto, *Traluceo, Tramitto*, Lucr. Transvolo *Travolo*, Transmeo *Trameo*, Plaut. in Epid. *Travolaverunt* ad hostes, &; mihi illanc ut *tramittas*. Varro 4. de L. L. Tua quod *travolat* ea aqua. Id. ib. Trama quod *trameat* filium. Transfero *Trafero*, Cic. ad Lentulum: caussam regiam alio *traferebant*. Id. ad Cœl. *Traferri* Nomen a Valerio non potuisse. *Escendo*, *Escensio*, pro *Exscendo*, & *Exscensio*, quo utitur Liv. 47. Sallust. in Jug. Non temere uti *escenderat* Id. ib. Quibus allevati Milites facilius *escenderunt*. Et mox; pars equos *escendere*. Varro 1. de R. R. E vinea in arbores *escendit* vitis, &, In carnarium *escendit*. Id. 4. de L. L. Unde *escendebant* ad infimam novam viam. Liv. 45. Consuli ad quadrigas mittendas *escendenti*.

CA-

CAPUT XVI.

De Distractione, & Trajectione Vocum.

DIviduntur voces compositæ, & quasi in partes secantur non apud Poetas modo, sed etiam Oratores, & Historicos. Simplices autem voces non distrahuntur; etsi Ennius τo *Cerebrum* distraxit 5. Annal. Transfigit corpus *cere* comminuit *brum*: quem nulli idonei Auctores imitari voluerunt. Et interdum quidem, composita voce divisa, nihil ejus partibus interponitur, ut *Animum advorto* Cato de R. R. Ter. in Prol. And. & Dolabella in Epistola ad Cicer. *Arefacio*, Lucret. 6. Principio terram Sol excoquit & *facit are*. *Magno opere*, *Summo opere*, *Tanto opere*. Licinus Macer 1. Annal. Non *minimo opere* milites quietos volebant. Cic. 12. ad Atticum: res indicat, *quanto opere* id cupiam. Suet. in Cæs. Quem incolumem *tanto opere* cuperent. *Satis agere*, Cato de Consulatu suo: jam nostri apud vallum *satis agebant*. Apul. 8. Coloni multitudinem nostram latrones rati *satis agentes* rerum suarum, eximieque trepidi. Ulpianus lib. 23. ad Sabin. Non *satis egerit*. Plaut. in Mercatore per Μεταθεσιν: insomnis egi *satis*, & fui homo exercitus. *Pessum do* pro Pessumdo: Ter. in Porm. Me, aut Herum *pessum dabunt*. Sallust. in Jug. Quæ res plerumque magnas Civitates *pessum dedit*. Tac. 3. Annal. Quod multos etiam bonos *pessum dedit*.

II. Frequentius autem partibus vocis compositæ di-

dictio aliqua, vel particula interponitur, quod genus Τμήσεως familiare fuisse Lucilio, denotat Ausonius his versibus: rescisso verbo, disces componere versum; Lucili Vatis sic imitator eris. Sic distrahuntur *Arefacio*, *Excandefacio*, *Fervefacio*. Varro de R. R. *Are* hos *facies*. Id. ibid. *Excande* me *fecerunt*. Cato de R. R. *Ferve* bene *facito*. *Circumfundo*, *Circumventus*. Virg. Æn. I. Et multum nebulæ *circum* Dea *fudit* amictu. Ulpianus ad Sabinum 34. Siquidem *circum* in hoc *venta* est. *Depetigo*, *Constendere*. Lucil. lib. 30. Illuvies, scabies, oculos huic *deque petigo*. *Dedicatus*, Id. ib. Iuratam se uni, cui sit data *deque dicata*. *Detondo* Ennius 3. Annal. *Deque totondit* Agros lætos atque Oppida cepit. *Lucrifacio* Cajus lib. 19. ad Edictum: Liceat *lucri* dotem *facit*. *Magnopere*, Terentius in Eunucho: Thais *maximo* me orabat *opere*. *Pergratum*, *Permolestum*, *Permagni*. Cicero 2. ad Atticum. *Per* mihi *per*, inquam, *gratum* feceris. Id. 5. *Per* mihi erit *gratum*, si id curaris ad me perferendum. Et 10. *Per* enim *magni* æstimo. *Plebiscitum*, *Senatusconsultum*. Varro 3. de Vita Pop. Rom. *Plebisque scito* canum. Id. Epist. Quæst. 4. *Senatusque consultum* fieri duobus modis. Quinctilianus: Nam rogationibus. *Plebisve scitis* causa sunt ista. *Quapropter* Plaut. in Amphitr. *Qua* ista *propter* dicta dicantur mihi. *Quilibet*, *Quicunque*, Sallust. in Catil. *Cujus* rei *libet* simulator. Id. de Rep. ordinanda; *cujus* rei *libet* periculum facere. Ter. *Quæ* meo *cunque* animo lubitum est facere. *Respublica* Plautus: Sed ut ego stultus, qui *Rem* curo *publicam*. Cic. ad Att. *Rem* vero *publicam* penitus amisimus.

simus. *Septentrio*, Virg. *septem* subjecta *trioni*. *Superfum*, Plaut. in Curcul. Si quid *super* illi *fuerit*. *Tamenetsi*, Id. in Cas. Qui amat; *tamen* hercle *etsi* esurit. *Venundo*, Sallust: I. Historiar. Quasi Cimbricam prædam *venum*, aut dono *datam*. Liv. Ignarus omnium se *venum* a Principibus *datos*.

III. Quin etiam trajiciuntur Dictiones Clausulæque, & præpostero ordine locantur: quod ubi accidit, Αναςροφην esse volunt Grammatici. Accidit autem in Nominibus, ut cum Cognomen anteponitur Nomini, veluti *Balbus Cornelius*, *Gallus Fabius* apud Cic. ad Att. Gallus Caninius in Epistola ad Cœlium, *Macer Licinius* lib. 2. ad Q. Fratrem, *Papus Æmilius* in Lælio, *Antias Valerius*, *Cursor Papirius* apud Livium. Vel cum Prænomen cum Cognomine conjungitur, ut *M. Cicero*, *C. Cæsar*, *Cn. Magnus*, Varro 4. de Vita Populi Rom. Audivi dicentem *Cn. Magnum*. Vellejus 1. Filium *C. Cæsaris Cn. Magnus* duxit uxorem.

IV. Item trajiciuntur 1. Pronomina, ut *Qui Quæ*. Varro Ονος λυρας. Aut ille cervum, *qui* volabile currens, pro ille, qui cervum. Tibullus 1. Vidi ego, *qui Juvenem* feros desisset amores, pro *Juvenem*, *qui*. Ovid. 1. Eleg. *Quam face sustineo* tecta superba petam: id est, *face*, *quam sustineo*. 2. Verba, ut *Sis vide*, pro Vide sis. Plaut. in Aulul. *Sis vide*, ut incedit. 3. Adverbia, ut *Nihilominus*, Cæcilius in Hypobolimæo: Ego illud *minus nihilo* exigor portorium. *Quoad* Afranius in Cromo: Ut scire possis, *ad quo* te expediat loqui. *Cum*, Cæsar: *Diutius cum* nostrorum

rum impetum ferre non possent. Id. Diu *cum* esset pugnatum. 4. Præpositiones, ut Lucretius: *Ea propter*, Virg. *Italiam contra*; &, *His accensa super*; &, *Maria omnia circum*. Item *transtra per* & remos, Hor. *Quem penes*, Sallust. *Quos inter*, Varro: *Eum apud*, Cicero: *Memoriam præter*, *Ponit ante*, Liv. *Omnibus ex*, Tacitus: *Eo coram*, *Templum juxta*. *Tiberim contra*, *Urbem extra*, *Viam propter*. 5. Conjunctiones, ut *Autem* post alterum, aut tertium Orationis verbum apud Plautum frequentissime. *Enim* initio Orationis pro Etenim, idem in Aulul. *Enim* mihi quidem æquum est. Et in Cas. *Enim* jam magis jam approbero. Id in Mil. *Enim* cognovi nunc. Ter. in Hec. *Enim* lassam oppido tum ajebant. Cic. 4. ad Atr. Macroni vix videor præsto esse. *Enim* auctionem. Lucr. 2. *Enim* distantia cum sit, & 4. *Enim* præsens dolor exsuperabat. Labeo lib. 2. Pithanon; & hoc id est, quod Græci dicere solent εν πλατει. *Enim* potest hoc memoria non teneri. Aliquando ponitur *Enim* tertio loco. Varro in Andabatis: minus aurum *enim* non præstringit oculos. Cic. 12. ad Att. Prusia cum *enim* vendere. Liv. 46. Eo quoque *enim* mittendos fore legatos. *Ne* Plaut. in Pseud. -- *Ne illi* audeant, pro illine. Ter. in Andr. Ah *ne tu* omnia, pro tune. Cic. ad Att. Ego *illud ne* quidem contemnam, pro ne illud quidem. *Quamquam*, Sallustius in Iugurtha: Quæ gravia *quamquam*. Tac. Hæc mala *quamquam*. *Que* Copula alieno loco solet poni, sed apud Poetas tantum. Plaut. in Capt. Est profecto Deus, qui, quæ nos gerimus, *auditque* & videt. Horat. Ore penes *tetigitque* crura.

Ti-

Tiboll. Messallam terra dum *sequiturque* mari. *Sed*, *Sed enim*, Virgilius: Ipsa *sed* in somnis inhumati venit imago, Et: progeniem *sed enim* Trojano ab sanguine duci. Item: -- Impius ex quo Tydides *sed enim* scelerumque inventor Ulysses, *Tamen*, Plaut. in Amphitr. Sed in fugam in se *tamen*, nemo convertitur. Id. ib. Metuam absentem *tamen*. Atque hæc quidem hactenus de singulis Dictionibus, in quibus antiquæ Locutionis usus cognoscitur. Nam & exoletas Voces explicare non est nostri instituti; & si quis eas nosse desiderat, a Glossographis petat licebit.



AUSO-

AUSONII POPMÆ

DE

USU ANTIQUÆ LOCUTIONIS

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

De Partium Orationis inter se Commutatione.

SEquitur: ut de antiqua Orationis Structura, quæ a communi loquendi consuetudine multum dissidet, nunc quoque agamus. Sed quoniam Grammatici antiquarum Locutionum genera prolixe tradiderunt, ut ad illorum copiam vix aliquid addi posse videatur, ideo nolumus in hoc loco diu immorari. Partes Orationis sæpe confundunt Auctores, atque alias pro aliis usurpant, quam Commutationem Græci vocant Αντιμερίαν.

1. Sic Nomen loco adverbii, ut *aliquid* pro aliquantulum. Terent. Subtristis visus esse *aliquid*. Cic. pro Dejot. Non enim jam metuo, ut illi tu succenseas; illud vero, ne illud tibi succensere *aliquid* suscipere. *Nullus* pro Non, Plautus aliquoties, & Terent. in Eun. *Nullus* mones. Id. in Hecyra: Etsi *nullus* dixeris, Cic. ad Attic. XI. Philotimus non modo *nullus* venit. Et 15. Sextus ab armis *nullus* discedit. *Multa* pro Mul-

Multum, ut: *Multa* peccare. Cic. in Top. Cum mihi meisque *multa* sæpe cavisses. Et ad Appium: *Multa* nos quidem questi sumus. Cæcinna Ciceroni: *Multa* Deos venerati. Virg. 4. Georgic. --- Et spiritus oris *multa* reluctanti obstruitur.

2. Item Adjectivum in utroque Numero, ut *Immane* sonat, *Sublime* volans, *Æternum* latrans. Virgil. Id. Sole *recens* orto, pro recenter, & Stat *acerba* stridens; Id. --- pede terram *Crebra* ferit: & --- *transversa* tuentibus hirquis. Lucret. mortales *mutua* vivunt. *Insanum Sempiternum*, pro Insane, Sempiterno, Plaut. in Curcul. *Insanum* amare. Id. in Aulul. Quod tibi *sempiternum* salutare.

3. Similiter Nomen pro Participio, ut Hunc Populum late *regem*, id est, regnaturum.

4. Et pro Interjectione, ut *Jupiter* cum administrantis est; ut apud Græcos, ηρακλεις, Catullus: Doctis *Jupiter* & laboriosis, & alibi: *Jupiter* ut tersti lumina sæpe manu, *Malum Infandum*, Terent. Qui *malum* alii. Virgil. Navibus *infandum* amissis.

6. Pronomen pro Conjunctione, ut *Id* pro *Ideo* in illis modis loquendi: *Id* venio, *Id* revertor, *Id* quod erat: in quibus tamen nos potius censemus esse Eclipsin Præpositionis, *Ob* vel *Propter*, ut infra dicemus. *Idem* pro Item, vel Etiam. Cic. 1. Offic. Ut ipse ad meam utilitatem semper cum Græcis Latina conjunxi, neque id in Philosophia solum, sed etiam in dicendi exercitatione feci, *idem* tibi censeo faciundum. Ibid. Est huic conjuncta beneficentia, quam eandem

dem vel benignitatem, vel liberalitatem adpellare licet.

6. Verbum pro Nomine, Persius: *Scire* tuum nihil est. Id. Et nostrorum illud *vivere* triste. Et, *velle* suum cuique est. Et pro Participio. Virg. Magnum dat *ferre* talentum, pro ferendum. Id. dederatque comas *diffundere* ventis. Et -- ille suo moriens dat *habere* nepoti. Ulp. D. de inofficioso Test. Cum *obtinere* spem non haberent. Idem D. de Mon. & Honor. Jus non habet *intercedere*; Et D. Mandat. Consilium receperit *fraudare*.

7. Participium loco Nominis, ut apud Græcos crebro, *Mendentes*, *Venantes*, pro Mendicis & Venatoribus, Lucr. Id. 2. Æriasque simul volucres *variantibus* armis, id est, variis. Virg. 4. Æn. *Candentis* vaccæ media inter cornua fundit. pro Candidæ. Et 6. Quam super haud ullæ poterunt impune *volantes* Tendere iter pennis, id est, Volucres? Id. 8. Pictis *conspectus* in armis, pro Conspicuus. Et pro Adverbio, *Horrendum*, pro Horrende. Id. --- At bellua Lernæ *Horrendum* stridens. *Lubens* pro Lubenter, Plaut. Duorum labori hominum parsissem *lubens*.

8. Adverbium 1. pro Nomine, ut *Abunde*, *Large*, *Partim*; quæ Nominum vim quandoque habere infra dicemus. 2. Et pro Conjunctione, ut *Quando* pro Quoniam, *Nunc*, pro Sed ut apud Græcos νυν pro αλλα, Ter. in Adelph. Postremo *quando* conscia sum a me culpam hanc esse. *Procul*, Cic. 1. Div. Quæ quidem multo plura evenirent, si ad quietem integri iremus: *nunc* onusti cibo & vino confusa & perturbata cernimus.

& alibi sæpe. 3. Item loco Pronominis, ut *Illic*, pro Ille apud Comicos non raro. Plaut. in Asin. Metuo, ne *illic* observarit meæ falsæ fallaciæ. Ter. Quam *illic* qui petit, unde is sit thesaurus sibi 4. Et pro Præpositione fere apud Poetas, ut *Clanculum*, *Intus*, *Seorsum*, pro Clam, In, Sine. Terent. in Adelph. --- Postremum alii *clanculum* Patres, quæ faciunt. Lucr. 3. *Seorsum* corpore toto. Id. ibid. At neque *seorsum* oculi, neque nares, nec manus ipsa, Esse potest anima. 5. Sed & loco Provocabuli adverbium usurpatur; qua quidem permutatione optimi Auctores crebro utuntur. Cic. ad Atticum: Omnia consilia differs in id tempus, *cum* scierimus, quid actum sit. Id. ibid. Utinam illum diem videam, *cum* tibi gratias agam, pro Quo tempore, Quo die. Varr. 1. de R. R. Quibus teneat id, *qua* serpit. Ter. E Prædonibus, *unde* eam emerat. Virg. 5. Æn. Volucrem trajecto in fune columbam, *Quo* tendant ferrum, id est, in quam.

9. Præpositio pro Adverbio, ut *Ante*, *Circa*, *Circum*, *Coram*, *Clam*, *Extra*, *Juxta*, *Pone*, *Prope*, *Post*, *Super*, *Secus*, *Ultra* *Usque*: quæ vim Adverbii plerumque habere notissimum est.

1.. Conjunctio vice Adverbii, ut *Atque*, pro Statim, Mox. Plaut. in Bacch. Dum circumspecto *atque* ego tum lembum conspicor. Id. in Merc. Postquam illic, quod volui transegi, *atque* ego conspicor Navim ex Rhodo. Virg. 1. Georg. *Atque* illum in præceps prono rapit alveus amni. Gell. Hæc verba, ubi lecta sunt, *atque* ibi Taurus mihi. *Ergo*, *Igitur*, pro Tum, Inde, Postea. Virg. 6. Æn. *Ergo* iter inceptum peragunt,

gunt, fluvioque propinquant. Plaut. in Caf. Tecum loquar mox magis, cum otium *igitur* erit. Id. in Mostell. Miserum est opus *igitur*, demum fodere puteum, ubi sitis fauces tenet. Et in Amphitr. Sin aliter fient animati, neque dent, quæ petant. Sese *igitur* summa vi virisque eorum oppidum expugnascere. Terent. in Eun. Quid *igitur* faciam? *Quoniam* pro Postquam, Quum. Plaut. in Aulul. Is, *quoniam* moritur, ita avido ingenio fuit. Id. in Asin. Quid nunc, *quoniam* ambo, ut est lubitum, nos delusistis, datisne argentum? *Tamen* pro Tandem, Sallust. & Pacuvius apud Nonium, *Proinde* pro Perinde. Ter. in Phorm. *Proinde* expiscare quasi non nosses. Lucr. 3. Ossa dedit terræ *proinde* ac famul infimus esset. Sallust. in Jug. *Proinde* quasi injuriam facere, demum id esset imperio uti. Varro I. de Vita Popul. Rom. Duabus undulatis togis est opertum, *proinde* ut olim Reges nostri undolatas & prætextas togas soliti sint habere. Planc. Cic. Quod si *proinde*, ut ipse mereor, mihi successerit. Id. Ut *proinde* ad omnia paratus essem.

II. Species quoque Partium Orationis commutantur; & aliam vim atque potestatem adsumunt.

1. Sic Nomen primigenium pro suo Derivato, ut *Terra Græcia*, *Terra Italia*, *Terra Sicilia* apud Gellium. Ennius --- late *Saturnia* Terra. Id. O Terra *Thracia*, ubi liberi fanum. Lucr. 1. *Italiæ* Terræ oris a finibus ejus. Callistratus IC. Ut extra Terram *Italiam* decem annis relegetur. Virgil. *Troja* gaza per undas, pro Trojana, & *Dardana* suscitat arma. Id. Latitemque *Lyæum*, Et, Tempus & *Arcadii* memoranda referre Ma-

 gistri

giſtri, pro Arcadici. Varro 2. R. R. *Arcadii* Aſini. Id. ibid. Terna atque quaterna millia *Galliæ* ſuccidia habere; pro Gallicana. Sall. 4. Hiſt. Cum interim lumine etiam, tum incerto duæ *Galliæ* mulieres vonventum vitantes, ad menſtrua ſolvenda montem aſcendunt. Cato 4. Originum: Talione *vindicta* proximus congnatus ulciſcitur. Id. in l. Veturium: Aquam *Anienem* in ſacrarium inferre oportebat. Gell. 19. Molli quodam tempeſtatis *autumnæ* die, pro Autumnalis. Quibus gemina ſunt illa, quæ ab aliis uſurpantur, *Mare Oceanum*, *Pondo Libram*, *Pondo Unciam*, & *Rete Jaulum*.

2. Abſolutum pro Comparativo, Terent. Paullo qui eſt homo *tolerabilis*, pro tolerabilior, & pro Superlativo, ut in illo Virgilii notat Servius, Optime Grajugenum. Lucr. lib. 1. --- Omnium quæ clara clueret.

3. Rurſus Comparativum pro Abſoluto, Virg. 1. Æn. *Triſtior* & lacrumis oculos ſuffuſa nitentes. Idem: --- comitem *ſeqioris* Aceſtæ, pro Senis. Quæ permutationes etiam in Adverbiis frequentantur, ut *Cito*, pro Citius. Plaut. in Amphitr. confit *cito*, quam ſi tu objicias formicis papaverem. Id. in Capt. Nec quicquam eſt mihi nunc *æque* melius, cui velim: Ter. in Heaut. Cui *æque* audiſti commodius quidquam eveniſſe.

4. Diſtributivum Numeri pro Principali, ut *Singulus*, *Binus*, *Ternus*, *Denus*, pro Unus, Duo, Tres, Decem, & ſic deinceps in utroque Numero apud Poetas, ſed apud Oratores & Hiſtori-

ſtoricos fere ſemper in Plurali: cujus rei paſſim reperiuntur Exempla.

5. Item Partitivum pro Principali, ut *Unus & Alter*, pro Duobus. Cic. ad Att. Quid enim eſt tantum in *uno* aut *altero* die, id eſt, uno, aut duobus. Id. pro Cluentio: Qui eum ad *unum* jam & *alterum* diem deſideraretur.

6. Pronomem *Suus* pro Ejus, vel Ipſius, quod tamen durum eſt & inſolens: Terent. in Hec. Mater quod ſuaſit *ſua* Virgil. 4. Æn. Tum breviter Barcen nutricem affata Sichæi; Namque *ſuam* patria antiqua cinis ater habebat. Cic. 4. ad Att. Vix tamen *ſibi* de mea voluntate conceſſum eſt, pro ipſi, vel illi.

7. Verba abſoluta pro Agentibus, & contra agentia pro Abſolutis interdum a Veteribus uſurpari ſolent, ut *Contendo*, Lucr. 4. *Contendere* ſe atque parare. Id. ib. Ejicere id quo ſe *contendat* dira libido. *Emergo*, Cic. de Aruſp. Reſp. Tum ſe *emergit* & fertur illuc. Nepos in Vita Attic. Quibus ex malis ut ſe *emerſerat*. *Erumpo*, *Irrumpo*, *Prorumpo*, Attius in Epigono: Ita imperitus ſtupiditate *erumpit* ſe. Varro in Marcipore: Ventique frigido ſe ab axe *eruperant*. Id. Sexageſi: *Irrumpit* ſe in Curiam. Cæſ. 2. de B. C. Portis ſe foras *erumpunt*. Virgil. 1. Georgic. Aut ubi ſub lucem denſa inter nubila ſeſe Diverſi *erumpunt* radii. Et 3. Æn. Interdumque atram *prorumpit* ad æthera nubem. Lucr. 4. Tandem ubi ſe *erupit*. *Proruo*, *Strepo*, Ter. in Eun. Una omnes foras ſe *proruunt*. Varro in Octogeſi: Seque opifice non probiter *ſtrepere*. *Reſono*, *Requieſco*, Virg. 7. Æn. Dives in acceſſos ubi Solis

filia lucos adsiduo *resonat* cantu. Et in Bucolicis: & mutata suos *requierunt* flumina cursus. Rursus Agentia pro Absolutis per Ellipsin Pronominis, vel pro Verbis Patiendi, ut *Accingo*, *Averto*, Virg. 2. Æn. *Accingunt* omnes operi, pro Accingunt se, vel Accinguntur. Id. Tum prora *avertit*. *Æquo*, Cic. 1. Offic. Qui jam illis *æquarunt*. *Ingemino*, Virgil. *Ingeminant* austri & densissimus imber. *Insinuo*, Id. Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis *Insinuat* pavor. Cic. 1. de Orat. Quod ita nati essemus, ut & blandiri & suppliciter *insinuare* iis possemus, a quibus esset petendum. Id. ad Nigidium: Et in ipsius consuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clausit, *insinuabo*. *Lenio*, Sallust 4. Historiar. Tum repente visus *lenire* Tagus. *Moveo*, Suet. Quatinus terra in urbe *movisset*. Gellius 2. Ubi terram *movisse* senserant. *Muto*, Cic. 13. ad Attic. De Mamorra non *mutavit*. Catullus: Tantum abhorret ac *mutat*. Liv. 49. Mores quidem populi Romani quantum *mutaverint*, vel hic dies argumento erit. *Præcipito*, *Reciproco*, Id. Non septies die, sicuti fama fert, temporibus statutis *reciprocat*. Et 2. Secuti dedita opera passim ad illecebras propulsa pecora *præcipitavere* in insidias. Cic. Loca, ubi Nilus *præcipitat* ex altissimis montibus. Cæs. Hiems jam *præcipitaverat*. Virg. Tum nox humida cœlo *Præcipitat*. *Sisto*, Id. *Sistunt* amnes, terræque dehiscunt. *Turbo*, Idem: *Turbant* trepida ostia Nili. Varro 3. de R. R. Cum mare *turbaret*. Lucr. 5. Sinit incertis *turbare* procellis. *Verto*, *Converto*, Sallust. in Catil. In superbiam dominationemque *convertit*. Id ib. Næ

ista

ista vobis mansuetudo & misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam *vertat*. Et alibi sæpius. Cæs. 3. B. C. Detrimentum in bonum *verterat*. Virgil. 2. Georgic. Et totæ solidam in glaciem *vertere* lacunæ. Liv. 39. Hæc in perniciem adolescenti *verterunt*. Id. *Verteratque* Scipionum invidia in Prætorem. Item Verba Frequentativa pro suis Primigeniis non raro Veteres, ut Cato: *Dolito*, *Emtito*, *Redemtito*, *Callesco*; Sallust. *Agito*; *Ducto*: Lucretius, *Capto*, *Discrepito*, *Fugito*, *Imperito*, *Negito*, *Nominito*, *Remuto*; Gellius *Solito*, *Mutuito*, Antiquo ritu *mutuitarent*, id est, Mutua inter sese Convivia agitarent, & alii alia, usurpant, quæ unicuique, qui vel mediocriter antiquos Scriptores triverit, obviam occurrunt.

8. Participia Agentia pro Patiendi, ut *Vehens* pro Vectus, Gellius: Qui ovaret introire solitos equo *vehentes*. Contra Patiendi pro Agentibus, ut quæ vulgo sunt notissima: *Consideratus*, *Inconsideratus*, *Contentus*, *Disertus*, *Discretus*, *Juratus*, *Inveteratus*, *Profusus*, *Tacitus*, aliaque permulta. Similiter *Captatus*, *Fluctuatus*, pro Captavit, Fluctuavit. Liv. 44. Celtiberi parumper incertis animis *fluctuati* sunt. Valer. Max. Spreto mortali habitu divinum *captatus* est. Id. 9. Exiguo momento maximæ rei *fluctuatus* est. Id. ib. Eadem hæsitatione P. Dolabellæ animus *fluctuatus* est. *Comunicatus*, *Census*, Ovid. I. Eleg. Hanc probat & primis dilectam semper ab annis est inter comites Marcia *censa* suos. Liv. 4. Nec adversarum rerum quærere socios, cum quibus spem integram *communicati* non sint. *Desitus*, *Medi-*

tatus, Cic. ad Pætum: Primus Papisius est vocari *desitus*. Et 3. Tusc. Semper omnia homini humana *meditata*. Ter. in Phorm. *Meditata* mihi sunt omnia. *Notus*, *Ignotus*, pro eo, qui novit, aut ignorat, non qui ignoratur. Plaut. in Pseud. Novi *notis* prædicas. Cic. pro Cœlio: *Notis* ac majoribus natu. Id. ad Lucejum: *Ignotis* nota faciebant. *Objurgatus*, *Penetratus*, Cælius ad Ciceronem: Curionem prorsus non mediocriter *objurgatus*. Lucr. 4. Quæ *penetrata* duent sensum progignere acerbum. *Vulgatus*, *Usurpatus*, id. 5. Magnum *vulgata* per orbem. Vetus Poeta: *Usurpata* duplex cubile.

9. Adverbia quoque inter sese mutua vertunt, ut *Ne* pro Non, de quo ita Terentius Scaurus: *Ne* pro Non positum est apud antiquos, ut *ne* frendes porcos, qui fabam frendere non possunt, *Nesapus*, qui non sapit. Plaut. in Trin. Filiam meam tibi desponsatam esse audio, nisi tu *ne vis*. Ter. in Eun. Quid *ne* es alacris? Varro de R. R. Gentibus rotundis, *ne* magnis. *Quasi* pro Veluti, Quemadmodum. Ter. in Adelph. Ita vita est hominum, *quasi* cum ludas tesseris. Plaut. in Sticho: Fuit olim *quasi* ego sum senex, & ei filiæ duæ erant. *Quasi* nunc meæ sunt. *Tam* pro Valde, Plaut. Ferocem facit, quia te herus *tam* amat. Plin. 7. Oratores quidem ambo, sed *tam* dispari eventu. Vellejus 2. Annal. Nec minora consequi potuit; sed non *tam* concupivit. Paulus lib. 1. Sentent. Nisi aut manifesto circumscriptio, sit, aut *tam* negligenter in ea causa sint versati, Prætor interponere se non debet. *Ubi* pro Postquam, Quum, Terent. *Ubi* ea causa, Quam-

Quamobrem hæc faciunt, erit ademta, desinent. Virgil. Ille *ubi* nascentem maculis variaverit orbem. Id. *Ubi* cœlum condidit umbra Jupiter. *Ut* pro Ubi, ὅπου: & *Utcunque* pro Ubicunque. Catullus: *Ut* convenerat esse delicatos. Varro 1. de R. R. Alio loco *ut* feras. Virgil. 5. Æneid. Cæsis *ut* forte juvencis. Horat. 3. Carmin. *Utcunque* mecum vos eritis.

10. Præpositionum inter se commutatio frequentissima est, ut *Ad* & *Apud*, *Penes* & *Apud*, *Super* & *Supra*, & similium; quarum exempla passim exstant.

11. Conjunctiones item mutant, ut *Neque* pro Ne quidem. Cic. 1. ad Atticum: *Neque* hoc neglexi. Et 9. *Neque* ego aliter accepi. *Nisi* pro Sed Græcorum more sæpe utitur Cato de R. R. ut ibidem adnotavimus: sed & Terentius in Andria: nescio, *nisi* Deos fuisse iratos mihi scio. Et in Eun. Nequeo satis mirari, neque conjicere, *Nisi* quidquid est procul hinc libet prius quid sit sciscitari. Sallust. in Jug. *Nisi* tamen intelligo illum supra, quam ego sum, petere. Cic. 5. ad Att. *Nisi* tamen id erit mihi gratissimum. Et 11. *Nisi* illud quidem mutari non video posse. *Quin* pro Etiam. Ter. in Heaut. *Quin* mihi molestum est. Virg. 10. Æneid. *Quin* intra portas atque ipsis prœlia miscent Aggeribus murorum. *Vel* pro Etiam. Ter. in Eun. *Vel* rex mihi semper agebat gratias. Id. in Andr. *Vel* hoc quis non credat. Cic. Varroni: *Vel* aliæ quæpiam rationes honestas nobis & curas & actiones darent. Virg. in Bucol. Carmina *vel* Cœlo possunt deducere lunam.

nam. Id. 10. Æn. *Vel* Priamo miseranda manus.

CAPUT II.

De Permutatione Casuum, Numerorum, & Generum.

FRequentissima est in oratione casuum, numerorum, &. generum inter sese permutatio, qua tam oratores, & historici, quam Poetæ utuntur.

I. NOMINATIVUS.

1. pro genitivo; 1. Cic. *Consules* alter ambove. Sallust. in Catil. Igitur initio *Reges* (nam in terris nomen imperii id primum fuit) diversi pars ingenium, alii corpus exercebant. Liv. 41. Quando duo ordinarii *Consules* ejus anni alter ferro, alter morbo periisset; pro Regum, & duorum Consulum. Et

2. Pro accusativo, sed fere post verbum Dico, Puto, Sentio, aut simile. Ter. in Andr. Quæ sese optavit inhoneste hic parare divitias, Quam in patria honeste *pauper* vivere. Catullus, Phaselus ille, quem videtis, hospites, Ait, fuisse navium *celerrimus*. Virg. 2. Æn. sensit medios *delapsus* in hostes. Hor. *Patiens* vocari Cæsaris *ultor*. Ovid. 1. Eleg. Acceptum refero versibus esse *nocens*. Item

3. Pro vocativo apud Poetas. Lucr. 1. Quod super-

supereſt vacuas aures mihi *Memmias*, & te Semotum a curis adhibe veram ad rationem, pro Memmi. Virg. Projice tela manu sanguis *meus*, pro Mi. Idem: Armiger Heſperidum *fluvius* regnator aquarum, pro fluvie. Perſ. Vos o *Patricius* ſanguis, id eſt, Patricie.

2. Genitivus 1. pro nominativo, Ter. in And. Quot illic *hominum* litigant; pro quot homines. Id. in Phorm. Ubi in mentem ejus *adventi* venit. Virg. 1. Æn. Tu mihi quodcunque hoc *regni*; pro hoc regnum. Et 2. pro accuſativo ibidem, Fontem ſuperare *Timavi*, &, Hic tamen ille urbem *Patavi*.

3. Dativus pro accuſativo maxime cum Infinito Eſſe. Terent. Non expedit *bonis* eſſe *nobis*. Horat. in Arte Poet. melioribus eſſe *poetis* Non Dii, non homines, non conceſſere columnæ. Brut. ad Cic. Et quis ſupplicat, ut optime *meritis* liceat eſſe *ſalvis*. Martialis: nobis non licet eſſe tam diſertis.

4. Accusativus (α) pro nominativo, more Græcorum. Ter. Obſerves *filium* quid agat; pro obſerves, quid filius agat. Id. *Illum*, ut vivat, optant. Et, *Eunuchum*, quem dediſti nobis, quas turbas dedit. Plaut. in Amphitr. *Naucratem*, quem convenire volui, in navi non erat. Cic. Sulpicio: *Rem* vides, quo modo ſe habeat. Id. ad Att. 16. Noſti *virum* quam rectus. Cæſ. 1. B. G. *Rem frumentariam* ut ſatis commode ſupportari poſſet, timebant. Idem accuſativus (β) pro ablativo. Plaut. in Rud. Vos reſpondetote iſtinc iſtarum vicem. *Bonam*, *magnam*, *minimam partem*, pro bona, magna, minima ex parte. Lucret. 3. Non mi-

minimam partem mortis formidine aluntur. Id. 6. Inde *bonam partem* in lectum mœrore dabantur. Cæs. I. B. G. Eos impeditos & inopinantes aggressus *magnam partem* concidit. Et 4. *Maximam partem* lacte atque pecore vivunt. Cic. 1. Off. *Magnam* autem *partem* clementi castigatione licet uti. Id. ad Pœtum; mihi licere has res non omnino quidem, sed *magnam partem* relinquere.

5. VOCATIVUS pro nominativo apud Poetas. Virg. 9. Æn. *Macte* nova virtute puer, pro mactus. Id. 10. *miserande* jaceres. Persius: stemmate quod Tusco tantum *millesime* ducis, Censoremve tuum vel quod *trabeate* salutas; pro millesimus & trabeatus.

6. ABLATIVUS (*a*) pro genitivo; Virg. *Iniquo pondere* rastros, pro iniqui ponderis. Id. *Lento robore* vallos. (*b*) Et pro Dativo, id. Tyria *Carthagine* qui nunc Expectat. Cic. in Phil. Cum tu *Narbone* mensas hospitum convomeres. Id. de N. D. Sepultus esse dicitur *Lacedæmone*. Et ad Sulpitium: commendo tibi domum ejus, quæ est *Sicyone*.

II. Numeri etiam mutantur, ut

1. SINGULARIS cum plurali. Ter. *Cujus* maxime mos est consimilis vestrum, hi se ad vos applicant. Idem: Addeon' homines immutarier ex amore, ut non cognoscas *eundem* esse, pro eosdem. Cic. ad Cœl. Totum negotium non esse dignum viribus nostris, *qui* majora opera in Republica sustinere & possum & soleam. Sallust. in Catil. Interea servitia repudiabat, *cujus* initio ad eum magnæ copiæ conveniebant, pro quorum Varro 1. de R. R. Facilius enim eis, quam minore natu

natu sunt *dicto* obedientes. Id. Eos praeesse oportet, qui periti sunt rerum rusticarum, non solum enim debere imperare, sed etiam facere, ut *facientem* imitentur, pro facientes.

2. Rursus numerus Pluralis cum Singulari. Ter. in Eun. Eunuchum dixti velle te, quia solae *his* utantur Reginae. Cic. pro Mil. Si tempus est ullum jure hominis necandi, *quae multa* sunt, certe illud non modo justum, verum etiam necessarium. Id. 3. de leg. Tamen libertatem istam largior populo, ut & auctoritate *valeant* & *utantur* Bonis. Virg. 10. Æn. Fulmen erat, toto genitor *quae plurima* Caelo Dejicit in terras. Et maxime in illis particulis, quae numerum adsignificant, ut *Pars*, *Quisque*, *Uterque*. Ovid. *Pars* volucres *factae*. Id. *fugiuntque*. Penates *Quisque* suos. Liv. Suas *quisque abirent* domos: &, Ad se *quisque* omnia *trahant*. Rursus; *Uterque transfixus* duabus *haerentes* hastis moribundi ex equis *lapsi sunt*. Apul. 8. Sarcinulis *quisque* sumtis suam viam *capessunt*.

III. Generis autem Mutatio variis modis fit. Nam

1. interdum Genus aliud pro alio ponitur sine ullo respectu, & 1. Foemininum pro Neutro. Hor. Et mammae putres equina *quales* ubera, pro qualia. 2. Neutrum pro Masculino; Plaut. in Aulul. Coquus ille *nundinale* est. Id. in Capt. Fac *fidele* sis fideli. Et in Merc. Eamus intro, non *utibile* hic locus factus tuis. Ter. in Eun. Ego quoque una pereo, quod mihi *charius* est, pro qui mihi charior sum, ut inquit Donatus.

2. Aliquando Genus mutatur, cum fit relatio, non

non ad Nomen in Orationis ſerie collocatum, ſed ad aliquam Vocem ejuſdem Significationis, ut Generis diverſi; ut ſunt Animans Animal, *Arbos* Arbuſtum, *Fœtus* Fœtura. Lucret. 1. Creſcunt arbuſta & fœtus in tempora fundunt. Quod cibus in totas uſque ab radicibus imis. *Alvus* Alvearium, *Fluvius* & Flumen, Fimus & Stercus. Varro 1. de R. R. Sin cogare ſecundum *flumen* ædificare, curandum, ne adverſum *eum* ponas. Id. ib. Alteram enim in partem ferri oportet e villa novum *fimum*, ex altera veterem tolli quod eſt quam recens, quod confracuit melius. Et 3. Nec ſi ex alvo in alvum in eodem loco trajicias, negligenter faciendum, ſed ſi tranſituræ ſunt apes, ea apiaſtro perfricandum. *Pecora* pecudes, *ſpecus* ſpelunca. Ovid. Hoc *pecus* omne meum eſt, *multæ* ſtabulantur in antro. Id. Eſt *ſpecus* exoſus ſtructura pumicis aſper: non homini facilis, non *adeunda* feræ.

3. Nonnunquam mutatur Genus, cum duæ diſſimiles Voces in Oratione collocantur, quarum poſterior Genere non reſpondet, ſed ad Rem ſignificatam refertur. Ter. in Andr. Vbi illic eſt ſcelus, *qui* me perdidit. Id. in Eun. Vt illum Dii Deæque omnes ſenium perduint, *qui* me hodie remoratus eſt. Id. ib. Eas ſe perſonas non negat tranſtuliſſe in Eunuchum *ſuam*. Virg. Centauro invehitur *magna*. Ennius 10. Annal. Inſignita fere tum millia militum octo Duxit, *dilectos* bellum tolerare potentes. Salluſt. 5. Hiſtoriarum: Legiones *Valerianas* comperto lege Gabinia Bithyniam & Pontum Conſuli datam miſſos eſſe. Liv. *Samnitium* cæſi tria millia trecenti.

Cur-

Curtius: Duo millia crucibus affixi.

4 Præterea fit Generis mutatio, cum Relativum ad posterius Verbum refertur, ut, Sallust. in Catil. Est locus in *carcere*, *quod* Tullianum adpellant. Varro 1. de R. R. Videndum, ut sit de tenero ramo ex utraque Parte æquabiliter præcisum, *quas* alii clavolas, alii taleas adpellant. Cic. de leg. Tum domicilia conjuncta, *quas* Vrbes dicimus. Quinctil. Accentus, *quas* Græci prosodias vocant.

IV. Genvs & Nvmervs simul mutantur, Virg. Pars mersi tenuere ratem. Id. Hic manus ob patriam pugnando vulnera passi. Sallust. in Jug. Magna pars vulnerati, aut occisi. Liv. Maxima pars equitibus in flumen acti.

CAPUT III.

De Permutatione Temporum, & Modorum.

NEc minus frequens est optimis Auctoribus Temporum & Modorum Comutatio, quæ inter Verborum figuras quoque censetur.

I. 1. Ita Tempus Præsens pro præterito, Plaut. in Mostell. Eas quanti *destinat* pro destinavit. Virg. Et humo *fumat* Neptunia Troja. Cic. in Verr. 8. Timarchides *negat* esse ei periculum. Lucr. 5. Corpora nonnumquam posses utroque *videre*, pro vidisses.

2. Et pro Futuro maxime in Infinitivis. Virg. Pro-

Progeniem sed enim Trojano a sanguine *duci* audierat, pro ducendam esse.

3. Præteritum Perfectum pro Plusquam perfecto, Id. Nec *veni*, nisi Fata locum sedemque dedissent, pro venissem. Idem, & ni mea rura resistat, Jam flammæ *tulerint*, inimicus & *hauserit* ensis, pro tulissent, hausissent.

4. Et pro Futuro. Idem: Proh Iuppiter! ibit Hic ait, & nostris *illuserit* advena regnis, pro illudet.

II. Ex Modis.

1. Indicativus pro Quovis Alio sæpe ponitur. Plaut. in Aulul. Ne præsentiscat aurum, ubi *est* absconditum, pro sit. Id. ibid. Quæ mi' interbibere sola si vino *scatet*, pro scateat. Cic. 5. ad Att. Bono animo *es*, pro sis. Varro 1. de R. R. Sed bono animo *es*. Id. 3. Quatuor deinde *intromisit* in leporarium, brevi explerit, pro intromiserit.

2. Imperativus pro Indicativo. Virg. Nunc te marmoreum pro tempore fecimus; at tu si fœtura gregem suppleverit, aureus *esto*: pro eris.

3. Optativus pro Indicativo usurpatur non apud Latinos modo, sed etiam Græcos, ut ελθοι, pro ηλθεν, λαληστοι, pro ελαλησεν, & similia, quæ adnotavit Eostathius in Homerum. Varro 2. de R. R. Tantum enim *fefellerit*, pro fefellit.

4. Infinitivo pro Præterito Imperfecto indicativi Modi crebro utuntur Poætæ & Historici, & inprimis Sallustius, atque ejus imitator, Tacitus: sed & Oratores, ut Cic. in Verr. 4. *Ridere* convivæ, *machinari* ipse, pro ridebant, muchinabatur.

tur. Id. 1. Off. *Stomachari* Canius, sed quid faceret? & 4. ad Att. Ille vehemens *furere*; post hunc vero furorem nihil, nisi cædem inimicorum, *cogitare*, vicatim *ambire*, servis aperte spem libertatis *ostendere*.

CAPUT IV.

De Casibus cum Nominibus junctis præter vulgatum usum.

VEteres interdum Casus a communi Sermonis usu alienos Nominibus tribuunt,

1. sicuti Genitivum jungunt his, quæ vulgo Dativum habent, *Communis*, *Similis*, *Dissimilis*. Ter. in Hec. Et hæc communia *omnium*, quæ sunt patrum. Cic. 1. Off. Commune *animantium omnium* est conjunctionis appetitus. Id. in Acad. *Eorum* quatuor, quæ supra dixi, dissimile. Plaut. in Asin. Non similem *furis hujus*. Ter. in Eun. *Domini* similis es.

2. Item Genitivum habent, non semper Ablativum, *Anxius*, *Atrox*, *Firmatus*, *Promtus*, apud Sallustium. *Alienus*, Cic. 1. de Fin. Quis *alienum* putet esse ejus dignitatis, quam mihi quisque tribuit. Et de Univ. Naturam fugientem, & *ejus* copulationis *alienam*. Id. 1. Quæst. Acad. Et uno nomine omnia, quæ essent *aliena* firmæ & constantis orationis. Id. pro Cæc. *Alienum* caussæ. Sallust. in Catil. Neque *aliena* consilii. Lucr. 4. Nec tamen hæc ita sunt aliarum rerum *aliena*; &

3. Aut quia non veniunt omnino *aliena* salutis. Quod imitatus Tertullianus de Resurrectione Carnis: In re ergo *aliena* salutis. Et adversus Marcionem 4. Æternitatis *aliena*. *Dignus*, Plaut. in Trin. Non ego sum *dignus* salutis. Virgil. Descendam magnorum haud quaquam *indignus* avorum. Ovid. Militia est operis altera *digna* tui. Balbus Ciceroni: Suscipe curam & cogitationem *dignissimam* tuæ virtutis. Martianus Ictus. Ne aliquis pœnam patiatur *dignam* suæ personæ. *Falsus*, *Lassus*, Ter. in Eun. Ut *falsus* animi est. Plaut. in Cistell. Ita me amor *lassum* animi ludificat. *Fœcundus*, *Lætus*, Salluft. 2. Histor. Frugum pabulique *lætus* ager. Tac. 6. Annal. Genus *fœcundum* bonorum. Id. Annonæ *fœcunda*. *Ingens*, *Immodicus*, Salluft. 3. Histor. *Ingens* ipse virium atque animi. Id. *Immodicus* animi. Vellejus 1. Ipsi *modicus* virium. Tac. 1. Annal. Sed fœmina *ingens* animi. *Trepidus*, id. 6. Annal. *Trepidus* admirationis & metus. *Refertus*, *Completus*, *Vacuus*, Varro 6. de Vita Populi Rom. Quæ prius fuerunt hominum *referta*. Cic. pro Planc. Audieram *refertam* esse Græciam sceleratissimorum hominum ac nefariorum. Et pro lege Manil. *Referto* prædonum mari. Id. in Verr. *Completus* jam mercatorum carcer esset. Salluft. Ager aridus & *vacuus* frugum. *Plenus* Veteres Genitivo junxisse notavit Quinctilianus, etsi Cicero interdum etiam tribuit Ablativum. Ter. in Phorm. Vini *plenum*. Varro in Eumenidibus: ego autem, qui essem *plenus* vini, & veneris. Cic. in Orat. post Red. in Senat. Vini, somni, stupri, *plenus*. Id. 2. de Orat. Bonorum virorum *plenum* forum. Salluft. in Iug.

Quæ

Quæ gravia quamquam & flagitii *plena* erant. Virg. Quæ regio in terris nostri non *plena* laboris.

3. Dativum Casum habent *Bonus*, *Fæcundus*, Sallust. in Iug. *Bonus* pecori, arbori *infæcundus*. Tac. de Mor. German. Frugiferarum arborum impatiens, pecori *fæcunda*.

4. Accusativum (*a*) in vicem Genitivi, *Æmulus*, *Oblitus illud*. Sallust. 3. Histor. Facta Consultaque ejus quondam *æmulus* erat Attius: Mea fata in acie *obliti*. (*b*) Vel loco Ablativi, ut *opus* illam rem, Plaut. in Truc. Puero *opus* est cibum. Varro 1. de R. R. Centum jugeribus vinearum *opus* esse quindecim mancipia. Cic. ad Attic. Video mihi *opus* esse viaticum. Et ad Tiron. Omnia pollicitus est, quæ tibi essent *opus*. Quod etiam cum Nominativo jungitur. Id. 5. de Republ. Bono patrifamilias ratiocinandi quidam usus *opus* est. Et ad Curionem. Dum nobis & auctor *opus* est.

5. Ablativum Veteres tribuunt plurimis Nominibus, quibus nunc Genitivus servit, ut *Cupidus*, *Studiosus*. Plaut. in Pseud. Vino modo *cupidæ* estis. Id. in Mil. Qui nisi adulterio *studiosus*. *Feras*, Virgil. Illa *ferax* oleo est. *Expers*, Turpilius in Pedio: educta, ut par est, *expers* malitiis, metuens sui. Catullus de Coma Berenices: Virgo quondam fuit omnibus *expers*. Lucr. 2. Ipsa sua per se sponte omnia dis agere *expers*. Sallust. in Catil. Crudelitate fæneratorum plerique patria, sed omnes fama atque fortunis *expertes* sumus. Ablativum sine Præpositione habeat *Purus*, Horat. 2. Serm. & *purus* est vitio. *Alius*, et

Alius illo. Varro 2. de R. R. Est *aliud* melle propolis. Brutus & Cassius in Epistola ad Antonium: nos ab initio spectasse otium, nec quicquam *aliud* libertate communi quæsisse exitus declarat. Hor. Non putes *alium* sapiente bonoque beatum. Et: *alius* Lysippo duceret aera. Item: Qui species *alius* Vero. Apul. 3. Metam. Nullam *aliam* mea Eotide malle, Id. *Aliam* rem invidia nullam esse,

CAPUT V.

De Casibus cum verbis junctis præter vulgatum usum.

SImiliter antiqua consecutionis ratio a vulgata loquendi consuetudine mutat in Verbis, quibus alios & diversos Casus Veteres applicant.

1. Sic cum Genitivo jungunt Verba *Abundo*, *Careo*, *Egeo*, *Indigeo*. Lucil. 8. Satyrar. Quarum *abundemus* rerum, & quarum *indigeamus*. Ter. Quasi tu hujus *indigeas* patris. Id. in Heaut. Præterquam tui *carendum* quod erat. Cic. Quid est, quod in hac causâ defensionis *egeat*. Hor. *Eget* æris Cappadocum Rex. *Abstineo*, id *Abstineo* irarum, callidæque iræ: quod ad Græcorum imitationem est. *Adipiscor*, Tac. 6. Annal. Cum dominationis *adipisceretur*. *Adficior*, *Angor*, Plaut. in Epid. Absurde facis, qui *angas* te animi. Cic. in Verr. 4. *Angebatur* tamen animi necessario. Martianus Ictus. Ejusdem legis pœnæ *adficitur*. *Compleo*,

pleo, *Impleo*. Lucr. Et ararum *co pleverat* Urbes. Plaut. in Merc. *Impleantur* meæ fores elogiorum carbonibus. Id. in Menæch. Parasitus, qui me *implevit* flagitii & formidinis. Virg. 1. Æn. *Implentur* veteris Bacchi, pinguisque ferinæ. *Desipio*, *Discrucior*, Plaut. in Epidico: *Desipiebam* mentis, cum illas scriptas mittebam tibi. Id. in Aulul. *Discrucior* animi. *Fallo*, *Fallor*, Plaut. in Epid. Nec sermonis *fallebar* tamen. Lucr. 1. Nec me animi *fallit*, quam sint obscura. *Fastidio*, Plaut. in Aulul. *Fastidit* mei. Lucil. 7. Satyrar. Tristes, difficiles sumus, *fastidimus* Bonorum. *Levo*, *Liberor*, Liv. 21. *Levarunt* animum religionis. Ulp. Puto & de eo sensum casu, quo curæ & tutelæ *liberetur*.

2. Dativo junguntur & veteribus *Anteeo*, *Antecedo*, Plaut. in Amphitr. Virtus omnibus rebus *anteit* profecto. Cic. 1. Off. Quantum natura hominis pecudibus reliquisque bestiis *antecedat*. Paulus lib. 7. Quæstion. Proximus est, cui nemo *antecedit*. *Contineo*, *Comprehendo*, Varro 4. de L. L. Capitium ab eo, quod capiat pectus, id est, ut Antiqui dicebant, indutui comprehendat. Hermogenianus D. de Condit, & Demonstr. Pecuniam conditioni *comprehensam*. Callistratus D. Ex quib. Caus. major. &c. Quod ad eos pertinet, qui ei *continentur*. *Curo* cum significat Provideo, Obsecro, Plaut. in Trucul. Quia tuo & vestimento & cibo alienis rebus *curas*. Attius in Antigona: jam jam neque Dii regunt, Neque profecto Deum summus rex omnibus *curat*. Apul. 1. Apologiæ: Usque adeo rebus meis *curat*, & alibi sæpius. *Dissentio*, Quint. Huic opinioni neque omnino accedo,

neque plane *dissentio*. *Decet*, ut est apud Græcos πρέπει, Plaut. in Amphitr. Ornatum capiam, qui potis *decet*. Id. ib. Nostro generi non *decet*. Ter. in Adelph. Vt nobis *decet*. Et: ita nobis *decet*. Gellius 9. Quam ætati ejus *decebat*. *Instruo*, Sallust. 2. Historiar. Antequam regressus Sertorius *instrueret* pugnæ suos. *Invado*, Varro 4. de Vita Populi Rom. Tanta porro *invasit* cupiditas honorum plerisque. Cic. ad Tironem: Sed mirus *invaserat* furor non solum improbis, sed etiam his, qui Boni habentur. Plaut. in Epid. Lassitudine *invaserunt* misero in genua flemina. Cæcilius in Syracusis: Tanta huic *invasit* in corde indulcitas. *Moderor*, *Præstolor*, Sallust. in Catil. Cujus libido gentibus *moderatur*. Cic. pro Cælio: Quod & pudor tuus *moderatur* orationi meæ. Id. Orat. 1. in Catil. Qui tibi ad forum Aurelium *præstolarentur*.

3. Accusativum casum veteres addunt his verbis. *Adversor*, Sallust. lib. 5. Histor. Regem *adversabatur*. Tac. 1. Annal. Ambitionem Scriptoris facile *adverseris* Et 20. Vulgus *adversari* regem. It. 1. Histor. Infaustam adoptionem *adversantes*. *Adulor*, quod notavit Quinctilianus. Cic. 1. Off. Nec *adulari* nos sinamus. Tac. Tigillium, aut quem alium Potentium *adulatus* est. Val. Maximus: si Dionysium non *adulareris*, illa non esses. *Condono*, Plaut. in Rub. Mihi tribolum ob eam rem ne duis, *condono* te. Ter. in Phorm. Argentum quod habes, *condonamus* te. Afra. in Fratriis: id aurum me *condonat*. *Egeo*, *Indigeo*, Cato: vitio vertunt, quia multa *egeo*; at ego illis, quia nequeunt egere. Sall. in Jug. Pauca munimen-

menta *egebat*. Cic. in Læl. Nihil unquam omnino *indigere* amicos. *Fugor*, Ter. in Heaut. Hominis es frugi & temperantis *functus* officium: & in Phorm. *Functus est* adolescentes officium liberalis. Plaut. in Mostellar. Sine me alliatum *fungi* fortunas meas. Suet. in Aug. Qui suam vicem præsidendo *fungerentur*. Id. Senatoria munera *fungeretur*. *Ignosco*, Plaut. in Amphitr. Velantis manibus orant, *ignoscamus* peccatum suum. *Indulgeo*. Terent. in Eun. Nimis me *indulgeo*. Et in Heaut. Te *indulgebant*. *Insulto*, Salluft. 1. Histor. Multos a pueritia bonos *insultaverat*. *Inservio*, Plaut. Unum me *inservire* amantem. Et: si illum *inservibis* solum. *Noceo*, Id. in Mil. Jura te non *nociturum esse* hominem neminem. Id. ib. Jura per Dianam & Matrem me *nociturum* neminem. *Obliviscor*, Cic. 1. ad Att. Suavissimam habui recordationem clarissimi jurisjurandi, quod ego non eram *oblitus*. Virg. 2. Æn. hinc jam *obliviscere* Grajos. *Potior*, Ter. in Adelph. patria *potitur* commoda. Idem: mille *potior* gaudia. Cic. 1. Officior. Clandestino introitu urbem *est potitus*. Id. 2. Tusc. Qu. Aliquam gentem nostram urbem *potituram* putem. Nepos de viris illustribus: qui summam Imperii *potirentur*. *Propinquo*, Salluft. 4. Historiar. Tum vero Bithyni *proquinquantes* amnem Tartanium. *Studeo*, Plaut. in Mil. Minus hos res *studeant*. *Vtor & Abutor*, Cato de R. R. Postea id *vtitor*. Terent. Mea bona *vtatur*. Id. in Prologis scribundis operam *abutitur*. Lucr. 6. Aliquid, quod non consuevimus, *uti*. Julianus JCtus D. Pro emto: si adversus petentem dominum *uti* cœperit exceptionem rei voluntate ejus venditæ.

Ulpianus D. Soluto Matrimonio: sed *abutitur dotem*.

4. Ablativum casum veteres jungunt verbo *Admisceo*. Cic. 2. de N. D. Multo calore *admixtus* Cæs. 3. B. C. Quod *admixtum* lacte multum inopiam levat. Lucr. 4. Ægre *admiscetur* muliebri semine semen. *Antefero*, Sallust. in Jug. *Fama*, *fide*, postremo omnibus suis rebus commodum regis *anteferret*. *Caveo*, *Vito*, Plautus in Bacchid. Omitte Lyde ac *cave* malo. Id. in Curcul. Proinde se domi contineant, *vitent* infortunio. Petron. in Satyr. Ponere jussit arma & malo *cavere*. *Facio*, Plaut. in Mil. Quid illa *faciemus* concubina, quæ domi est? Ter. in Eun. Quid illo *faciemus* stulto? Id. in Heaut. Quid illo *facias*? Nisi quis hic malit esse Ellipsin Præpositionis *Cum*, vel *De*.

5. Præterea apud veteres pleraque verba composita habent præpositionem nomini adjunctam, quam vulgo fere omittunt, ut *Aspicio*, Varro 2. de R. R. Simul *adspicit ad* me. Id. ib. Fundanius *adspicit ad* Scrofam. *Adeo*, Plaut. in Trin. Tu *ad* eum *adeas*. Id. in Menæch. *Adibo ad* hominem. Ter. in Andr. *Adeone ad* eum. Cic. pro Sex. Rosc. *Ad* Sullam Legati non *adierunt*. Id. in Verr. Cum *ad* Prætorem in jus *adissemus*, & alibi frequenter. Cæs. de B. G. Universi *ad* Cæsarem *adierunt*. Liv. Scriba *ad* Tribunos Plebis *adit*. *Aggredior*, Cic. pro Flacco: *Aggrediar* jam *ad* singulas civitates. Id. de Orat. Cum *ad* caussam sum *aggressus*. *Illudo*, Ter. in Eun. Ulciscar, ut ne impune *in* nos *illuseris*. Id. in Andr. Adeone videmur vobis esse idonei, *in* quibus sic *illudatis*.

datis. *Invado*, Cic. Qui *in* fortunas hujus *invaſerant*. *Viſo*, Plaut. in Capt. *Viſe ad* portum. Ter. in Hec. Noſtra ilicò it *viſere ad* eam. Id. ibid. Heri nemo voluit *viſentem ad* eam te intro admittere. Lucr. 6. Nam quicunque ſuos fugitabant *viſere ad* agros. Id. 5. *ad* hanc quia ſigna *reviſunt*. Gell. 2. Cum *ad* M. Frontonem conſularem pedibus ægrum *viſeret*. Et 13. *Reviſe ad* me.

6. Rurſus ſolent veteres interdum præpoſitionem, nomini detractam, verbo addere, ut *Adigere Arbitrum*, *Adigere Jusjurandum*, pro agere ad arbitrum, ad jusjurandum, frequentes locutiones apud Ciceronem & alios. *Impendet me*, pro in me pendet, Ter. in Phorm. Tanta *te impendent* mala. Lucil. Nunc ad te redeo; ut, quæ res *me impendet*, agatur. Lucr. 1. *impendent* ſaxa *mare*. Sic Cic. ad Att. Hic tibi *roſtra* Cato *advolat*. Cæſ. 6. de B. G. Ad eam regionem, quæ *Aduaticos adjacet*. Tac. 15. Annal. *Advoluit genua*; & alibi: *Aſſident mœnia*. Lucr. 3. Connexus *corpus adhæret*. Virg. 4. Georg. Frigidus ut quondam *ſilvas immurmurat* auſter. Ovid. 3. Metam. dextris *adducor littora* remis.

CA-

CAPUT VI.

De Participiorum, & Gerundiorum Usu antiquo.

PArticipiis & Gerundiis, ut vocant, nimium licenter contra vulgarem & tritum morem usi sunt majores.

1. Nam Participia quædam habuerunt loco Verborum infiniti Modi, ut *Dicturum*, *Facturum*, *Futurum*: Quæ ita usurpantur, ut apud Græcos omnibus numeris generibusque sine discrimine attribuuntur λέξειν, ποιήσειν, ἔσεσθαι & similia, de quibus Gellius lib. 1. Cato lib. 5. Originum: illi polliciti sese *facturum* omnia. Cic. in Verr. 5. Hanc sibi rem præsidio sperant *futurum*.

2. Quædam participia auferendi casu posuerunt; sed in neutro genere tantum. Sallust. 5. Historiar. At Lucullus *audito* Q. Marcium Regem proconsule, id est, cum audisset. Id. ib. Legiones Valerianas *comperto* lege Gabinia Bithyniam & Pontum Consuli datam, id est, cum comperisset. Cic. 2. Off. *Adjuncto* vero iidem etiam prudentes haberentur. Liv. 21. Satis *comperto* Ordiæam petituros Romanos. Tac. 1. Histor. Cæcinna *comperto* vanam esse formidinem. Paulus Quæst. lib.2. Non *dissimulato* se libertum esse.

3 Gerundiis in DUM itidem Græcorum imitatione & exemplo usos vidimus antiquos, non poetas modo, sed etiam alios scriptores. Varro 3. de R. R. Acus *substernendum* gallinis parturientibus.

bus. Id. ib. Eas haras *substernendum* palea. Id. Canes potius cum dignitate acres & paucos *habendum*. Et alibi: in fœtura *dandum* potius hordeaceos panes quam triticeos. Cic. ad Att. *Iterandum* eadem ista mihi. Idem de Sen. Sed *notandum* putavi libidinem. Et 3. Tusc. Qu. Iphigeniam Aulide duce *immolandum* jubet. Cæs. de B.G. Omnes cruciatus esse *perferendum*. Virg. 11. Æn. Pacem Trojano ab rege *petendum*. Lucr. Pœnas in morte *timendum*. Id. *Addendum* partis alias. Et id genus idem plurima.

4. Quin etiam frequens usus fuit apud veteres gerundiorum a patiendi significatione. Sallustius in Jug. Cum ad *imperandum* Tisdrum vocaretur, rursus cœpit flectere animum suum, id est, ut ei imperaretur, sive ad parendum, ut explicat Cicero in Epistola ad Pætum. Virg. Frigidus in pratis *cantando* rumpitur anguis; id est, dum ei cantatur. Id. uritque *videndo* Fœmina, pro dum videtur, &: ægrescitque *medendo*, id est, dum ei medetur.

C A P U T VII.

De Adverbiorum, & Præpositionum Structura.

1. ADverbia loci veteres cum genitivo jungunt, frequentius sane, quam vulgo notum. Sic *Inde loci* dixit Ennius 1. Annal. Constitit *Inde loci* propter sos dia dearum. Id. 10. *Inde*

Inde loci lituus sonitus effundit acutos. Lucil. 10. Satyrar. Multis *inde loci* sermonibus concelebrarunt. Lucret. 6. *Inde loci* mortalia secla creavit. *Interea loci*, Pacuvius in Chryse: *Interea loci* fluĉti flaccifcunt. Plaut. in Pseud. *Interea loci* si quid detur. Ter. in Eun. Te *Interea loci* cognovi. Et alibi. *Quo*, *Aliquo*, *Eo*, *Certo*, *Postea loci*. Sallust. in Jug. *Postea loci* Consul haud dubie jam victor pervenit in oppidum. Plaut. in Mostell. *Quo* venerim novi *loci*, Vlp. D. de Servis reportandis: si fuerit distractus servus, ne *aliquo loci* moraretur. Id. D. de Iudiciis: *Certo loci* administravit. *Huc*, *Longe*, *Proxime locorum*. Ter. in Andr. Commigravit *huc viciniæ*. Plaut. in Merc. *Proxime viciniæ* habitat. Cic. ad Att. Tu autem *longe gentium*. *Ubi loci*, *Ubi gentium*, *Ubinam gentium*, *Nusquam gentium*, quæ sunt notissima.

2. Et adverbia, quæ tempus significant, genitivo junguntur, ut *Tunc temporis*, *Pridie*, *Postridie ejus diei*: quæ postrema duo interdum accusativo juncta leguntur. Cic. 2. ad Att. Tu *pridie Compitalia* memento. Liv. Etiam *Postridie Idus* rebus divinis supersedere jussum est. Vlp. D. de Aqua quotidiana: si *pridie æquinoctium* autumnale. Id. D. de Soluto Matrim. Nam si mulier *pridie vindemias* doti dederit.

3. Item Adverbia, quæ vim Nominum quandoque habent, cum Genitivo sociantur, ut *Abunde*, *Large*. Virg. Terrorum & fraudis *abunde* est. Plaut. in Trucul. *Largiter* vini, & in Rudente: *Largiter* argenti, *Largiter* mercedis. Plancus in Orationibus: *Largiter* acerbitatis. *Partim* pro Qui-

dam

dam, ut *Partim* hominum venerunt, quod significat, *Pars hominum* venit, id est, Quidam homines, auctore Gellio. Enn. 23. Annal. Utrum negligentia *partim* Magistratuum, an avaritia, an calamitate populi Rom. evenisse dicam, nescio. Sallust. 3. Histor. Quorum alia toleravi, *partim* repuli Deorum auxiliis & virtute mea. De qua particula illud dignum observatione, eam aliquando citra geminationem usurpari. Cato de R. R. Bubulcis obsequitor *partim*, quo lubentius boves curent. Id. ib. Ulmos serito & *partim* populos. Sallust. in Jug. Urbes *partim* vi, alias voluntate imperio suo adjungit. Cic. 1. Off. Sunt enim quædam ita fœda, *partim* ita flagitiosa. Id. de Amic. Nihil est, quod illi non persequantur suis argutiis, *partim* fugiendas esse nimias amicitias, neque necesse sit unum sollicitum esse pro pluribus. Et de leg. Quorum scelere religiones tum prostratæ afflictæque sunt, *partim* ex illis distracti ac dissipati jacent: qui vero ex iis, &c. Id. 2. de Divin. A nobilissimis civibus, *partim* etiam a se omnibus rebus ornatis trucidatus jaceret. Lucr. 5. Humida saxa super viridi stillantia musco, & *partim* plano scatere atque erumpere campo. Et alibi id. *Tam* & *Quam* sola ex Adverbiis Veteres jungunt cum Superlativis, vel singulatim, vel junctim, ad æquationem, ut Servius ait, posita. Plaut. in Aulul. *Quam* ad probos propinquitate proxime te adjunxeris, *tam* optumum est. Ter. in Heaut. *Quam* in minima spe situs erit, *tam* facillime patris pacem in leges conficiet suas. Cato de R. R. *Quam* acerbissima olea oleum facies, *tam* oleum optimum erit.

Var-

Varro 3. de R. R. *Quam* pauciſſimos reliqueris, *tam* optimi in alendo fiunt. Salluſt. 1. Hiſtor. *Quam* quiſque peſſume facit, *tam* maxime tutus eſt. Cic. Cum quo ſemper *quam* familiariſſime vixerat.

4. Eſt interdum, maxime apud Comicos, ut Adverbia ſint loco Nominum appoſitorum: quod idem Græcis uſitatum. Sic Mulier *intus*, id eſt domeſtica, & quæ intus eſt, Plaut. in Merc. Id. in Amphitr. Tu Theſſala *intus* pateram proferto foras. Et in Bacch. Ego ibi argentum jubeo jam *intus* referri foras. Id. in Menæch. Evocate *intus* mihi cocum Cylindrum acturum foras. Varro in Satyris: Donec foras non *intus* evellaverunt. Quibus gemina & paria ſunt illa: *Parum* fides, id eſt Parva, *Satis* conſilium; otium, pro multo & abundanti. Ter. in Eun. & in Phorm. Itane *parum* mihi fidem eſſe apud te? Cic. 12. ad Att. Si *ſatis* conſilium quadam de re haberem; & 1. Rhet. Vix *ſatis* otium ſtudio ſuppeditare poſſumus. Julianus D. de Uſufructu: Cum *plus* pretium ſolvit ſervus.

5. Præpoſitioni *In*, ſive Motum denotet, ſive etiam ſine ulla Motus ſignificatione, Veteres Caſum Accuſandi, vel Auferendi indifferenter tribuunt, cujus rei Exempla in Notis ad Catonem plurima adduximus, quibus cumuli loco addi iſta poterunt Plaut. in Amphitr. Quid iſtuc *in* mentem eſt tibi. Id. ib. Numero mihi *in* mentem fuit. Et, Certum eſt introrumpam *in* ædibus. Id. Pergam *in* ædibus nunc. Varro 4. de L. L. Quo *in* Cœlio monte itur. Ter. in Eun. Videt me eſſe *in* tantum honorem. Id. in Adelph. Te plura

plura *in* hanc rem peccare. Cic. de Amic. Ut ab amic. Ut ab amicis *in* magnam rem aliquam peccantibus non discedat. Id pro Lege Manil. In Prædonum fuisse potestatem sciatis. Ulpianus D. de Jurejurando: Quasi ventris nomine fuerit *in* possessionem. Id. de Donation. inter Virum & Uxor. Finge *in* possessionem precariam mulierem remansisse. D. Julianus Qui Testamen. fac. Ac si ii, qui ea fecissent, *in* hostium potestate non pervenissent.

6. Similiter Præpositio *Sub* cum utroque Casu jungitur, aliter ac vulgo solet, ut *Sub* jugum & *Sub* jugo mittere. Liv. 3. *Sub* hoc jugo Dictator Æquos misit. Cæs. 1. de B. G. Et *sub* jugo missum. Id. 2. *Sub* occasu Solis. Plin. 8. Ideo *sub* ipsa die quam maxime invia petunt. Rursus: *Sub* conditionem datum legatum, *Sub* conditionem manumissum, & *sub* conditionem reddendarum rationum liber esse jussus, Jurisconsulti in libris Pandectarum.

CAPUT VIII.

De Commutatione simplicium, & junctarum Vocum.

1. SÆpe apud veteres Auctores, maxime Poetas, simplicia, quæ vocant, Verba pro Compositis ponuntur, veluti *Mentum*, *Miniscitur*, *Ventabant*, Commentum, Comminiscitur, Adventabant, observat Festus. *Tormentum*, id est, Detri-

trimentum, dixit Plaut. in Bacchid. Non Pelides *termento* fuit, *Paratus*, *Quæsitus*, pro Apparatus Exquæsitus. Salluſt. 2. Hiſtor. Epulæ *quæſitiſſimæ*. Et alibi; *Paratus* militum & armorum fuit. Ovid. 3. Triſt. Eſt opus exiguum, noſtriſque *paratibus* impar. Vellei. 2. Hiſtor. Adventus deinde in Italiam Antonii, *paratuſque* contra eum Cæſaris. Tac. 2. Annal. Ne domum, ſervitia, & ceteros fortunæ *paratus* repoſceret. *Clarare*, *Clinare*, pro Declarare, Inclinare, Lucretius & Cicero in Arato & in Prognoſticis, ut: Juppiter excelſa *clarabat* ſceptra columna. *Cedere* pro Accedere, aut Venire. Plaut. in Aulul. *Cedit* miles, æs pedit; vel pro Concedere. Propertius 1. Elegiar. Quippe ubi non liceat vacuos ſeducere ocellos, nec vigilare alio nomine *cedat* amor. *Ducere*, *Fundere*, pro Inducere, Perfundere. Tibull. --- Nec ſtragula picta ſoporem, nec ſonitus placida *ducere* poſſit aqua. Id. Mox etiam niveo *fundere* lacte parent. Et alibi: --- Multo tempore *funde* mero. *Fligo* pro Confligo, Attius, Lucretius. & alii: Unde *Flictus* apud Virgilium. *Munero*, *Pendo*, pro Remunero, Expendo, Plaut. in Capt. Ut beneficium benemerenti noſtro merito *muneres*. Ulpianus D. pro Socio; Eos duntaxat ſumtus ſocietati imputabit, qui in eam rem *penſi* ſunt. *Paret* pro Apparet, uſitatum in Formulis & frequens in lib. Juriſconſultorum. Cic. in Verr. 5. Si *paret* jugera fundi eſſe plura; &: ſi *paret* adverſus edictum feciſſe, & aliis locis plurimis. *Siſtere*, *Stinguere*, pro Conſiſtere, Exſtinguere: Lucr. 1. Ignis in cœtu *ſtingui* mutareque corpus. Id. ib. Nec mortale

genus,

genus, nec Divum corpora sancta, exiguum possent horai *sistere* tempus. Cic. in Arato: *stinguens* præclara insignia cæli. Id. in Verr. 5. Qui rempublicam *sistere* negat posse, ni ad equestrem ordinem judicia referantur. *Sector*, *Testor*, *Vagor*, pro Insector, Detestor, Pervagor, Propert. 2. Exagitet nostros manes, *sectetur* & umbras, insulterque rogis, calcet & ossa mea. Et: nec quia peccaris, *testor* te, sed quia vulgo formosis levitas semper amica fuit. Item: imo etiam prima terras ætate *vagata* est. *Tribuere* pro Distribuere, crebro apud Ciceronem.

2. Rursus Verbis Compositis frequenter Antiqui utuntur loco Simplicium. Sic *Adopinari Adcredere* Lucretius: *Adoro* pro Oro, Propert. Maneat sic semper *adoro*. *Instare*, *Incœnare*, *Inservare*, pro Stare, Cœnare, Servare, & quidem perseveranter & continue. Suetonius in Tiberio: *Instans* in medio Triclinio. Id ib. *Incœnante eo* complura & ingentia saxa, fortuitu superne delapsa sunt. Statius 8. Thebaidos: An tibi felices lucos miseratus Averni, Rector & Elysias dedit *inservare* volucres: *Remigrare*, *Reddere*, *Redire* pro Migrare, Dare & Ire, seu Venire, ut, *Redit* hæreditas, quæ lege & ab intestato obvenit. Plaut. in Pœn. Ad argumentum nunc vicissatim volo *remigrare*. Id. in Pseud. Hercle haud te sinam emoriri, nisi mi argentum *redditur*. Cato de R. R. Nunc ut ad rem *adeam*. Sallust. in Jugurth. Nunc ad institutum *redeo*.

CAPUT IX.

De iteratis, & geminatis Vocibus in Oratione.

1. SOlent Veteres in Oratione easdem Voces iterare sine aliqua Sensus necessitate, idque interdum paucis aliis interpositis, ut Ter. in Prol. Eun. Habeo alia multa, *quæ* nunc condonabitur, *Quæ* proferentur post. Plaut. in Aulul. *te* jam nisi reddi Mihi vasa jubes, pipulo hic differam *te* ante ædes: Id. in Capt. *Hinc* alio pacto abire *hinc* non potes. Virg. Inde domum si *forte* pedem, si *forte* tulissem, Me refero. Varro 4. de L. L. Virum fortissimum, Metium, *Curtium* Sabinum, cum Romulus cum suis & superiore parte impressionem fecisset, *Curtium* in lacum palustrem, qui tum fuit in foro, antequam cloacæ sunt factæ, secessisse, Ulpianus D. de extraordinariis Cognition. *Si* imprecatus est, *si*, ut vulgari verbo impostorum utar, *si* exorcizavit: Pomponius D. de Testamentis: Nam *etiam* compotibus mentis personales actiones *etiam* ignorantibus acquiruntur. Celsus D. de Legatis 3. At *eos*, quos quis repositos habet, ut quidam Bellis civilibus factitassent, *eos* legato contineri.

2. Interdum in sermone interrupto multis interjectis eadem Verba resumuntur. Cic. ad Brut. *Cave* enim existimes Brute, (quamquam non est necesse, ea, me ad te, quæ tibi nota sunt, scribere,) *cave* putes probitate, constantia, cura, studio

ſtudio Reipubl. quidquam illi eſſe ſimile . Virg. in Bucol· *Talis amor* Daphnim , qualis cum feſſa invencum Per nemora atque altos quærendo bucula lucos , Propter aquæ rivum viridi procumbit in herba Perdita , nec ſeræ meminit decedere nocti : *Talis amor* teneat . Ulpianus D. de adquir. Hæredit. Quæſitum eſt , *an* , licet quis paternæ hæreditatis nihil attingat , aliquid tamen propter patris voluntatem habeat , vel faciat , *an* creditoribus paternis cogatur reſpondere .

3. Aliquando non eadem Verba , ſed diverſa ab his , quæ præceſſerunt , & tamen ſignificatione paria , iterantur . Cic. 1. Tuſc: *Confirmato illo* , de quo ſi mortales animi ſunt , dubitare non poſſumus , cum tantus interitus in morte ſit , ut ne minima quidem ſuſpicio ſenſus relinquatur ; *hoc* igitur *probe ſtabilito & fixo* , illud excutiendum eſt . Scævola D. ad SC. Trebellian. Quæſitum eſt , *an* Septincio filio defuncto intra viceſimum annum ſine liberis , hoc fidei commiſſum *utrum* pro portionibus hæreditatis ad fratrem & ſororem ejus pertineat . Paulus D. de Jure Fiſci : Ejus bona , qui ſibi mortem conſcivit , non *ante* ad Fiſcum coguntur , quam *prius* conſtiterit .

4. Huc pertinet repetitio Antecedentis juncti cum Pronomine : qua antiqui & optimi Auctores crebro utuntur . Ter. in Heaut. Habet Bonorum *exemplum* , quo *exemplo* ſibi licere id facere , quod illi fecerunt , putat . Id. in Hec. Eodem ut *jure* uti ſenem Liceat , quo *jure* ſnm uſus adoleſcentior . Cic. in Verr. Advenit *dies* , quo *die* ex inſtituto . Cæſ. de B. G. Ultra eum *locum* , quo in *loco* Germani conſederant. Id. Erant omnino *iti-*

Proprium vero *nil neminem* habere. Varro 2. de Vita P. R. Quod a Rege munera eorum *noluerit nemo* accipere. Cic. 3. de Fin. Sed quanquam negent Stoici *nec* Virtutes *nec* Vitia crescere. Id 4. Quæst. Acad. Quod Bonum quale sit, *negat* omnino Epicurus sine voluptatibus sensum moventibus *nec* suspicari.

CAPUT X.

De Parelcis.

1. INterdum Voces quædam in Oratione abundant, & Elegantiæ tantum caussa, non necessario ponuntur, veluti *Homo*, *Mulier*, ut *Homo* Romanus dicit Cicero; *Homo* Italicus Varro; *Nemo* homo Plautus; *Mulier* meretrix idem & Terentius; *Nemo* quisquam, *Nemo* unus, Suet. in Ner. Quantos *nemini cuiquam* contigisse constat. Ter. in Eun. *Nemo* hercle *quisquam*. Et in Hec. *Nemo quisquam* illorum ad te venit. Cicero: *Nemo* de nobis *unus* excellat. Cæs. 3. de B. C. Ad *neminem unum* summa imperii. Liv. 1. Quia *nemo unus* satis dignus Regno visus est. *Omne quicquid*, Cic. in Verr. *Omnia quæcunque* Carpinates postulabat, facere & decernere solebat. Val. Max. 1. Concitato impetu *omne quicquid* obviam fuerat proferentem. *Omnes universi*, Apul. 7. Metam. Talibus dictis *universi omnes* assensere. *Res*, Varro 1. de R. R. Ad vasa olearia ac trapetas, quæ *Res* molæ oleariæ. Id. 2.

Scillæ medium conterunt cum aqua ad mellis crassitudinem, tum ea *re* naturam aquæ tangunt. Ulpianus D. Qui potiores in Pign. Veluti si navis fuit obligata, & ad armandam eam *rem*, vel reficiendam ego credidero.

2. Pronomina *Hic*, *Is*, etiam abundant, vel potius magis confirmant. Cic. in Acad. Iampridem ad *hunc* eum (ipsum me autem dicebat) quædam institui. Id. ad Fabium Gallum: Lex sumtuaria, quæ videtur Λιτοτητα attulisse, *ea* mihi fraudi fuit. Sallust in Catil. Sed urbana plebes, *ea* vero præceps erat. Similiter *Illud*, *Id*, Plaut. in Pseud. Tibicinam *illam*, tuus quam gnatus deperit, *Eam* circumducam lepide. Cic. pro Cœlio: *Illud* tempus ætatis, quod ipsum sua sponte infirmum aliorum lubidine infestum est, *id* hoc loco defendo. Id. ad Sulp. *Illud*, quod supra scripsi, *id* tibi confirmo. *Ille*, Ter. in Adel. *Ego*, *Ille* agrestis sævus. Virg. Multum *ille* & terris jactatus & alto. Id. Nunc dextra ingeminans ictus, nunc *ille* sinistra. *Mihi*, *Tibi*, *Sibi*, Cic. ad Varr. At *tibi* repente paucis post diebus. Catullus: mallem divitias *mihi* dedisses isti. Plaut. in Amphitr. Cum eo tu sermonem nec joco, nec serio *Tibi* habeas. Id. in Capt. suo *sibi* servit patri; &, Suo succo *sibi* vivunt. Apul. 7. Metam. Suis *sibi* gladiis obtruncatos relinquunt. *Me*, *Te*. *Se*, Ter. in Eun. Scin' *me*, in quibus sim gaudiis. Id. in Andr. Quæ *sese* inhoneste optavit parare hic divitias. Plaut. in Asin. Atque ego *me* id facere studeo. Sallust. in Catil. Omnes homines, qui *sese* student præstare.

3. Verba ut *Facio*, Cic. 5. Tusc. Anacharsis potuit

potuit pro nihilo pecuniam ducere, nostri Philosophi *facere* non potuerunt.

4. Adverbia ut *Rursum denuo*, *Repente subito*, *Satius potius*, *Propere ocyus*, *Post ibi*, *Ubi quando*, Plaut. *Nunc jam*, *Olim quondam*, *Hercle certe*, Ter. *Post inde* Ennius in Epicharmo: Sed *post Inde* venit divinatus pullis insinuans se Ipsa anima. Lucret. 1. *Post inde* per artus: *Tum porro*; Id. *Perinde quasi*, Cic. pro Mil. *Perinde quasi* Appius ille Cœcus viam munierit. Et pro Cluentio: *Perinde quasi* ego non ab initio hujus defensionis dixerim.

5. Præpositiones *Ab*, *Ad*, *Ex*, cum loci proprio nomini adjunguntur, Sallust. in Catil. Jam tum Brutus *ab* Roma aberat. Cic. in Verr. Eo die Verres *ad* Messanam venit. *Cum*, Ennius in Annal. Effundit voces proprio *cum* pectore sancto. Ter. in Adelph. Hæc tu facito, *cum* animo cogites. Sallust. in Iug. Anxius trahere *cum* animo suo. Catullus: Transfer omine *cum* bono limen aureolos pedes. Id. bona *cum* bona nubit alite virgo. Cic. II. Offic. *Cum* prima luce, quod Plautus & vetustiores, *cum* primo lucu. *In*, Terent. in Adelph. *In* eo me oblecto. Lucr. IV. Longo *in* spatio pertundere saxa.

6. Conjunctiores, *Etiam quoque* Plaut. in Amphitr. *Quoque &*, Virg. I. Æneid. Multa *quoque &* bello passus. *Ergo propterea*, Ter. in Hec. *Ergo propterea* te sedulo & moneo, & hortor. *Ergo igitur*, Apul. VII. *Ergo igitur* evocato statim dementario: *Quamvis licet* Cic. de Amicitia: *Quamvis licet* excellas. Lucr. VI. Proinde *licet quamvis* cœlum terramque reantur Interrupta fore.

CAPUT XI.

De Eclipticis.

RUrsus omittuntur voces fere omnis generis: & est hæc ellipsis frequens optimo cuique veterum Scriptorum.

1. Sic deest *Actio* in illis, Agere ad exhibendum, damni infecti, injuriarum; quæ in libris jurisconsultorum crebro occurrunt. *Ædis*, *Templum*, ut Ad Dianæ, Ad Vestæ. Ter. in Adelph. Ubi ad Dianæ veneris. Plaut. in Pœn. In Veneris. Cic. pro Mil. Cum falcibus ad Castoris, cum gladiis toto foro volitarunt. Id. ad Terentiam. Quemadmodum a Vestæ ad Tabulam Valeriam ducta esses. Hor. Ventum erat ad Vestæ. *Animus*, *Opinio*, Cic. III. Offic. Nec eum fefellit. Id. XIV. ad Att. Sed nos, ni me fallit, jacebimus. Varro II. de R.R. Tantum enim fefellerit. *Aqua* in illis locutionibus: *Calida*, *Frigida lavari*, *Frigidam*, *Calidam suffundere*. Seneca ad Lucil. Calida subinde suffusa paullatim defecit. *Causa*, *Gratia*, vel *Nomine*, ut apud Græcos *ἕνεκα*, frequentissime leguntur omissa, non apud Historicos modo & Oratores, sed etiam Iurisconsultos, quorum testimonia omnia his adscribere esset inutilis diligentiæ. Ter. in Adelph. Ne id adsentandi magis, quam quod gratum habeam, facere existimes. Sallust. in Catil. Quod initio conservandæ libertatis atque augendæ Reipublicæ fuerat. Id. I. Hist. Exercitum opprimendæ libertatis habet. Id. ib. Arma civilia cepit, legum ac libertatis subvertendæ.

dæ. Ulpianus D. ad leg. Iuliam de Adulteriis: Si quis evitandi criminis id egit, ut Reipublicæ causa abesset *Caro*, ut in illis, cum absolute usurpantur, Bubula, Suilla, Ovilla, Ferina. Virg. Implentur veteris Bacchi, pinguisque ferinæ. *Commune*, Sallust. in Catil. Alia omnia sibi cum collega ratus. *Divitiæ*, Cic. ad Nepotem: Qui habet, ultro appetitur; qui est pauper, ultro aspernatur. *Fabula*, ut prætexta, togata. Hor. Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas. Plin. VII. Qui primus togatas saltari instituit. *Febris*, ut tertiana, quartana. Suet. in Cæs. Quamquam morbo quartanæ aggravante. *Fides*, Ter. in Andr. Pro Deum atque hominum! Id. in Phorm. Pro Deum immortalium! *Homines* omittitur in tertia plurali verborum, cum de universitate loquimur, ut *Dicunt*, *Ferunt*, *Sunt*, & similia. Ter. Ita ajunt, &, ita prædicant. Varro IV. de L. L. Munitur opis causa, ubi sint. Id. ib. Speculum a speciendo, quod ibi spectant. *Iter*, ut, Abesse bidui, pro Bidui itinere. Cic. ad Attic. Cum in castra proficiscerer, a quibus aberam bidui. Cæs. VI. de B. G. Iamque ab eo non longius bidui aberant. *Lex*, ut titulo librorum Iuris ad Municipalem. *Lis*, cum dicitur Contra, vel Secundum aliquem dare. Suet. in Claud. Absentibus secundum præsentes dabat. Plin. VII. epist. Finem cognitioni quæstio imposuit, quæ secundum reos dedit. Tac. IV. Annal. Ita secundum Messenios datum. Quod integre dixit pro Rosc. Com. Quo minus secundum eos lis detur, non recusamus. *Ludi*, ut Circensibus, & Circensium die Suet. *Ordines*, Id. in Cæs. Sessum in quatuordecim

cim e scena . *Partes* , ut primas , secundas agere , ferre , tenere , Suet. in Calig. Plures secundarum certatim experimentum artis darent . Ter. Non posteriores feram . Cic. ad Att. Tibi primas defero . Id. in Orat. In Republica nostra primas eloquentiæ tenuerit semper , urbanis pacatisque rebus, secundas juris scientia. *Passus*, Cæs. de B.G. Hujus est loagitudo lateris , ut fert illorum opinio , septingentorum millium . Plin. VIII. Per centena millia & quinquaginta continuo cursu euntibus . *Pecunia* , ut crimen repetundarum , quod est de pecuniis repetundis , aliisque rebus vi , aut dolo per Romanos Magistratus a sociis extortis . Suet. in Cæs. Dolabellam consularem & triumphalem virum repetundarum postulavit . *Prædium* , *Villa* , ut in Pompejano , in Tusculano , per Varronis , per Locustæ apud Cic. ad Att. Ex vicini Vlpianus D. de Aqua pluvia arcenda . *Res* intelligitur in illa formula, qua in primo congressu veteres utebantur, Satin' salvæ ? Ter. in Eun. Quid trepidas , satin' salvæ ? Salluft. in Histor. lib. Percunctantibus utrinque Satin' salvæ ? Liv. Quærentique viro Satin' salvæ ? Minime inquit : & , Percunctatus Satin' salvæ ? Quod alibi integre dixit : Cum pater Satin' salvæ res interrogaret . *Sacrum* , Virg. in Bucol. Cum faciam vitula pro frugibus , ipse venito . *Servus* deest in talibus , A manu , a pedibus , ab epistolis , a libellis . *Tabulæ* exauditur , cum dicimus Duodecim , pro duodecim Tabulis legum Romanarum . Cic. II. de Leg. Discebamus pueri duodecim , ut carmen necessarium , quas jam nemo discit. *Tempus*, ut In præsens , Salluft. In præsenti Cicero & Livius ,

In

In hodiernum Scævola D. de Verb. Obligat. *Theatrum*, Plin. XXXVI. Nationes, quæ sunt circa Pompeji. *Tribus*, Cic. in Verr. Qui Verrem Romulia. Id. in Philipp. IX. Servius Sulpitius Q.F. Lemonia Rufus, id est, ex Romulia, Lemonia Tribu. *Verum*, *Vere* intelliguntur in illa formula assentiendi & confirmandi: est hoc, sunt ista. Ter. in Adelph. Nec nihil, nec omnia hæc sunt. Cic. de Amic. Sed nescio, quomodo hoc est, quod in Andria familiaris meus. Id. ib. Sunt ista Læli: & in Acad. Sunt, inquam, ista Varro. *Via*, ut Compendia, Recta. Ter. Cur non recta introisti. Varro in Sciamachia: Hoc dico compendiaria sine ulla sollicitudine ac molestia dicundi ad eamdem voluptatem posse perveniri. Sen. ad Lucil. Hanc atque compendiariam excogitavit: &, ad maximas te divitias compendiaria ducam. *Uxor*, ut Terentia Ciceronis, Marcia Catonis, Marcia Pompeji.

2. Pronomina quoque omissa sæpe animadvertimus, ut *Is*, *Ejus*, *Ei*. Plaut. in Amphitr. Quantusque amor siet, quod complacitum est semel; id est, *Ejus*, quod. Id. in Curcul. Ego illum reddidi, qui argentum a te attulit, pro ei, qui. Varro lib. de L.L. Quod ibi domus fuerit, cui cognomen fuit Marcellus, pro ejus, cui, *Ille*, *Illud*, Plaut. in Pers. Omnes res relictas habeo præ, quod tu velis, id est, præ illo, quod. Curt. Hæc vociferantem, quibus erat imperatum, jugulant, pro illi, quibus.

3. Item verba omittuntur, ut præter alia grammaticis notata, *Decere* vel *Oportere*. Ter. Tantam ne rem tam negligenter agere. Id. Sicci ne

me

me atque illam tua opera sollicitarier. Virg. Me ne incepto desistere victam? *Evenire*; ut in illa formula, qua veteres in consolatione utebantur: *Velim, quæ vellet*. Plaut. in Mostell. Velim, ut velles Tranio, id est, velim eveniant. *Invocare & Obsecrare* in precationibus, ut, tuam fidem venus noctuvigilia, Plaut. Hercules tuam fidem, Varro; &, Dii vostram fidem, in comœdiis frequenter. *Valere, Vivere*, Plaut. in Stich. Bene vos, Bene nos, Bene te, Bene me, intellige vivere precor. Tibull. Sed bene Messallam sua quisque ad pocula dicat.

4. Ex adverbiis desunt interdum structuræ orationis *Magis*, *Potius*: Idque Græcorum more, qui το μαλλον aliquando omittunt. Plaut. in Cas. Vt quod vir velit fieri, id facias, quam adversere contra. Id. in Menæch. Quia vidua vivam, quam tuos mores perferam. Et in Rud. Tacita mulier est bona, quam semper loquax. Ter. in Eun. Qui placere se studeat bonis, quam plurimis. Gell. II. Declinanda sensim & relinquenda esse dicunt, quam respuenda. Et Livius, Tacitus, Apulejus atque etiam JCti harum vocum eclipsi sæpe utuntur, quorum testimonia ab aliis adnotata nihil est necesse hic adferre. *Non* omittitur post non modo, id est, nedum. Cic. pro Sest. Qui non modo præcipitanti patriæ subvenirent, sed etiam nimis tarde concidisse mœrerent. It. Orat. II. in Rullum: Si non modo dena jugera dari vobis, sed ne constipari quidem tantum numerum hominum posse in Agrum Campanum intelligetis. Et I. de Orat. Neque solum inscientiam meam, sed ne rerum quidem magnitudinem

per-

perspicit. Id. X. ad Atticum: Regnum non modo Romano homini, sed ne Persæ quidem, tolerabile; & alibi sæpius, *Solum*, *Tantum*, Varro VII. de L. L. Neque a dissimilibus similia, sed etiam eadem. Cajus D. de Verbor. Signific. Armorum appellatio non utique Scuta, & Gladios & Galeas significat, sed & Fustes & Lapides. Marcianus D. de Pignorib. Sed & non solvendæ omnis pecuniæ causa, verum etiam de parte ejus.

5. Præpositiones autem crebro omittuntur, ut apud Poetas ante provinciarum & regionum nomina. *Ad*, Virg. Italiam fato profugus Lavinaque venit Littora. *E*, *Ex* in illis, quæ Græcorum more efferuntur. Vinum Chio, Lesbo, hospes Epheso, Vultur silvis; id est, Vinum Chium, Lesbium, Hospes Ephesius, Vultur silvestris. Ennius in Annal. Vulturius silvis miserum mandebat hemonem. Plaut. in Bacch. Epheso quos hopses debuit nostro seni: Id. in Merc. Video hic hospitem Zacyntho, *In*, ut id. in Curcul. Rogat quid veniam Cariam: & in Perf. Etetriam misit. Papinianus D. de Condit. & Demonstrat. Cum Asiam venisset. Apul. I. Metam. Macedoniam profectus. *Cum* omittitur, ubi denotat Comitatum. Varro in Sesquiulysse: Navibus duodecim domo profectum. Cic. in Philipp. ultima: His viginti cohortibus nullo equitatu conflixit. Liv. I. Egressus omnibus copiis. *De* intelligitur in talibus: Quid me fiet, Quid me futurum est, Quid illo faciam, apud Comicos. *Ob vel Propter*, ut Id huc revorti, uti me purgarem tibi. Plaut. in Amphitr. Nunc id prodeo, ut conveniam Parmenonem, Ter. Idem in Hec. Lætæ exclamant: Venit; id quod me repente

pente adſpexerant, ubi Donatus: deeſt propter, ut ſit propter id, ac per hoc, ideo, &c. Cic. ad Q. Fr. III. Id quod judices nullos habemus. Liv. XLI. Id quod erat vetuſta conjunctio cum Macedonibus. Varro V. de L. L. integre dixit: Id quod propter centuriata Comitia.

6. Conjunctionum eclipſis in Oratione frequentiſsima eſt, inprimis copulæ *Et*, ut Hac illæ, Surſum deorſum, velis nolis, quæ vulgo uſurpantur. Sic Præſente abſente, Juſta injuſta, Sex ſeptem, Ter. Terra mari, Factis dictis Cic. Dextra ſiniſtra Salluſt. Equis viris Liv. Intra extra Plin. Emtum venditum Juriſconſulti. *Etiam* deſideratur interdum poſt Sed, cum auget. Cic. in Lent. Omnibus negotiis non interfuit ſolum, ſed præfuit. Ulpianus D. de Senatoribus: liberos Senatorum accipere debemus, non tantum Senatorum Filios, verum omnes, qui geniti ex ipſis. *Quam* omittitur antecedente Plus, Amplius, Minus, vel Melius, Varro 1. de R. R. Neque enim ſi minus CCXX. jugera oliveti colas, id eſt, minus quam. Id. 2. Ne minus habeamus in centenas oves hirtas ſingulos homines, id eſt, minus, quam ſingulos homines. Et, non minores oportet inire bimas. Hor. Melius perſæpe togatæ. Catullus: namque amplius horam Suffixum in longa me memini eſſe cruce. Ter. Plus millies audivi. Liv. Hoſtium plus mille cæſi, Romanorum minus mille trecenti. Plin. 5. Torrentes vero amplius centum.

GA-

CASPAR BARTHIUS
IN SUO COMMENTARIO
IN CEIRIN VIRGILIANAM

AD vef. 141 *Olim diu*, duo funt Adverbia conjunctim pro uno pofita. Apulejus fæpiffime *Ergo igitur*, conjungit: *Curiofe fedulo*, Idem: *Illico prorfus*, Vincentius Lirinenfis; *Indubitanter liquido*, Optatus Afer; *Libenter libere*, Salvianus lib. II. ad Ecclefiam Catholicam: de qualibus in Indice Apulejano, σὺν Θεῷ uberius. Notavit alia hujus generis Frifiæ fuæ æternum decus, Nobilifsimus & Eruditifsimus AUSONIUS POPMA in aureolis libellis *de Ufu Antiquæ Locationis* (fupra lib. II. cap. 10. p. 832.) quos ego Elegantiæ veterioris Studiofis terendos tanquam digitos unguefque fuos arbitror.

AUCTORES VETERES
QVI IN HIS LIBRI LAUDATI VEL EMENDATI

AFranius Comicus.
L. Apulejus Madauret.
Arnobius Afer.
Attius Tragicus Poeta.
Cato Cenforinus,
C. Julius Cæfar,
Cæcilius Comicus.
Celfus Jurifconfultus.
Catullus Poeta.
Columella.
Ennius Poeta.
Horatius Flaccus.
Julianus Jurifconfultus.
Licinius Macer, Hiftoricus.
Livius Andronicus, Poeta.
T. Livius Hiftoricus.
Lucilius Satyricus.
Lucretius Carus Poeta.

Mar-

Marcianus Jurisconsultus.
Nævius Poeta.
Ovidius Naso.
Pacuvius Tragicus.
Plautus Comicus.
Plinius Secundus.
Pomponius Atellanarius.
Pomponius Jurisconsultus.
Priscianus Grammaticus.
Servius Honoratus Grammaticus.
Sosipater Charisius Grammaticus.
Sex Pompejus Festus.
M. Terentius Varro.
M. Tullius Cicero.
Q. Terentius Scaurus Grammaticus.
Turpilius Comicus.
Virgilius Maro.
Valerius Maximus.
Valerius Probus Grammaticus.
Velius Longus Grammaticus.
Vellejus Paterculus Hist.
Ulpianus Jurisconsultus.

RECENTIORUM NOMINA

QUORUM SCRIPTIS ADIUTI SUMUS

Adrianus Turnebus.
Aldus Manutius.
Antonius Augustinus.
Antonius Muretus.
Barnabas Brissonius.
Franciscus Dousa.
Franciscus Raphelengius.
Guilielmus Canterus.
Hadrianus Junius.
Jacobus Cujacius.
Janus Dousa.
Janus Gruteras.
Janus Gulielmus.
Josephus Scaliger.
Justus Lipsius.
Isaacus Casaubonus.
Joannes Meursius.
Joannes Fungerus.
Joannes Pontanus.
Obertus Gifanius.
Paulus Manutius.
Paulus Merula.
Petrus Faber.
Sibrandus Siccama.
Theodorus Canterus.
Thomas Linacer.

INDEX VERBORUM

Numerus Romanus Tomum II. indicat.

Con-

D

G

Gra-

In-

L

Mi-

Opor-

Pin-

Sa-

Ser-

T.

V.

Uni-

X.

Z.

DE

DE LATINITATE

MEDIÆ, ET INFIMÆ ÆTATIS

LIBER,

SIVE

ANTIBARBARVS

RECOGNITUS QUARTUM, ET PLURIBUS LOCIS AUCTVS



CHRISTOPHORO CELLARIO.

PRÆFATIO
EDITIONIS TERTIÆ.

Tertium nunc prodiit hic barbarismis oppositus libellus, in cujus secundam editionem, ante hos XIII. annos factam, ægre consentiebam. Postquam enim curis secundis retractaveram non nulla illius; easdem sufficere credebam, quæ meas de Latinitate cogitationes communi usui servarent, etiamsi prior libellus nunquam deinceps renovaretur. Sed aliter bibliopolæ visum fuit, qui istius quoque iterationem, tanquam a multis expetitam, ut impetraret, me rogare non destitit. Ad tertiam editionem me non minus difficilem habuit, non dum superioris consilii oblitum, ut per recognitas interea posteriores curas libellus ille, cui plenior, & , ut mihi videbatur, accuratior successisset, sensim, distractis exemplaribus, aboleretur. Rursus vir integerrimus, qui sumtum fecit, me etiam atque etiam rogavit, ut libellum hunc juventuti non inutilem, & in usum multorum, qui de formanda illa merentur, non sine fructu aliquo receptum, denuo refingi, & ulteriori usui committi non repugnarem. Cessi desiderio ejus, & librum retractare cœpi, multis locis auxi, deletis nonnullis meliora substitui: sed ita tamen temperavi omnia, ut formam is pristinam retineret, nec turbaret illos, qui prius vulgatis assidua tractatione adsueti forsan fuerant. Cetera, quæ reformari, aut augeri etiam poterant, aliunde velim, si opus est, lector

benevole, petas, in quo tibi non deerunt Posteriores meæ Curæ, nec quæ jam una prodit, Appendicis ad illas, sive ut alio nunc se titulo sistit, observationum singularium circa Latinam linguam, Discussio. Ibi invenies omnia, quæ adhuc disputata in hoc argumento fuere, cum sententiarum quoque & rationum utriusque partis non levi pensitatione. Tironibus sufficient, quæ parvis his rudimentis comprehenduntur, in quibus si rigidiora quædam inesse tibi videntur, consideres quæso, me illi ætati ea composuisse, cui nihil salubrius ad puram Latinitatem est quam angustiore spatio contineri. Dies postea & crescens judicium utique laxabit, si quæ constrictiora initio fuerunt: non autem primæ ætatis licentia corrigi, & in lineam, quam transiliit, revocari vel præceptis, vel exemplis facile potest. Vale, CIↃ IↃC XCV.



IM-

IMMERITO DAMNATA:

(Asterisco notata sunt posterioris aevi, nec ceteris aequiparanda)

Acceptum ferre *Val. Max.* 2.7.2. *Senec. Ep.* 78.
adolescentiari, *Varr. ap. Non.*
* additicius *D. lege* 98. §. 1. *de Verb. signif.*
* adversitas *Plin.* 11, 25.
aliquatenus *Mela* 1. 2. *Columell.* 4. 3.
allevamentum *Cic. pro Sulla c.* 23.
alta voce *Catull. carm.* 43. *Senec. Troad.* 197.
* bestialis *Prudent. Cathem.* 7. *v.* 153,
cardinalis (Adject.) *Vitruv.* 4. 6.
circumacto anno *Liv.* 6. 1, & 9. 18.
clamose *Quinctil.* 11. 3.
coacte *Gell.* 10. 11. & 19. 2.
coaequalis *Columell.* 8. 14. & *Petron.*
* coaetaneus *Apulei.* 8. *Tertull. adv. Valentinian,* c. 16,
* coaevus *Prudent. Cathem.* 12. *v.* 137.
conciliare aliqua *Cic. Rosc. Am.* 22.
confugium *Ovid.* 4. *Trist.* 5. *Stat.* 11. *Thebid.* 504.
consiliarii *Caes.* 1. *Civ.* 19. *Horat.* 3. *Oda* 3.
* consistorium *Ammian.* 14. 22. *Auson. Gratiano.*
consortium *Cels.* 7. 27. *Senec. Epist.* 90.
contemtus Subst. *Caes.* 2. *Gall.* 30. *Liv.* 6. 21.
contrario *Nepos Eumen.* 1. 5. *Cic. Univers.* 12.
conversari cum quo, *Colum.* 9. 11. *Senec. Ep.* 41.

Cicero pro Verbo habet simplex *versari cum quo*, Catil. 1. c. 5. pro Nomine *conversatio*, (quod Plinii est 10, 33. & Senecae Tranquill. 1.) *consuetudo* 13. Epist. 33. Ovid. 2. Pont. 5. v. 7. *usus*.

damnum pati *Liv.* 22. 41. *Senec.* 1. *de de Ira* 2. *Lucan.* 8. *i.* 75..

deceptio, *Vitruv.* 2. 8. *extr.*

deficior, defectus a um *Ovid. Heroid.* 5. *v.* 150. & 9. *Metam.* 154.

* deprædari *Juſtini*, *Apuleji*, *Juliani IC. infra p.* 117.

dormitorium *Plin.* 30. 6.

exacte, exactius *Mela* 1. 4. *Gell.* 1. 3.

explantare *Columella* 4. 14.

evaginare *Juſtin.* 1. 9.

facere bellum *Cic. Mil.* 23.

favorabiliter *Quinctil.* 4. 3.

ficticius *Plin.* 23. 1.

* figmentum *Gell.* 5. 12. *Apul.* 4. *Metam.*

fœmininus *Plin.* 24 16. *Quinctil.* 1. 4.

hodieque *Liv.* 1. 27.

hortamentum *Salluſt. Jug.* 98. *Silius* 5. 152.

hortulanus *Apulej.* 9.

hypocauſtum *Vitruv.* 5. 10. *Plin.* 2. *Epiſt.* 17.

* ignominioſe *Arnob.* 4. *Eutrop.* 4. 10.

immaculatus *Lucan.* 2. *extr.*

impatienter *Plin.* 2. *Epiſt.* 7.

impatientia *Plin.* 9. 16. *ſed addito Genitivo. vide p.* 154.

imperfecte *Gell.* 2. 8.

* impiiſſimus *Auſon. Gratiano.*

implere legem *Ovid.* 3. *Amor.* 1. *v.* 30.

* Rara hæc phraſis Latinis. Cave ergo, ne frequentiori uſu eccleſiæ potius, quam Latii ſermonem imitatus videaris.

imprecatio *Plin.* 5. 8. *Senec. Benef.* 6. 35.

inanimatus *Cic.* 2. *Nat. Deor. c.* 16.

injungere quid cui *Brutus Ciceroni* 11. *Epiſt.* 13.

Liv.

Liv. 3. 35. *Colum.* 11. 1.
inordinate *Celſ.* 3. 3. *extr.*
* inordinatio *Apulei.* *Aſclep.*
inſalutatus *Virg.* *Æn.* 9. 289.
intelligibilis *Seneca* *Epiſt.* 124.
internus *Seneca* *Quæſt.* *Nat.* 6. 24. & 27. *Plin.* 2. 68. & *forſan.* *ipſe* *Cic.* *Univerſ.* 16.
inverecunde *Senec.* *Epiſt.* 114.
irrationabilis *Celſ.* *præf.* 1. *Quinctil.* *Declam.* 9.
* irrationalis *Senec.* *Epiſt.* 71. *niſi* *forſan* *philoſophicum* *fuit.* *vid.* *pag.* 130.
Lacticinium *Apicius* 7. 11.
* licite, *Oroſ.* 6. 20,
* licito *Solin.* c. 11. (*aliis* 16.)
ligatura *Pallad.* 1. 6.
linea *pro* verſu *Apulei.* 3. *Philoſ.* *Plat.*
litteratura *pro* eruditione *Giſanius* *Obſerv.* *L.* *L.* p. 129. *vocat* verbum novum. *At* *ſic* *uſus* *eſt* *Cicero* *Phil.* 2. *cap.* 45.
manifeſtare *Ovid.* 13. *Metam.* 106.
memini *ſequente* Præterito. *Cic.* *Roſc.* *Am.* *cap.* 42. & *lib.* 13. *Epiſt.* 72.
* nigredo *Apul.* 2. *Metam.*
noviſſimus *Cic.* *Roſc.* *Com.* *cap.* 11. *Caſ.* *Gall.* 1. 23.
noviſſime *Plancus* *Ciceroni* 10. *Epiſt.* 24. & *Fl.* *Caper* & *Valer.* *Antias* *apud* *Chariſium.*
nutricius *Cæſar.* 3. *Civ.* *extr.* & *Adject.* *Colum.* 3. 13.
obiter *Aug.* *Cæſar.* *apud* *Chariſ.* *Item* *Plin.* *præf.* *Hiſt.* *Nat.* ut obiter caveam, & *lib.* 18. c. 10. major pars utitur rotis, quas aqua verſet obiter & molat. *Add.* *Seneca* 3. *de* *Ira* *cap.* 1.

oblivioni dare, tradere *Liv.* I. 31.
obnixe rogare *Seneca Epist.* 35.
* penultimus *Gell.* 4. 7. *videtur graumcticum esse.*
piissimus *Senec. Controv.* 27. *Curt.* 9. 6. *add. infra p.* 152.
pœnitendus *Liv.* I. 35. *Valer. Max.* 5. I. *Seneca Epist.* 23.
plures, *Cæs.* I. *Civ.* 79.
* populosus *Apulei.* 8. *Solin.* 65. *Prudent. XVIII. Martyr. v.* 61.
potentatus *Cæsar.* I. *Gall.* 31. *Liv.* 26. 36.
præsentaneus *i. e.* efficax, *Car. du Fresne Marcello Epirico*, & *Desiderio Episcopo vindicat. Antiquius est. Plin.* 20. 2. præseneaneum remedium; *Seneca Epist.* 95. boletus; *Suet. Ner.* 33. venenum.
prævalere *Liv. præf. Operis.*
proximare *Cic.* 2. *Nat. Deor. c.* 44.
* puritas *Pallad.* 11. 14.
revolutio *Augustin. C. D.* 22. 12. *quod quum jam tertia editione absolutus prope liber esset, inveni. Vid. p.* 93.
rorulentus *Plin.* 18. 31. & *Columell.* 5. 6.
sagittare *Curt.* 7. 5. *Justin.* 41. 2.
salvator *Inscriptio Trajano. vid. Cur. Poster.*
sapidus *Apicius* 6. 4. *Apulei.* 2. *Metam.*
sensus, *de verborum sententia*, *Phædrus* 4. *Fab.* 4. *Senec.* 4. *Controv.* 24.
* solstitium hibernum, *Columell.* 7. 3. *ceteri fere omnes non nisi unum solstitium agnoscunt. vid. Cur. Post.*
somnolentus *Apul.* I. *Metam. extr. Solin.* 33.

spon-

ſpontaneus *Senec. Epiſt.* 121.
* ſternutatio *Scribon. Larg. comp.* 10. & *Apul.* 9.
ſubaudire *Aſcon. Prat. Urb.*
* ſubjugare *Aſcon. c. l. ſi ſalvaſcriptum : ceteri auctores ſunt ævi poſterioris.*
* ſummitas *Pallad.* 1. 11.
ſuperciliofus *Seneca Epiſt.* 123.
ſuperfluus *Plin. Panegyr.* 82.
* ſuppedaneum *Inſcript. Grut. vid. Borrich.*
ſuſtentaculum *Tacit:* 2. *Hiſt.* 28.
transmutatio *Quinctilian.* 1. 5.
truncare *Livius* 31. 30.
vaticinium *Plin.* 7. 52. *Gell.* 16. 7.
* uniformis *Macrob.* 7. *Saturn.* 4. & 5.
* unire, *philoſophicum*, *Senec.* 2. *Quæſt. Nat.* 2.
voluptuoſus *Quinctil. Declam.* 260. *Plin. Epiſt.* 3. 19.
voracitas *Plin.* 2. 107. *Apul.* 7. *extr. Eutrop.* 7. 12.
vulgariter *Plin.* 8. 7. *Ciceronis locus incertior eſt, vide p.* 149.

DE VITIIS SERMONIS LATINI DIATRIBE.

CAPUT I.

De Vocibus nullius aut obscuræ auctoritatis.

COnjungo, quæ nullam auctoritatem habent, utpote barbaris sæculis in linguam introducta; & quæ habent quidem suos auctores, antequam Romana lingua exspiravit, sed, quod ad stilum pertinet, sub obscuros & in classicorum censu minime scribendos. Etenim, quæ hujus ordinis sunt, difficulter distinguuntur, quod sæpe vocem, quæ barbara putatur, apud ævi semibarbari scriptorem latitasse reperitur. In hac itaque classe junctim & barbara vocabula & semibarbara tractamus, quum pari cura atque studio Latinitatis puræ studiosis fugienda sint.

ABBREVIATURA librariis & scribis nota vox, pro qua Suetonius dixit Tit. cap. 3. *notis velocissime excipere*: & Cic. Att: 13. Epist. 32. διασημείων *scribere*.

ABOMINABILIS Ecclesiasticorum est. Hieronymus in Jerem. 22. de voce עריר, *LXX.* inquit, *& Theodotio abominabilem & abdicatum interpretati sunt.*

ſunt. Antiquiores dicunt *deteſtabilis*, *exſecrabilis*, *deteſtandus*, *abominandus*. Seneca de ira lib. 1. cap. 1. *deteſtabile vitium*. Plinius Paneg. cap. 34. *ſpectaculum exſecrabile*: & cap. 1. *deteſtanda avaritia*. Livius lib. 9. cap. 38. extr. *abominandam curiam facit*.

ABOMINATIO non melioris notæ eſt, quo ſæpe utitur Vulgatus Latinus pro *re deteſtabili* & *abominanda*. Vſus tamen & Lactantius eſt lib. 1. Inſtit. cap. 17. extremo.

ABSENTARE. Sidonius Apollinaris 9. Epiſt. 13. pro *abſens* dixit *abſentans*. Cod. Theod. l. 84. de Decurionibus, *quos crimen deſertionis abſentat*, i. e. abſentes reddit. Addit Cyprianum, ut antiquiorem, Joannes Savaro, Notis ad Apollinarem, ſed ſuppoſiticium librum eſſe de Singularitate Clericorum, dudum ſuboluit eruditis. Claudiani exemplum (3. Rapt. Proſerp. v. 214.) quod jactant Lexica, æque ſpurium eſſe, ſummus vir Nic. Heinſius oſtendit, qui de hoc verbo ita cenſet: ABSENTARE *Latinum eſſe non perſuadent nobis interpretes*.

ADOPTATIO. Latini *adoptionem* vocant. Plinius quidem & Gellius patroni advocantur, ſed illius meliores libri, quos nominamus in Notis noſtris ad Plinii Panegyr. cap. 5. eodem loco habent *pax & adoptio*, Gellii ſcripturam lib. 5. cap. 19. pariter ſuſpectam facit Voſsius de Vitiis Serm. lib. 3. cap. 1.

ÆQUANIMITER. Curis Secundis oſtendimus, hoc Adverbio Ammianum, Macrobium, Symmachum uſos eſſe, auctores non omnino contemnendos. Malunt puriores omnes *æquo animo*, *æquiſſimo animo*.

ÆTER-

ÆTERNALITER. Hymni Prudentiani recens additamentum

Tibi, Christe, sit cum Patre
Regnum æternaliter.

Latine dixeris *perpetuo*, *æternum*. An ex hoc censu in meliorem ÆTERNALIS adjectivum transferri possit, subdubito. Tertulliano quidem adversus Judæos cap. 6. est *lex æternalis*: & Venantio Fortunato lib. 10. carm. 10. *æternalis salus*; & inscriptio apud Grut. pag. 758. n. 3. SOMNO ÆTERNALI SACRUM FECER. at cum *Æternus* sufficiat ceteris omnibus nolim imitari, qui ex usitato adjectivum novum, & quidem ejusdem notionis, derivant, invita Latinorum Minerva. Minus placet ÆTERNABILIS, quod ex Cod. Theod. in Curis nostris Posterior. ostendimus.

AFFECTUOSUS. Macrob. 2. Saturn. cap. 11. *piam affectuosamque rem fecisse*: Cassiodorus lib. 5. epist. 2. *affectuosa salutatio*, id est, amoris plena. Idem 5. epist. 4. *dicere libere & affectuose*, id est amanter, affectu nimio. Usus & Tertullianus lib. 5. contr. Marc. cap. 14. *amore fraternitatis injicem affectuosi*.

AFFIRMATIVUS e philosophorum schola prodiit, eoque remittendum est. Cicero Top. cap. 11. *negantia*, inquit, *contraria ajentibus*.

ALBEDO. Sulpicius Severus Hist. 1. cap. 16. *Manna*, scribit, *glaciali albedine* fuisse. Apuleii quidem Apologia Scipio Gentilis edidit p. 249. *perniciosa albedo*, quod etiam Casaubonus probat: at, testante eodem Scipione, in pluribus libris legitur *dulcedo*, sicut etiam Elmenhorstius vulgavit. Plautus dixit *albitudo* Trinum, act. 4. sc. 2. *albor*

bor Scribonius Largus Composit. 24. & Palladius lib. 11. cap. 14. qui eodem loco etiam circumscribit *color albus*.

ALIQUALITER, hoc est quodammodo, aliquo modo. Aliter Plinius 26. cap. 10. *quadamtenus rubens*. Nec optimum videtur Adjectivum ALIQUALIS. Lexica sane vel ipsum, vel auctoritatem ejus prætermittunt.

AMICABILITER, amice. Alb. Aquensis lib. 6. cap. 55. *qui cum amicabiliter & pacifice compellarent*.

ANGUSTIARE, affligere, premere, *angstigen*. Albertus Aquensis lib. 2. cap. 30. *Ungaros non parce angustiant*; & lib. 6. cap. 55. *urbs angustiata* est obsidione compulsa ad deditionem. At ANGUSTARE antiquum & bonæ notæ. Seneca Tranq. anim. cap, 8. *angustanda sunt patrimonia*: & ad Helviam cap. 6. *angustare vim ejus*. Pomp. Mela lib. 3. cap. 1. *oris semet & terras angustantibus*, quasi in modum Isthmi.

ANIMALCULUM. Curis posterioribus notatum, *bestiolam* appellari a Cicerone & Columella. Addo Plinium 11. cap. 6. qui *aviditates bestiolarum* dixit: & 18. cap. 30. *ciceri tantum nullæ bestiolæ in horreis innascuntur*. Palladius lib. 1. cap. 19. *animalia* vocat, quæ acervis frumenti innascuntur bestiolæ.

ANIMITUS. Nonius hac voce explicat formam *Oculitus*, hodieque vulgare est *animitus precari*. Contra Cicero 4. epist. 11. *ob optimo fit animo*: item 13. epist. 27. *ex animo commendare*; adde *impense* faveo, *sincere* diligo, &c.

ANNIHILARE, in nihilum redigere. Hoc verbum

bum Glossaria habent: & Hieronymus epist. 135. etiam Jornandes Get. cap. 29. *rem publicam adnihilare*.

ANNULLARE, abolere, antiquare. Vulgatus interpres ecclesiast. 21. 5. & alibi usus est: & Hieronymus d. l.

ANTEMURALE. Vulgatus Thren. 2. comm. 8. Wilh. Tyrius 11. cap. 26. *oppido, muro, turribus, antemurali, & vallo diligenter communito*.

APPROPRIARE, rem propriam sibi facere, in suos usus & sua commoda convertere. Glossar. Lat. Græc. *appropriare*, νοσφίζειν.

APPROXIMARE, appropinquare. Simplex *Proximare* Ciceroni, Apulejo, Censorino non ignotum fuit, ut curis posteriorib. defendimus. Composito auctoritas deest, etiam inde deducto nomini *Approximatio*. Aquensis 11. cap. 20. *Turci comperta per exploratores illius approximatione*.

APTITUDO, hoc est, propensio, proclivitas, veteribus ignotum est. Tullius 1. de leg. cap. 9. *Omitto opportunitates habilitatesque reliqui corporis*. Ex quo non inepte *habilitatem* dicimus, quod vulgus *aptitudinem*. De composito *Ineptitudo* agemus infra.

ARMISTITIUM, induciæ, ficta vox ad formam Solstitium, Interstitium.

ASSISTENTIA male *auxilium præsentiæ* vocatur, verbi gratia, *Spiritus S. assistentia*, quod Germanismum redolet.

ASSUEFACTIO minus bene dicitur: *usus, exercitatio, consuetudo* rectissime. Cicero Rabir. Post. cap. 4. (etiam Plin. 1. epist. 20.) *usus magister est optimus*; & 2. Tusc. cap. 16. *ferre laborem*, con-

contemnere vulnus consuetudo docet ; & cap. 17. *consuetudinis magna vis est*.

AVGMENTARE falso tribuitur Ciceroni in multorum Dictionariis. Hic enim in de Senect. cap. 20. scripsit *coagmentavit*, non *augmentavit*. Apud Julium Firmicum (sed posterioris ævi scriptorem) est lib. 5. cap. 6. *thesauros augmentare*.

BALBVTIES frequens vox nostris declamatoribus, qua suam dicendi imperitiam excusant ; sed latinis inaudita. Cicero 3. Phil. cap. 6. id vitii appellat *hæsitantiam linguæ*.

BENEFACTOR. Defendit hanc vocem cum Scioppio Vorstius, uterque contra Vossium, & quidem ex analogia Plautina *malefactor* Bacchid. 3. act. 2. scen. Verum cum latinis scriptoribus ceteris nec *malefactor* in usu fuerit, minus inde defendi potest *benefactor*, sed illud in obsoletis Plauti relinquendum est ; hoc in novis & insolentibus ponendum, pro quo vel cum Græcis dices εὐεργέτης, vel cum latinis *beneficus*, *benemeritus*. Cic. 13. ep. 60. *Eum tibi ita commendo, ut homines grati & memores bene meritos de se commendare debent*. Jac. Sponius quidem Miscell. erud. antiq. sect. 8. ineunte Astensem inscriptionem adfert : C. IVL. CÆS. C. F. DE GALLIS ET ALLOBROGIBVS TRIVMPHATORI ASTENS. BENEFACTORI PIO IOVICTO DIVO &c. At quis novitatem non suspicit, cum nec *triumphatoris* vocabulum antiquissimum sit?

BENEPLACITUM Versionis vulgatæ est & ecclesiasticorum pro εὐδοκία. Quod barbare *ad beneplacitum*, id scite latine reddimus *jure meo*, *pro jure meo*, *tuo* &c. Cicero 3. Att. ep. 11. *Itineris nostri causa fuit, quod non habebam locum, ubi pro*

meo

meo jure diutius esse possem, quam in fundo Sicæ; adde Hadrian. Card. de serm. lat.

BESTIALITAS. Ita vocant vitiorum ultimum, quo humanitas exuitur; sed sine latini auctoris suffragio. Nec BESTIALIS probatur Vossio & Borrichio: at Prudentius Hymn. Jejun. *v.* 153.

Impexa villis virgo bestialibus.

BIBITIO sine exemplo dicitur, quod Plauto, Ciceroni aliisque est *potatio*, *perpotatio*, *potio*. I. Divin. cap. 51. *Si modo animus temperatis escis modicisque potionibus ita est affectus, ut sopito corpore ipse vigilet*. (alii legunt *potationibus*) In Pison. cap. 10. *intemperantissimæ perpotationes*.

BIBO, ONIS Subst. Ut ab *edere* ducitur *edo*, *onis*, sic volunt a *bibere* etiam *bibo*, *onis* derivare. Desunt exempla, nec soli *combibones* Lucilii rem conficiunt, quos Nonius interpretatur *compotores*. Plauto Menæch. 2. act. 1. sc. est *potator maximus*.

BIGAMVS & BIGAMIA hibridæ voces sunt, ex Græco, & Latino insolenter compositæ. Hieronymus I. adv. Iovinian. cap. 8. *Digamus* & *Digamia*: & cap. ult. *bimaritus*: & epist. 2. extrema, *viduam hortatur ut digama sit*.

BLASPHEMARE, pro *exsecrari*, ad imitationem Græci βλασφημεῖν factum, veteribus ignotum, Ecclesiasticis usitatissimum, v. g. Hieronym. epist. 59. cap. 4. *Origenes blasphemans de Filio sic locutus est*. Tolerabiliora BLASPHEMVS & BLASPHEMIA, utpote pure Græca, attamen nec aliis, quam ecclesiæ scriptoribus, probata.

BOATVS, mugitus.

BOVINVS, bubulus.

BREVIATOR. Orosius I. cap. 8. Iustinum adpellat *Pompeii breviatorem*. Ejusdem, aut deterioris notæ est ABBREVIATOR. Circumscribere malim, *qui opus in brevem summam colligit*, aut *contrahit*: aut simili modo.

BREVIS Substantive pro libello brevi, Lampridio, Vopisco, Hieronymo ad id ætatis scriptoribus dici, ostensum fuit Curis nostris posterioribus.

BRVTVM substantive, pro *bestia*, philosophici usus est, non antiqui Latini.

BVRGVS prolapsæ Latinitatis vocabulum, ex Græco forsan πύργος ductum. Vegetius eo usus est; atque etiam in Cod. leg. 6. de fundis rei privat. habetur, ut in iisdem curis nostris, verbis repetitis probavimus. Latini *vicum*, *castellum* dicunt.

CAMBIVM, collybus, commutatio pecuniæ. CAMBIRE habent quidem Apulejus, & Carisius: ab aliis vero, antiquis præsertim, in usum receptum non est.

CAPITANEVS, centurio, præfectus.

CAPTIVARE. Vulgatus interpres, & ecclesiastici non abhorrent ab hoc verbo, quod antiquiores respuunt, pro eoque dicunt *in custodiam tradere* Cic. Catil. 3. cap. 6. *captos tenere* cap. 7. *in vinculis habere* Sallust. Catil. cap. 51. *in custodiis tenere* idem cap. 50. Ejusdem census est Nomen CAPTIVATIO, quo barbari ævi scriptores passim utuntur. Aquensis lib. 1. cap. 13. de prœlio; *ad duo milliaria gravis occisio, & captivatio facta est*.

CARENTIA, id est, *inopia*, *absentia*, *vacuitas*, *vacatio*, barbarismus.

CAR-

GARMINICUS, CARMINICE. Dic *metricus*, *metrice*.

CARNALIS Ecclesiasticum est. Vide Curas Posterior.

CASUALITER. Sidon. Apollinaris 9. epist. 11. *quod si quid casualiter placet*. Latine *casu* & *fortuna*.

CERTITUDO. Aliquem locum huic voci, quamvis infimum inter Latinas, dedi curis posterioribus ed. primæ, adductus auctoritate qualicunque Ammiani Marcellini, in cujus 30. libro post principium, Gelenius, Sylburgius, Gruterus, Lindebruchius, & ipse Henr. Valesius (quamquam aliquid in Notis monuerat) ediderunt, *in cujus fidei certitudine mansit immobilis*. Jam mutuo sententiam, postquam Hadrianus Valesius emendatissime Ammianum edidit, ita ut ne vestigium relinqueret vocis *certitudine*, de quo olim Henricus frater notaverat, se non dubitare, quin ita Gelenius ex conjectura procuderit: nam nihil hujus vocis in MSis reperiri Quod Hadrianus etiam ex codice bibliothecæ Colbertinæ confirmat. Non ergo videmus, quo pacto *certitudo*, incertæ fidei vox, e numero barbararum posit eximi. Latina sunt *certum*, *certa* Plur. *certa rei ratio*, &c.

CESPITARE. Servii est *cespitator equus* (vel *incespitator*, nam variat scriptura) Æn. 11. v. 671. De Verbo nihil in ætate puriori visum auditumve fuit. Dicimus Latine *labi*, *offendere*.

CŒLICUS pro *cœlestis* nostri versificatores amant, cum *cœlica tecta*, *regna*, laudant. In usu Caroli M. ætate fuisse ex Theodulfo Aurelianensi ad Fabri & Buchn. Thesaur. probavimus: nesci-

mus autem, qui vel mediocriter antiqui & puri hoc verbo usi fuerint.

COADJUTOR suspecta vox, sicut multæ aliæ cum *co* vel *con* compositæ. Nec longius abest a barbarismo Verbum COADJUTO. Simplicia enim hic sufficiunt.

COGNOSCIBILE, quod cognosci potest, natum in scholis philosophorum.

COINCIDO verbum plebejorum usui relinquendum. Puris dixeris *simul incidere*, *concurrere*, *tantumdem valere*.

COLLATERALES, proximi, quorum alter claudit latus alterius, a latere oppositi.

COLLIMARE in frequenti hodie usu est: veteres omnes *collineare*. Provocatur quidem a multis ad Ciceronem, qui 2. Divin. cap. 54. scripserit: *quis est, qui totum diem jaculans non aliquando collimet?* sed meliores libri omnes etiam Palatini codices, habent *collineet*. Idem judicat Vossius de loco Gelliano 9. cap. 1. & Pricæus de Apuleii 9. extrem. qui pro *collimatis oculis* excusum vult *collineatis*.

COMBINARE Glossarium habet, & Sid. Apollinaris 9. epist. 8. *Obsequia*, inquit, *combinans numeris æquata, non meritis*. Antiquiorem, qui usus sit, non videmus. *Jungere* ergo & *connectere*, aut his similia præstat dicere.

COMMENDATORIUS ejusdem est Apollinaris, qui 9. epist. 10. *epistolas commendatorias* adpellat, quæ *commendatitiæ* sunt aliis, ut Ciceroni 5. epist. 5.

COMMENSALIS. Cicero filius 16. epist. 21. & Ovid.

Ovid. 4. Pont. 3. v. 15. *convictor* ſcripſerunt. Gr. σύσσιτος.

COMPASSIO, id eſt, συμπάθεια, communis dolor, eccleſiaſticum potius, quam pure latinum eſt. Tertullianus Reſurr. Carn. cap. 40. & Hieronymus eo uſi ſunt. Hujus verba habent Curæ Poſteriores.

COMPATIOR ejuſdem notæ eſt, vid. Sulp. Sever. fin. Dial. 3. Vulgat. Ebr. 4. comm. 15. &c. Cicero ait, *cauſa alicujus affici, miſericordia cujus moveri, calamitatem cujus exiſtimare ſuam*.

COMPATER. Tertulliano (de Baptiſmo c. 18.) *ſponſor*, nempe fidei: aliis *baptiſmatis teſtis*, *pater luſtricus*. Forſan *propater* ad latinam analogiam accederet propius. Sed hoc de prima notione vocis, qua noſtri *Pate* dicunt: altera *Gevatter*, quæ neſcio quam adfinitatem ex baptiſmatis lege infert, ad barbariſmum magis propendet.

COMPLACENTIA Latini horrent dicere pro *oblectatione*.

CONCERNO ſemibarbarum. Advocant pro eo Q. Ciceronem Petit. Conſ. cap. 5. ſed meliores ibi codices *confido* exhibent, non *concerno*. Gloſſæ: *Concerno*, συνθεωρῶ. Et hæc de notione ſimplici *videndi*, qua idem ſit, quod *cerno*: in altera pro *pertinet*, eſt βχρβ αρικωτερον.

CONCIVIS, quamquam defendente Laurentio Valla 4. lib. elegant. cap. 83. in civitatem latinam adſcribi non poteſt. Nec ejus cauſam Frontinus tuebitur, qui de limitibus ſcripſit: *ex actum concivium locum primum adpellatum, deinde dictum fundum*. Locus enim ita ſubobſcurus eſt, etiam a P. Scriverio aſteriſco notatus, ſuſpectæ ſcripturæ

ſigno, ut non facile divinare poſsis, quid ſcribere Frontinus voluerit. Barbaris demum temporibus ita formarunt compoſitas voces *concivis*, *confrater*, *conſocius*, ut eſt apud Aquenſem, Tyrium, & id ætatis alios. Vetuſtis latinis ſimplex *civis* idem valet, aut *municeps*, quod barbaris *concivis*. Cic. Catil. 1. cap. 7. *te metuunt omnes cives tui*. Pro Mil. cap. 34. *valeant, valeant, inquit* (Milo) *cives mei valeant*. Quod ſi ſignare vis non eadem civitate ſeu oppido, tamen eodem ſolo ſeu provincia natum, cum Plinio præfat. Hiſt. *conterraneum* adpellare poteris, aut cum Terentio Phorm. act. 1. ſcen. 1. *popularem*, aut Giſanio judice (Obſerv. p. 104.) omnium elegantiſsime *gentilem*, quemadmodum Gellius 17. cap. 17. de Mithridate rege Ponti tradidit, quod ſine interprete cuivis viro duarum & viginti gentium, quas ſub ditione habuit, *lingua & oratione ipſius, non minus ſcite, quam ſi gentilis ejus eſſet, locutus ſit*.

CONCORDANTIA, conſenſus, loca parallela.

CONCUPISCENTIA trita & familiaris vox eccleſiaſticis, v. g. Tertullianus cap. 38. de Anima: *concupiſcentia oculis arbitris utitur*. Hieronymus epiſt. 128. *concupiſcentia libidinis ſeminarium*. Qui extra Eccleſiam ſunt, vel vitioſum illum ſomitem, vel *libidinem* & *cupiditatem* adpellant, e.c. Quinctilianus Declam. 3. *Non ſit mihi quærendum averſis auribus ſæculi, in tantum vitia regnare, ut obſcænis cupiditatibus natura ceſſerit*. De Curtii loco 8. cap. 6. num. 18. vide in noſtris notis ad eum, & curis poſter.

CONDESCENDERE, ad ſenſum & voluntatem infe-

ferioris se applicare, ingenio se cujus conformare.

CONDITIONALITER Jurisconsultorum est. Instit. Tit. de legatis §. 32. *Si conditionaliter enuntiata fuerit causa*. At Cicero pro Arch. cap. 10. *sub ea conditione, ne quid postea scriberet*; & sine præpositione lib. 6. epist. 7. *ea conditione librum daret, si reciperes, te correcturum*. Et ita quoque veteres Jurisconsulti plerumque. Ulpianus de Verb. Oblig. lege 20. *sub quavis alia conditione*. Paullus ibidem lege 8. *tota enim obligatio sub conditione, & in diem collata est*. Adjectivum etiam CONDITIONALIS jurisperitis, quam aliis scriptoribus, usitatius est.

CONDOLENTIA vulgaris vox, sed pessimæ notæ. Purioris stili amantes aut συμπάθειαν Græce, aut cum Cicerone *æqualem dolorem*, *communem calamitatem*, *societatem ægritudinis* &c. adpellant.

CONFLUXUS, concursus, quo auctore dicatur, ignoro. Nec *fluxus* meliori ætate invenitur. Vide Lexicon nostrum.

CONFŒDERATI & verbum CONFŒDERARE fere Ecclesiasticos auctores habent, ut curis posterior. ex Hieronymo, Prudentio, Orosio ostensum fuit. Purius illi vocantur, *fœderati*, *socii*, *amici*.

CONFORTARE ejusdem ætatis est & dignitatis, cujus præcedens verbum fuit. Vide cur. posterior. Latina sunt *confirmare*, *corroborare*.

CONFRATER sæpe occurrit apud Guilielmum Tyrium, Alb. Aquensem & æquales: apud veteres ne semel quidem. Caspar Barthius Commentario ἀνεκδότῳ in Aquensem lib. 3. cap. 57. *confratris adpellatio Germanici idiomatis est*, *ein Mitbruder*.

Sic eidem Aquensi 8. cap. 1. *Conchristiani* sunt nostro more atque lingua *Mit Christen*. Quis feret ita latine loquentem? Nec probatior est vox *conmatyr*, qua Tertullianus usus est de Anima cap. 55. & *corpiscopus*, Augustin. epist. 3. extrema.

CONSTELLATIO non barbara vox, nec tamen probatissimæ auctoritatis. Ammianus 29. cap. 17. *cum objectaretur ei, quamobrem constellationem principis collegisset*. Capitolinus in Gordian. cap. 20. *ostendisse constellationem mathematicum ferunt*. Sidonius 8. epist. 11. *constellatione inspecta*. Firmicus lib. I. Astrol. cap. 1. *Mercurii cum Marte constellatio*. Obertus Gifanius ex Cicerone docet, quomodo res eadem describi possit. De fato c. 4. *Affectio astrorum ad quasdam res valeat*. 2. Divin. cap. 47. *si ad rem pertinet, quo modo cælo affecto, compositisque sideribus quodque animal oriatur*; & mox: *fac in puero referre, ex qua affectione cœli primum spiritum duxerit*.

CONTRARIOR fœtide; *adversor* pure & latine dicimus.

CONTRIBULIS. Eadem hujus ratio est, quæ supra *concivis* fuit. Sufficit simplex *tribulis* Ciceroni & aliis *i* Pro Rosc Am. cap. 16. *vel tribules vel vicinos meos*. De petit. Consul. cap. 8. *qui apud tribules suos plurimum gratia possunt*.

CONTROVERTITUR, controversantur, controversia est res, venit in controversiam.

COORDINARE sine antiquitatis testimonio: latine *ordinare*. *in ordinem adducere* dicitur.

CORDICITUS eamdem meretur censuram, quam *animitus*, de quo supra actum est. Non enim major, quam Apollinaris auctoritas adhuc præferri visa

visa est. Is autem 4. epist. 6. *Prudentibus*, inquit, *cordicitus insitum est, vitare fortuita*.

CORRECTE adverbium cum Vossio etiam Borrichius, vir adcuratissimi judicii, damnat. Mirum sane adverbia repudiari, adjectiva promiscue admitti. Ita tamen censendum est, quia sola analogia inutilis, nisi usus & auctoritas accesserit. Ciceronis est *emendate*. De opt. gen. orat. cap. 11. *pure & emendate loquentes, quod est Latine*.

CORRESPONDERE male dicitur pro *respondere*, *consonare*, *consentire*. Eadem lege damnatur nomen CORRESPONDENTIA pro *consensu*, aut *literario officio* & *commercio*.

CRAPULARI, crapula laborare. Vulg. interpres Psalm. 78. 65. usus est.

CREATURA tritissima vox, sed Christianorum propria. extra ecclesiam non reperitur. *Res creata*, *opificium Dei*. aut simili modo circumscribi poterit.

CURABILIS, medicabilis, sanabilis.

CURSORIE. Dic *cursim*, *festinanter*! Neque CURSORIUS adjectivum bonum.

DAPIFER Alb. Aquensis 7. cap. 30. suum fecit. veteres ignorant. Si opus est, adpellabitur *dapes deferens*,

DEGRADARE, de gradu dignitatis dejicere. Exempla habet Glossarium Caroli du Fresne, sed omni ævi barbarici.

DEPRÆDICARE hodie perquam tritum est, priscis omnibus inauditum, qui nec alio exemplo *De* & *Præ* in uno verbo composuerunt. Sufficit *prædicare* ad exprimendum illud, quod *deprædicare* novatores intendunt,

DERI-

DERISIO nihil videtur habere, præter analogiam cognati *irrisio*, quo se possit tueri, ne cum barbarismis derideatur.

DESERTUM substantive & numero singulari, qui dixerit præter Ecclesiasticos, observavi neminem. Plurativo numero *Deserta* recte & ordine dicuntur, quod Virgilii & Plinii suffragiis probatum est in Poster. Curis. Et sane non latet ratio. Pluraliter enim *loca* subaudiuntur: quod subaudias Neutrum nomen, si *desertum* dices, non apparet. Pro eo ergo *solitudo* vel *desertus locus* cum latinis dicemus.

DESOLATIO Vulgati interpretis est, aliorumque Ecclesiasticorum. Salvianus lib. 6. *Per hæc jam factum est, ut maior pars Romani orbis in desolatione esset*. Latine *excidium*, *vastitas*, & similia.

DETERIORARE. Symmacho & Claud. Mamerto vindicavimus Secundis Curis, ne barbarismus adscriberetur. Cicero de Clar. Orat. cap. 74. *rem deteriorem facere*. Tacitus Passive 4. Annal. cap. 6. *in deterius mutari*.

DEVIARE huc referunt sermonis emendatores Vossius, & Borrichius. Non tamen est penitus barbarum, sed medii ævi scriptoribus satis usitatum. Ammianus 22. cap. 25. *ab æquitatis recto tramite deviasse*. Hieronymus epist. 89. *a recta linea deviare*. Ausonius Profess. 5. v. 37. *deviantes filiæ*. Veteres pro eo *deflectere*, *declinare de via*. Neque probatius est simplex *viare*, id est, iter facere, quo Apulejus 10. libro post principium, & Ammianus 19. cap. 18. & Solinus cap. 29. de Africa, & Prudentius Hamartig. v. 229. sunt usi.

usi. Quod verbum Quinctilianus 8. cap. 6. vocat *infelicius fictum*.

DIESCIT, verbum, quo infimae aetatis poetae delectantur, quos nominatim laudat Barthius ad Britonem p. 495. Veteres *lucescit dilucescit*, *dies oritur*. Praesidium, quod huic verbo ex *Noctescit* Nonii arcessitur, infra profligamus.

DIETIM pro *quotidie* sine auctore probato dicunt.

DISTRICTUS substantivum, id est, territum, videtur primum innotuisse per scriptores feudales & monachos. A *tractu* fortasse ductum est. Carolus Fresnius ex eo dici putat, quod dominus vasallos in territorio suo *distringere* possit. Mala, si non ridicula, notionis ratio.

DIVERSIMODE inquinate loquentes amant: malim cum Cicerone *non uno modo, alio atque alio modo*, & quae similes sunt formulae.

DIVISIBILIS vix probatur veteribus, qui *dividuus* ad unum omnes dicunt. Cicero de Universo cap. 7. *dividua materia*, & mox, *quod dividuum esset in corpore*. Plinius 2. cap. 67. *maria circumfusa undique dividuo globo*: & ita reliqui. Si hoc putas notari, quod jam *divisum* est, describes alterum hoc modo, *quod dividi potest*. Grammaticis tamen, & philosophis etiam *divisibilis* concessum est, ut infra notabimus in *indivisibilis*.

DIVISIM habet Guilielm. Brito 12. Philipp. v. 527. & Trismegisti versione, quae Apulejo tribuitur, & sana lectio: nam Elmenhorstius pag. 87. uncis vocem inclusit, quae nota corruptionis est. Tolerabilius Gellius *divise* lib. 7. cap. 2. Pro

utro-

utroque antiquiores omnes dicunt *ſeparatio* & *ſeorſum*.

DOLORIFICUS & DOLOROSUS pariter a cenſoribus moventur loco, quem barbarorum temporibus occupaverant. Illud volunt reddi *dolorem aſferens*; hoc *mœſtus*, *dolens*.

ECONTRA ſemibarbarum, quo non abſtinuere cadentis latinitatis ſcriptores, Hieronymus, Victor, Interpres Vulgatus, & horum æquales. Adi Poſteriores Curas, quibus addo aliud in Hieronymi epiſtola 138. obſervatum: *Econtra in Pſalmis multorum verſuum penitus non invenitur* (διάψαλμα) vel *Selah.*) In priſco Latino, ubi caſta & pura omnia erant, dicebatur ſimpliciter *contra*, ubi Cicero paſsim; vel *e contraria parte*, ut auctor ad Herenn. lib. 1. cap. 3. vel *e contrario*, ut Salluſt. Jug. 57. Columella 2. cap. 1. vel denique *contra ea*, ut Nepos Alcib. 8. Livius 21. cap. 20. & alii ſcripſerunt.

EFFORMARE uſus veterum non agnoſcit, ſed pro eo *effingere*, *exprimere*.

ELUCESCIT vulgatum nimis hoc tempore, quod Hieronymo tribuunt lexicorum conditores. Locum in Hieronymi ſcriptis invenire non potui, quod non addiderunt, qua parte, aut libro. Lactantii tamen libro 7. Inſtit. cap. 14. ita editores Aldus, Michael Thomaſius, Ant. Thyſius, Gallæus, Th. Sparck, & recentiſsimus Cantrabrigienſis referunt: *cujus rei argumentum prius eſt enarrandum, quo ratio eluceſcat*. Verum mendoſam ſcripturam eſſe, non ſolum Xyſti Betuleji editio, qua *eluceat* legitur, verum etiam manuſcripti codices tam Lipſienſes, quos excuſsi; quam Anglicani, Cantabrigenſi

gensi nupera editione laudati, quibus singulis *eluceat* est, evincunt.

EPITOMARE ad lapsam potius, quam cadentem latinitatem pertinet, Trebellius Pollio de Zenobia: *Historiæ Alexandrinæ atque orientalis ita perita, ut eam epitomasse dicatur*. Vegetius lib. 1. cap. 8. extr. *quæ dispersa sunt, velut epitomata conscribe*. Rem ipsam eleganter Justinus Præfat. nominat *excerpere cognitione dignissima, & breve velut florum corpusculum facere*: & Eutropius Præfat. *stricttim colligere*. Hinc facile judicatur de nomine EPITOMATOR.

EXCOMMUNICARE, ejicere Ecclesia, sacrorum usu prohibere, interdicere sacrorum commercio. Verbum, quod natales suos in ecclesia habuit: vid. Poster. Curas.

EXHIBITOR nostri ad literas referunt, & sæpe in commendatitiis & testimoniis ita exordiuntur: *Exhibitor harum litterarum*. Non ita usu venit antiquis loqui, vel scribere. Tullius 13. Epist. 6. *qui tibi litteras reddidit*; quod omnino elegantius est, quam Hieronymi epist. 53. extr. & 56. *portitor litterarum*, aut Paullini Nolan. epist. 1. ineunte *litterarum perlator*. Nec vero plane damnamus *exhibitoris* verbum. Certe Arnobius lib. 7. editorem muneris dixit *exhibitorem ludorum*.

EXORBITARE, de via deflectere, discedere, degenerare; Tertulliani, Augustini, Firmici, & Apollinaris exempla habent Curæ posteriores.

EXTEMPORANEUS pervulgatum, etiam Glossar. Lat. Gr. *Extemporaneum* ἀμελέτητον. Veteres autem *Extemporalis* dixere. Petronius Satyr. post prin-

principium : *ingens scholasticorum turba in porticum venit, ut apparebat, ab extemporali declamatione nescio cujus*. Suetonius Aug. cap. 84. *extemporalem facultatem* opponit *orationi meditatæ & compositæ*. Quinctilianus lib. 4. cap. 1. *Multum gratiæ exordio est, quod ab actione diversæ partis materiam trahit, --- adeo ut etiamsi reliqua scripta & elaborata sint, tamen plerumque videatur tota extemporalis actio*. & lib. 10. cap. 7. *extemporalis actio*. & eodem cap. ineunte, *ex tempore dicendi facultas*.

EXTRAORDINARIE cur nove dicam, inquit Vossius, cum vetus suppetat *extra ordinem*. Cicero pro Domo cap. 8. *Cn. Pompeio plurima bella extra ordinem commissa*. Livius 23. cap. 47. *id modo moratus, ut consulem percunctaretur, liceretne extra ordinem in provocantem hostem pugnare?* Gellius 4. cap. 10. *quem iis visum erat, honoris gratia, extra ordinem sententiam primum rogabant*. At *Extraordinarius* probum est, Ciceroni & Livio 37. cap. 56. usurpatum.

EXTRINSECUS adjectivum, & EXTRINSECE adverbium, lutulenta sunt, e scholasticorum lacunis hausta. De latinorum enim sententia *Extrinsecus* adverbium est: pro adjectivo ipsis usu venit *Externus*.

FACILITARE, facile, vel facilius aliquid reddere; barbarum.

FILIALIS qui veterum dixerit, nescire me fateor. Lexica nihil habent, nec memini in classicis observari. Substituo itaque, dum certiora afferentur, *quod filii est*, *quod filium decet*. Quem vulgo filialem amorem dicunt, *pietas* pure Lati-

nis

nis est. Plinius lib. 10. epist. 1. ad Trajanum: *Tua quidem pietas, imperator sanctissime, optaverat, ut quam tardissime succederes patri.*

FINALITER Vossius damnat, nec injuste, cum meliora non desint *Denique*, *Tandem*, *Novissime*. Neque adjectivum FINALIS apud alios, quam philosophos & jurisconsultos, facile invenias. Papinianus lege 11. finium regund. *in finalibus quæstionibus auctoritas sequenda est*. Rarius alii, atque hi etiam posterioris ætatis, habent. Alcimus Avitus lib. 11. *v.* 369. excidium Sodomæ & Gomorrhæ vocat *finale malum*.

FIXE, acriter, acri animo & intento. Vossius & Borrich.

FLAVEDO, flavus color, effictum ad formam *albedo*, *nigredo*, licet nec ipsa sint probatissima.

FORPEX Grammaticos quosdam patronos habet, ut Isidorum Orig. 20. cap. 12. qui inter *forficem* & *forpicem* distingui vult; sed veteres, quidquid hujus generis erat, *forficem* adpellabant. Columella 12. cap. 47. *viticsa uvæ grana forficibus amputant*. Calpurnius Eclog. v. *forfice læsa cutis*. Plinius 25. cap. v. *incisum forficulis cribrant*.

FORTALITIUM novum vocabulum: veteribus est *castellum*, *munimentum*, *propugnaculum*.

FORTIFICARE, munire.

FRONTISPICIUM, pars anterior, ædium præsertim, *der furder Giebel*. Clariss. vir nobisque amicissimus G. M. Konig. adcurate: *Apud recentiores crebro occurrit: veterum nemo, quod ego sciam, id usurpat*. Palladius pro eo *frontem* posuit libro 1. cap. 8. extr.

FRU-

FRUCTIFICO. Displicet Vossio, Borrichio & aliis sermonis purgatoribus. Vulgatus interpres pro Gr. καρποφορεῖν posuit, unde ad ecclesiasticos scriptores manavit. Sedulius principio libri tertii de Christo vera vite, *omnia fructificans*. Aliis rarus admodum est hujus verbi usus. Calpurnius Eclog. 4. *v.* 90. *In quibus* montibus *augustos visura triumphos laurus fructificat*. Ceteris id est *fructum ferre*: & prima editione Calpurnii *fructiferant* Romæ 1471. expressum est.

FRUSTRANEUS, hoc est irritus, supervacuus, vulgare nimis & tritum: sed quo auctore vel mediocriter probato defendi possit, non est perspicuum. *Frustratorius* est Afrorum, Tertulliani de Anima cap. 47. & Arnobii lib. 7. p. 219.

FUNDAMENTALIS antiquo fundamento carere mihi videtur: at vergente ævo irrepsisse, Sidonii *fundamentaliter*, quod exstat lib. III. Epist. 8. probare potest. Rectius dices *solidus*, *solido fundamento impositus*, aut cum Tacito 4. Annal. cap. 62. *firmis nexibus superstructus*.

FUSIM qui veterum dixerit pro *fuse*, *sparsim*, non apparet.

GLORIFICO in ecclesia natum. Rejicitur a Vossio & Borrichio, aliisque censoribus Latini sermonis.

GRATANTER. Non satis Latine & eleganter, Vossio censente. Capitolini, Trebellii, Marcellini verba, quibus hoc Adverbium admixtum est, posterioribus Curis exhibuimus. Nunc addimus Cassiodorum lib. 5. epist. 15. *Exercet profecto, quod nos gratanter æstimat accipere*. Tu præferas *lubenter*, *cum voluptate*, aut his similia.

GRA-

GRATITUDO ejusdem monetæ est, cujus fuit *certitudo*, *aptitudo*. Hodie optimi viri non erubescunt hac voce: veteribus vel plebeja fuit, quod e Seneca & Valerio Maximo apparet, qui de re ipsa copiose scribentes ne semel quidem vocabulo usi sunt, sed *gratum animum grati animi significationem*, *memoriam beneficiorum*, *memorem beneficii animum*, & cetera generis ejusdem adpellaverunt. Nec lemma seu titulus Capiti præfixus apud Valerium, tueri hoc nomen potest. Variant enim mss. libri & Brandenburgicus codex habet *De gratis*, *De ingratis*, ubi vulgo legitur *De gratitudine*, *De ingratitudine*. Unde clar. Jo. Vorstius existimat, non a Maximo hæc lemmata esse, sed a grammatico quodam superaddita. Dixi, fuisse forsan plebejum verbum. Nam Cælius Apicius, scriptor plebejus & culinarius Trajani ævo, lib. III. cap. 4. dixit, quamquam significatu alio, *Cucumeres rasos ex liquamine sive ænogaro — gratitudine teneriores senties*.

GRAVAMEN, sive molestiam intelligas, sive querelam, non valde probatur. Priori notione usus est Cassiodorus 9. Epist. 11. *Hominis vultus hilaritate decoratur, si visceribus sanis gravamen nullius sentiat læsionis*: posteriori, qua hodierno die in omnium ore est, juris interpretibus vel originem debet, vel usum frequentiorem. Car. du Fresne non alium auctorem laudat, quam Matthæum Westmonasteriensem.

GROSSUS adjectivum ex *crassus* postrema Latinitate factum. Sulpicius Severus 1. Dial. cap. 21. habet *vestem grossiorem* & Augustinus 4. adv. Jul. cap. 13. *sensu grossiores*. GROSSITUDO tribui-

tur Solino cap. de Æthiopia, ubi Salmasius, sine dubio MSS. libris usus, *crassitudo* edidit.

HEBDOMADATIM, quavis hebdomade.

HÆREDITARE. Ita sæpe loquitur Vulgatus Scripturæ interpres: etiam ecclesiæ doctores, præsertim huic interpreti æquales, vel posteriores. Quod autem hoc verbo semibarbari significant, id diverso modo enuntiarunt veteres, v. g. *hæreditatem adire* Cic. Phil. 11. cap. 16. *hæreditatem cernere* lib. 9. Epist. 4. *hæreditatem obtinere* 13. Epist. 29. *in partem hæreditatis vocari* pro Cæcin. cap. 4. *hæreditates consequi* Nepos Attic. 21. *hæreditate relicta domus ab avunculo*, ibidem cap. 13. Immo ipse Tertullianus, artifex cetera ecclesiasticæ Latinitatis, eleganter de Resurr. carn. cap. 48. *caro & sanguis regnum Dei hæreditate possidere non possunt*. & de Pudic. cap. 17. *regnum Dei non sunt consecuturi hæreditate*.

HOMAGIUM, HOMINIUM, barbarica vocabula, in re publica seu civili tolerantur, ab elegantiore stilo jubentur abesse. Andr. Schottus *clientela* idem significari existimat, quod Vossius etiam se malle profitetur. Cetera sicut non unius generis est hominium, ita nec uno modo describi illud latine poterit.

HUMILIARE. Hoc quoque verbum in ecclesiasticis pono. Passim habet Scripturæ interpres: etiam aliis, sed Christianis, valde usitatum est, v. g. Salvian. lib. 11. *Deus non nunquam sinit pro peccatis nostris humiliari*. Sed hæc nota sunt. An Classicorum etiam hoc verbum sit, in controversiam venit. Ajunt clarissimi viri in auctis Latinæ Linguæ Thesauris: etiam signato loco *humi-*

miliata animalia ex Cicerone oſtendunt. Verum impoſuit illis, ut puto, Calepini, vel interpolatoris, oſcitatio, qui negligenter produxerat Ciceronis verba ex II. Nat. Deor. 47. *alia animalia humiliata ut cibum terreſtrem roſtris facile contingant*. Etenim omnes libri, quos inſpicere contigit, Aldi, Sturmii, Godofredi, Gruteri, aliorumque, hæc verba ita referunt: *Atque etiam aliorum ea eſt humilitas, ut cibum, terreſtrem roſtris facile contigant*. Injuriam ergo Ciceroni faciunt, qui ipſi hanc ſemibarbaram vocem adjudicant. Quæris quid Latine velimus ſuffici? Audi Ciceronem I. Offic. cap. 25. *Quanto ſuperiores ſumus, tanto nos ſubmiſſius geramus*: & in Lælio cap. 20. *qui ſuperiores ſunt ſubmittere ſe debent*. Et hæc pro translata hujus verbi ſignificatione, quæ in ſacris libris primas partes tenet: propriam qui latine reddas, Tulliana verba modo reſtituta docuerunt.

JEJUNARE. Neque hoc verbum extra eccleſiam reperitur. Vide Tertulliani, & Prudentii teſtimonia in Curis Secundis. Licet enim Arnobius lib. 5. ad Eleuſinia ſacra referat, cujus verba ibidem recitavimus: per id tamen e cenſu eccleſiaſticorum non eximitur, quia Eleuſine locuti ſunt Græce, Latinam autem interpretationem de ſuo Arnobius, Chriſtianus homo, addidit. Pro hoc verbo Nepos Attic. cap. 22. eleganter dixit *cibo ſe abſtinere*.

IGNORANTER. Non placet doctioribus, qui præferunt *inſcienter*, *per ignorantiam*.

ILLEGITIMUS. Fallunt & falluntur, qui hanc vocem ex Valerio Maximo defendunt. Editores

quidem nostro sæculo lib. 11. cap. 1. *illegitimæ intemperantiæ signum* commemorant, sed falso. Nam tum manu scripti libri, ut Jo. Vorstius de Brandenburgicis testis est, tum ab hinc sæculo & retro excusi, ut Aldinus, & Venetus cum Oliverii commentariis 1491. & Lipsiensis 1512. & Lugdunensis 1556. quibus consentit a Jo. Vorstio nuper emendatus, constantissime tradunt *legitimæ*, non *illegitimæ*. Verba hæc sunt de iteratis nuptiis: *multorum matrimoniorum experientiam quasi legitimæ cujusdam intemperantiæ signum esse credentes*. Si supponas, *illegitimæ*, falsum dixit Valerius, quia Romanorum legibus secundæ nuptiæ erant licitæ & concessæ. Alia exempla, præter hoc dubium, seu falsum potius, qui attulerit, ego quidem novi neminem. Præst at ergo circumscribere, quam sine auctoritate loqui, exemplo Plinii, qui lib. 10. epist. 28. *minime legitimis sumtibus pecunias erogare* dixit.

IMMEDIATUS & IMMEDIATE Latina non sunt, in quorum locum sufficies *proximus*, *proxime*, *nullo interveniente*, *sine interventu alius*.

IMMORIGER seu IMMORIGERUS citra consensum antiquitatis componitur. Malim *male morigerus*, *non obediens*, sicut Apulejus lib. 11. *minus morigeros* dixit.

IMPERTINENS, neque hæc antiqua compositio. Latine, *ad caussam non pertinens*: *extra caussam hoc dicitur*. Sic Seneca epist. 113 *nihil ad rem pertinet*. Ammianus 28. cap. 57. *nihil ad rem pertinentia*.

IMPŒNITENS, IMPŒNITENTIA ecclesiæ vocabula,

la, sed minus Latina. Classicis *impius*, *improbus*, *impietas* fere idem sonant.

IMPORTANTIA, momentum, pondus.

IMPRÆGNARE, hoc est *gravidam reddere*, *implere*, Vossio deculpatum verbum, etiam Olao Borrichio. Nec alii, quam barbari ævi scriptores eo usi sunt. Gulielm. Brito Philipp. 7. v. 606.

Et jam finis erat hiemis tellusque calore
Imprægnata novo flores gignebat & herbas.

INADVERTENTIA barbari: Latine docti *inconsiderantia* dicunt. Suetonius Claud. cap. 39. *Inter cetera in eo mirati sunt homines & oblivionem & inconsiderantiam*. Idem vocabulum etiam Ciceroni vindicant Nizolius, Rob. Stephanus, & Lambinus ex III. Quint. Frat. epist. 9. ubi cusi & manu exarati libri *considerantiam* habent, quamvis, ut videtur, repugnante sensu. Loquitur enim de immodico Milonis sumtu, quem in ludorum apparatu fecerat. *cujus*, inquit, *in hoc uno considerantiam* (inconsiderantiam) *& ego sustinebo, ut potero, & tu, ut possis, est tuorum nervorum*.

INCERTITUDO barbarum, ut *Certitudo*. Classici scriptores *incertum*, & Plur. *incerta*. Sic Justinus lib. 38. cap. 1. *incertum belli*: Tacitus An. 3. cap. 54. *incertum maris & tempestatum*: Apulejus 4. Metam. *sub incerto salutis*: Livius lib. 30. cap. 15. & Plinius 3. epist. 19. *incerta fortunæ*: & eodem libro Livius cap. 30. *incerta casuum*: iterum Tacitus Hist. 2. cap. 77. *præliorum incerta*. Papinianus lege 11. de Bon. poss. secundum tab. *propter incertum conditionis*.

INCESSABILIS, continuus, non intermissus, Oro-

ſius lib. 7. cap. 1. *Inceſſabilibus cladibus nullus finis, nulla requies fuit*. Hieronym. epiſt. 58. *inceſſabilis inimicus*. Hiſce antiquiores de hac voce non cognovi. Nolim ergo auctoritatem non ſatis confirmatam ſequi.

INCESSABILITER & INCESSANTER Adverbiorum, eadem aut deterior eſt ratio, quam fuit Adjectivi. Salvianus lib. 6. *māla inceſſabiliter malis addimus*. Sidonius Apoll. 8. epiſt. 11. *Legebat inceſſanter auctores, cum reverentia antiquos, ſine invidia recentes*. Zeno imperator lege 10. C. de Aquæductu, *excubiis aquæ cuſtodiendæ inceſſanter inhæreant*. Malim *ſine mora, ſine intermiſſione*.

INCIDENTER tuto non dicitur: tutius *obiter*, *in tranſcurſu*, aut Græce *ἐν παρόδῳ*.

INCONSIDERATIO cum Voſſio Borrichius condemnat, nec invenio majorem, quam Salviani auctoritatem, qui prope finem lib. 1. de Gub. Dei ſcripſit, *qui ſola mentis inconſideratione peccaſſent*. Sed ipſe brevi intervallo ſubjecit, *quorum inconſiderantia quodammodo Deum tetigit*. Hoc certe præſtat, quod ſupra in *Inadvertentia* Suetonii, ſi non ipſius Ciceronis, ſuffragio vox *inconſiderantia* approbata fuit. At *inconſideratus*, & Adv. *inconſiderate*, bona ſunt & Tulliana.

INCORRIGIBILIS, cujus corrigendi ſpes nulla ſupereſt, aut uno verbo, *inemendabilis*, quod Senecæ eſt 3. de Ira cap. 41. & Quinctiliani lib. 1. extr. Hujuſmodi hominem Mettium Fuffetum Livius eleganter lib. 1. cap. 28. deſcribit: *nunc quoniam tuum inſanabile ingenium eſt*. Barbarum autem uſurpavit Alb. Aquenſis lib. 1. cap. 11. *pedeſtre vulgus, rebelle & incorrigibile*.

IN-

INCREDULITAS ecclesiastica notione satis notum vocabulum, quo fidei salutaris absentiam significant. Præter id significatione propria reperiri dicitur lege 29. D. ad Leg. Jul. de Adult. Verum libri meliores habent *incredibilitas*, quod aptius est, licet æque insolens, ac ipsum *incredulitas*.

INCURABILIS. Prosper Aquitanicus lib. I. cap. 25. dixit *infirmitates incurabiles*, & Theodorus Medicus Log. 2. cap. 20. *phthisin incurabilem*: antiquiores autem *desperatus*, *insanabilis*: Plinius lib. 5. epist. 9. *morbus inexplicabilis*.

INDISCIPLINATUS Vulgatus Interpretes octies habet: veteres Latini ne semel quidem. Nec simplex *Disciplinatus* valde placet; quo Tertullianus de Fuga in Persecut. cap. I. usus est, *fides*, inquit, *disciplinatior in jejuniis*.

INDIVISIBILIS. Diomedes, vetus grammaticus, lib. 2. cap. de Littera: *Elementum minima vis, & indivisibilis materia vocis articulatæ*. Philosophis & grammaticis hæc vox relinqui potest: cum purioribus pure dicendum *individuus*. Cicero I. Fin. cap. 6. *Ille* (Democritus) *atomos, quas adpellat, id est, corpora individua, propter soliditatem censet in infinito inani ferri*.

INEPTITUDO Cæcilius apud Nonium dixit, sed pro *ineptiis*. Verba sunt: *Qui homo ineptitudinis cumulatus, cultum oblitus es*. Hac notione vox in obsoletis ponitur: altera, pro *inhabili* cujusdam *indole*, in barbarismis.

INFERNUS substantive, non esse, nisi ecclesiasticum verbum, Curis Secundis probavimus. Varronis testimonium, quod summi viri Buchnerus & Borrichius laudabant, suspectum, immo falsum es-

ſe; Obſequentis autem dubium, ibidem copioſe demonſtratum fuit. Cum extra cauſam eccleſiæ verſamur, *inferos*, *infera*, *Orcum*, pari verborum vi adpellamus. INFERNUS enim Latinis eſt Adjectivum.

INFERNALIS adjectivum Chriſtiani fere formant ab *Infernus* ſubſtantivo ut ſit idem quod *Stygius*. Prudentius Hamartig. *v.* 856.

- - - piceaſque bitumine foſſas
Infernalis aquæ furvo ſubfodit Averno

Quod ſi Subſt. *Infernus* ſuſpectum eſt, an forſan ab adjectivo Latine formatur? Non deſunt exempla, ut ab Æquus *æqualis*, ab Æternus *æternalis*, de quo ſupra dictum, quod etiam in veteri cippo obſervatur hoc modo:

SOMNO ÆTERNALE.

Vide inſcriptiones Reineſ. p. 649. Sic a Perpetuus *perpetualis*, quo Quinctilianus 2. cap. 13. καθολικὰ interpretatur, ita tamen novitatem vocis excuſans: *ut dicamus*, *quomodo poſſumus*; quod verbum etiam Fulgentius lib. 1. Mythol. cap. 1. & 27. uſurpavit. Sed cum Adjectiva *Æternus*, *Infernus*, *Perpetuus* elegantia & probatiſsima ſint, æquo animo credit illis novis, qui caſti ſermonis ſtudioſus eſt. De *æqualis* diſpar ratio.

INFIDELITER, mala fide.

INFINITIES, infinite.

INFIRMITER. Sæpe laudati caſtigatores ſtili Borrichius atque Voſsius, obeliſco notant. Attamen Arnobius lib. 7. haud procul a fine ſcripſit: *quam infirmiter invalideque dicatur, ipſa rerum inæqualitas indicabit*: quod in obſcuris relinquo, dum major probatioris ſcriptoris lux accedat. Uſu

firma-

firmatum est *infirme*, quod ipse Cicero 15. epist. 1. scripsit, *socios infirme animatos esse*. Alterum *invalide*, quod adjungebat Arnobius, æque ignotum Lexicorum architectis, minus tamen, quam illud, dubitandum est.

INFLUXUS, pro stellarum vi & tactu, vix alium auctorem habet, quam Julium Firmicum, lib. 1. Astrol. cap. 1. dicit, *ex solis stellarum influxibus pendere*, quod perinde novum videtur, atque Macrobii illud 1. Somn. cap. 12. *priusquam materialis influxio in corpus venientes animas ebriaret*. Tulliana hujus materiæ sunt 2. Divin. cap. 46. *Ex quo intelligitur, plus terrarum situs, quam lunæ tactus, ad nascendum valere*: cap. 47. *Etiamne urbis natalis dies ad vim stellarum & lunæ pertinebat?* & 2. Nat. Deor. cap. 15. *Solis candor illustrior, quam ullus ignis, quippe qui immenso mundo tam longe lateque colluceat: & is ejus tactus est, non ut tepefaciat solum, sed sæpe comburat*. Veteres ne quidem in notione primigenia pro illapsu fluviorum in mare aut lacum vocabulum *influxus* agnoverunt.

INGRATITUDO, pro vitio ingrati animi, priscis Latinis ingrata vox fuit, quam Cicero ita horruit, ut Græce rem exprimere, quam verbo uti non satis Latino, maluerit. Nam lib. 9. Attic. epist. 7. ait: *ita meruisse illum de me puto, ut ἀχαριστίας crimen subire non audeam*. Latine circumscribendum est. Livius lib. 36. cap. 20 *castigati tantum verbis Bœoti ob ingratum in tantis tamque recentibus beneficiis animum erga Romanos*. Primus qui usus sit hoc vocabulo, obscurum nec tamen antiquior nobis observatus, quam Julius Firmi-

micus fuit, cujus hæc sunt verba lib. 5. Astrol. cap. 1. *multos fovendo suscipiet, ac multis vitæ alimenta præstabit, sed erunt circa ipsum ingratitudinis vitio inquinati*. Succedit Casiodorus, scriptor duobus sæculis posterior Firmico. Is lib. 5. epist. 8. ait, *sine ingratitudinis nævo delegata explicabili procurare consilio*, quanquam de sensu Casiodori dubitari potest, an notam seu crimen ingrati animi intellexerit. Certe lib. 1. epist. 30. hoc ipso vocabulo aliter usus est.

INHONORARE, hoc est Dedecorare. Sanum est *inhonoratus*. Cicero extremo 3. Tusc. *vita inhonorata & ingloria*: Sueton. Claud. 11. *inhonoratum & sine grata mentione dimisit*. At verbo vix quisquam usus est, quoad linguæ integritas sua stetit. Fulbertus demum epist. 99. *Contemnis Deum, sanctos inhonoras, res Ecclesiæ invadis & aufers*. Hinc loco illud Vossius & Borrichius moverunt, suffecto antiquiore, ut credunt, *inhonestare*: Nam Ovidius 4. Trist. eleg. 8.

Ne cadat; & multas palmas inhonestet adeptas.

At Heinsius propter hoc ipsum verbum (nam alterum *adeptas* putat sanari posse) censet hunc versum cum sequente pentametro ex iis esse, quos inculcarunt homines male feriati. Utrumque ergo suspectum est, etiam tertium *Dehonorare*. Salvianus lib. 4. Avar. p. 106. *filios religiosos bono a vobis animo dehonorari adseveratis*.

INJURIARE, injuriam facere, inferre. Borrichius aliquid præsidii ponit in loco Senecæ de Const. Sapient. cap. 9. *Omne fortuitum circa nos sævit & injuriatur*. Verum in mss. libris non illud *inju-*

juriatur, quod frustra laudant Lexica, conspicitur, sed aliæ litteræ mostruose confluentes, unde Lipsius *etiam injuria*; Gronovius *& injuria igitur*, enthymematis forma, conjecturat.

INOBEDIENS dixit Cassiodorus 2. epist. 14. & Vulgatus Scripturæ interpretes sæpenumero: INOBEDIENTIA ejusdem interpretis est, & Hieronymi, & Orosii ac æqualium: vide. Posteriores Curas. Vossius in horum locum cooptat negantes περιφρονεῖς *non obediens*, *non obedientis culpa*. Plinius Panegyr. cap. 18. *contumaciam & dedignationem parendi* dixit. Adjectium etiam cum Seneca Trag. *inobsequens* nominabis. Ita enim Hippolyt. act. 4. v. 1068.

Inobsequens protinus frenis equi
Rapuere currum.

Et cum Casu, *inobsequens arti*, alter Seneca extrema præfatione libri 1. Quæst. Nat.

INSIGNIUM pro *insigne*, *signum*. Unde barbarus Ablativus est *insigniis*, quo se docti quoque viri contaminant. At omnes antiqui *insignibus* flectunt. Sallustius Catil. cap. 35. *cum imperii insignibus*. Cicero 4. Catil. cap. 11. *pro triumpho ceterisque laudis insignibus*. Livius lib. 38. cap. 18. *cum insignibus suis*. Minucius Felix Octavio: *propriis adpellationum insignibus multitudo dirimenda est*.

INSOLITE, insolenter. In partes vocatur Gellius in plerisque Lexicis: etiam Stephani, seu Romano Foro, quasi ille lib. 1. cap. 2. scripserit, *intempestive ac insolite disserebat*. At libri correctissimi quique, etiam Moselliani, habent *insubite*; non *insolite*, quod etiam Vossius & Borrichius eliminaverunt. Non minus insolens est simplex *solite*,

quod

quod habet Fulgentius Myth. lib. 1. cap. 11.

INSUFFICIENTER, nimis parce, exigue. Tertulliani lib. 1. ad Uxor. cap. 4. est substantivum *insufficientia*, unde mitius censetur de adjectivo *insufficiens*, quod æque ignorant lexica. At vero de *Sufficienter* non dubitatur. Palladius lib. 1. cap. 25. *Nucem perforari jubent: paleas & ceram cum sulphure sufficienter includi*. Ulpianus enim lege Sed si quid, §. 2. *Sufficienter alere & vestiri debet*.

INTERLUDIUM, ludi interpositi, vox non inepte formata, quam ideo allatam volui, ut dispiciant, quibus vacat, an majore auctoritate, quam Anastasii Bibliothecarii (quanquam hujus quoque scriptura variat) cui in Gloss. Freheriano tribuitur, defendi possit. Vulgare *Interscenium* nititur analogia *Postscenii*, ex Græco & Latino mixti, quo Lucretius lib. IV. v. 1179. usus est, dum *vitæ postscenia* eleganti translatione adpellavit actiones, quas celant homines.

INTERTEXERE, intexere. Voss. & Borrich.

INTRINSECUS adjectivum & INTRINSECE adverbium eodem loco sunt, quo *Extrinsecus* adject. & *Extrinsece* adverb. de quibus supra actum est. Quid multa? *Intrinsecus* est adverbium: pro adjectivo stat *internus*, *intimus*, aut simile.

INVIOLABILITER non dicitur, sed *inviolate*. Ita enim Cicero Senect. cap. 22. *memoriam nostri pie inviolateque servabitis*. Adjectivum *Inviolabilis* improbare nefas est. Silius lib. XVI. v. 16.

. . . *Velut inviolabile telis*
Servabant sacrumque caput.

INVISIBILIS Philosophica potius, quam antique lati-

latina vox. Cicero de Univerſ. cap. 8. *animus oculorum effugit obtutum*. Giſanius obſerv. p. 28. tradit eleganter *cæcum* adpellari, quod vulgus *inviſibile* vocat. Cic. II. de Orat. cap. 88. *res cæcas & ab adſpectus judicio remotas*. Qui *inviſibilis* in uſum receperunt; curis poſter. nominatim laudati ſunt, Arnobius nempe, Lactantius, Prudentius, Macrobius, ſcriptores minime barbari, nec tamen cum primis conferendi, quos Auguſtus, aut huic proxima ætas tulerat. Adverbium INVISIBILITER minus ſe probat, quam adjectivum.

IRRECONCILIABILIS. implicabilis, inexpiabilis. Cicero in Piſonem cap. 33. *ſi aſpernaretur amicitiam meam, ſe ſeque mihi implacabilem inexpiabilemque præberet*. Ita Sturmius: at Godofredus & Gruterus pro *inexpiabilem* legunt *inexplicabilem*. Alibi tamen *Inexpiabilis* etiam Cicero dixit.

IRREGULARITAS. Voſsius ſolum ſubſtantivum damnavit, adjectivum non attigit; ſed & hujus forſan, & adverbii inde deducti, aliquis deſiderabit auctoritatem. Guil. Tyrius lib. XIII. cap. 24. *irregularis ventorum concurſus*. Barthius in commentario *ανεκδοτω* exponit *inuſitatus*, ſed quid cenſeat de phraſi, verbo *inepte* notat, quod unum ſubjecit.

IRREMISSIBILIS, cui nunquam condonabitur.

IURAMENTUM cadentis latinitatis eſt. In Foro Rom. & Senecæ & Ulpiano tribuitur. Prius falſum, poſterius ſuſpectum eſſe Critici oſtenderunt. Nam in Senecæ lib. II. Clem. cap. 1. non *juramentum faciant*, ſed vel *jurent*, vel *jurarent* legunt Muretus, Lipſius, Gronovius, quorum commentaria conſulas. Lege 34. §. 5. Dig. de jurejuran-

jurando hæc exſtant : *Si de qualitate juramenti fuerit inter partes dubitatum*: verum quia tum hoc ipſo , tum aliis locis veteres juriſconſulti conſtanter *jusjurandum* vocant , vocem *juramenti* Tribonianiſmum eſſe credunt doctiores , ſeu ex ſuæ ætatis conſuetudine purioribus Ulpiani verbis a Triboniano inſertam . Vix ergo auctoritas major ſupererit , quam Ammiani , Hieronymi , Sulp. Severi, quorum verba Secundis Curis produximus . Et ipſe Hieronymus , quaſi horreret novum , vetus *jusjurandum* crebrius uſurpavit , ut vel ex una ſententia Commentarii in Ierem. IV liquidum eſt : *Vivit Dominus : in Teſtamento Veteri jusjurandum eſt ad condemnationem mortuorum , per quos jurat omnis idololatra . Simulque animadvertendum , quod jusjurandum hos habeat comites , veritatem , judicium atque juſtitiam , Si iſta defuerint , nequaquam erit juramentum , ſed perjurium .* Ergo Ciceronis & omnium antiquorum *jusjurandum* verbo non antiquiſsimo præferendum eſt .

LEGALITER , id eſt , ſecundum legem . Semibarbaro ævo Caſsiodorus lib. V. epiſt. 14. ſcripſit, *quidquid ſuper hac parte inique geſtum eſſe cognoverit , amotis dilationibus , legaliter ordinabit .*

LIGA , fœdus , fœderatio , Italico-Gallicum.

LONGANIMUS a Theologis introductum , ut exprimeretur μακροθυμος . Iſidorus lib. X. Orig. habet *Longanimis* . Par ratio eſt inde deducti *Longanimitas* *. Veteres aliter , Cicero poſt Red. c. 9. *in ulciſcendo remiſſior* . Val. Max. lib. I. cap. 1. *lento gradu ad vindictam procedens* . Ovidius Heroid. XVI. v. 249. *lentus in ira* : & ep. 3. v. 22. *ira lenta* .

Lu-

LUBRICITAS sine exemplo dicitur. Veteres latini hoc modo: Plin. 3. epist. 11. *in hoc lubrico ætatis*. Tacitus 14. cap. 56. *lubricum adolescentiæ*: & Annal. 1. cap. 65. *equi lubrico paludum lapsantes*. Idem Hist. 2. cap. 88. *ubi lubrico viæ procidissent*. Modestinus lege 7. Ad legem Juliam Majest. *nec lubricum linguæ ad pœnam facile trahendum est*.

MAGNALIA. Borrichius in Indice Prosodiæ: *Magnalia vox parum Latina est*. Vulgatus Interpres Act. 2. 11. usus fuit.

MAGNANIMITER, magno fortique animo.

MASTICARE non antiquissimi usus. Macer poeta de Re Herbaria carmine 71.

Istud si patiens jejuno masticet ore.

Compositum idem habet carm. 14.

. . . *Si quis commasticet illam*.

Malim cum antiquis *manducare*, *commanducare*. Seneca epist. 95. de cibis delicatioribus: *exspecto jam, ut manducata ponantur*. Scribonius Largus compos. 55. *Commanducare proderit herbam rhododaphnen, & salivam dolentibus* (dentes intelligit) *trajicere*. Idem compos. 53. *Cum dolor* (dentium) *urgebit, varie sedandus est, partim collutione quorumdam, partim commanducatione, nonnunquam suffitione aut impositione quorumdam*. Jo. Rhodius in Lex. Scriboniano: *Commanducatio, vulgo Masticatio*.

MATRICULA. Vegetius lib. 1. cap. 26. *Tirones secundum matriculæ ordinem in aciem dirigendi*. Adnotavit Stewechius: *pro Matricula Latinissimi dixere fere Album*. Occurrit etiam in Codice Justinianeo; vide cur. post.

MA-

MAXIMA Subst. in Topicis : præstat *canon*, *axioma*, *regula*.

MEDIATOR extra sacrum usum, qui de Christo μεσιτη est, non concessum purioris stili amantibus, qui *conciliatoris* vocabulum cum Nepote Attic. cap. 12. malunt : aut cum Cicerone ex lib. 1. ad Att. epist. 12. *pacificatorem* nominant, & officium ejus ex X. Fam. epist. 27. describunt, *se in pacificationem interponere*. Interdum *deprecator* idem est. Cæsar lib. 6. cap. 4. *usi deprecatoribus*. Cicero pro Sext. cap. 12. *deprecatores salutis meæ*. Eleganter quoque Tertullianus Resurr. Carn. cap. 51. de Christo μεσιτη : *Hic sequester Dei atque hominum*.

MELIORARE, hoc est, *facere meliorem*, *in melius referre*, postremis scriptoribus crebro usurpatum. Tamen etiam Ulpiano vindicatur. Lege 13. §. 5. de usufructu & quemadmodum *ei permittitur meliorare proprietatem*.

MENSURARE. Vegetius lib. I. cap. 25. *fossa mensuratur*. Inde *mensurabilis* Prudent. Apotheos. v. 884. *immensurabilis* Salvian. de Avaritia lib. II. p. 54. (ed. Rittershus.) Purius *metiri*, *metari*, *cujus non est mensura*.

MERIDIONALIS Gellio tribuitur lib. II. cap. 22. sed male, & emendavit ex manuscripto Salmasius *meridialem ventum* : addiditque in Exerc. Plin. p. 1148. *Vix puto dictionem esse Latinam Meridionale. Nec enim Meridio dicitur, ut Septentrio*. Livius lib. 38. cap. 20. *meridianus* substituit, *meridiana* dicens *regione*, *auf der Mittagsseiten*. Firmicus tamen II. Astrol. cap 12. *signum medionale* scripsit, nisi & hæc male sana scriptura est.

MI-

MINISTERIALIS, minister, ministra, ministrator, administer.

MIRACULOSUS ignotum veteribus, qui dicunt *mirabilis*, *mirandus*, *prodigiosus*.

MODERNUS Barthio judice ad Brit. p. 595. *barbara vox*. Nec audita, priusquam barbari Italiam occuparunt. Cassiodorus Præfat. Orthogr. *moderni cum rectius æstimarunt*. Jornandes Success. Regn. cap. 91. *modernus imperator*. Latina *hodiernus*, *recentior*, *nostri temporis*.

MONOCULUS ex utraque lingua mixtum. Rectius Plautus Curcul. act. III. sc. I. *unoculus*: & Solin. cap. 25. (al. 15.) *unocula gens*: & Gellius III. cap. II. ex Accio, *Cyclops unoculus fuit*.

MOMENTALITER. Fulgentius Myth. II. III. *Iris ornatus varios pigens arcuato curvamine momentaliter refugit*, hoc est uno momento temporis. Et cap. 4. *libido libet momentaliter*, *& fugit perenniter*. Cicero contra *puncto temporis*, Catil. 4. cap. 4. Nec *Momentaneus*, quod Tertulliani est Resurr. cap. 42. & ejusdem Fulgentii lib. II. Myth. cap. se probat Vossio: Borrichius tamen ex veteri Inscriptione conatur stabilire.

MORTIFICARE Vulgati Scripturæ interpretis & ecclesiasticorum.

MULTOTIES. Aldus, & æqualis ei Scheferus, & Frobenius, Livium excudentes, in Epitoma 57. expresserunt: *multoties contra ostium eruptiones feliciter pugnavit*. Inde in Lexica irrepsit, & quidem, quod in nonnullis observo, sub Livii auctoritate gloriosa, cum tamen epitomæ illæ Hadriani ævo superadditæ sint. Sigonius jam pridem

dem annotavit: *Vet. lib. Sæpe ad versus irruptiones nostrum*; quod *Sæpe* pro *multoties* etiam Gruterus & Gronovii retinuerunt. Legitur tamen *multoties* in Iustiniani Novellæ 29. præfatiuncula Latina. Quod ergo alia auctoritas allata non fuit, abstinemus hac voce, pro eaque dicimus *sæpe*, *sæpenumero*, & quæ his æqualia sunt.

NECESSITARE philosophorum est, v. g. *astra inclinant, non necessitant*. Latinis placet *cogere*, *necessitatem adferre*. Cæsar. III. Civil. cap. 77. *imponere necessitatem dimicandi*.

NEUTRALES. Vide infra in classe Notionum peregrinarum.

NOTORIE, manifeste, aperte. Ipsum Adjectivum *Notorius* est Juris potius, quam puræ & antiquæ Latinitatis vocabulum. Vid. Casaub. in Treb. Pollionis Claudium cap. 17.

NOVERCARI, id est novercæ more agere, adversari. Sidonius Apollinaris lib. 7. epist. 14. nove: *quorum imbecillitati quodammodo novercaretur*.

NULLATENUS exstat apud Fulgentium Mythol. Præfat. lib. II. & Cassiodorum sæpe. Etiam Lege 16. Cod. de testam. mil. Anastasius imperator: *nullatenus juris militaris habere facultatem decernimus*. Puriores omnes *neutiquam*, *nequaquam*, *nulla ratione*.

NUNTIUM substantive, quemadmodum Servius in Æn. 7. v. 456. scripsit, *quod nuntiatur, licet Neutro dicatur, tamen invenitur etiam Masculino*. Immo semper Masculino, v. g. Curt. III. cap. 7. *lætus nuntius affertur*; nec pro Neutro ad-

adhuc exemplum allatum eſt, quod clare & perſpicue illud demonſtraret.

NUSPIAM pro *Nusquam* novum & ad ſolam analogiam variatæ formæ *uſquam* & *uſpiam* videtur fictum. Scioppius contra Voſſ. num. 30. *Miror*, inquit, *quo auctore dicat Voſſius* : NUSPIAM LEGITUR, NUSPIAM EXTAT : *Vereor ne ipſum Nuſpiam exſtet nuſquam*. Ex Gellio autem fortaſſe *nuſpiam* probatur. H. Stephanus olim, & nuper Oiſelius atque Thyſius lib. 5. cap. 4. ediderunt; *Librarius in quodvis pignus vacabat, ni in una nuſpiam littera delictum eſſet*. Sed res incerta eſt. Nam P. Moſellani 1533. & Lugdunenſis editio 1555. exhibent: *ſi in una uſpiam littera delictum eſſet*. Gronovius pater ad h. l. *Illud* NUSPIAM *meliori ætate ſermonis Latini nusquam; nec Gellium id delicare voluiſſe credibile eſt*.

OEVIARE, ut *Deviare* cadentis Latinitatis verbum. Uſi ſunt eo Macrobius, Vegetius, Hieronymus, Mamertus, ut in Cur. Poſterior. notatum fuit. Bedam addo lib. III. cap. 22. Hiſt. Angl. *obviavit ei antiſtes*. Salluſtianum teſtimonium ex Jugurth. cap. 5. dudum a doctis refutatum fuit, quia meliores libri habent *obviam itum eſt*, non *obviatum*. Alii etiam omnes purioris ævi *obviam ire* dicunt.

OCULARITER eſt ex Latinitate Sidonii Apollinaris. Melius *luculenter*, *ipſo intuitu*, *oculorum judicio*.

OSCITANTIA ſine auctore in uſum recepta fuit. Veterum eſt *oſcitatio*. Plinius 7. cap. 6. *oſcitatio in enixu letalis eſt*. Gellius 4. cap. 20. *oſcitatione evinci*, id eſt invitum & præter volunta-

tem oscitare. Nec repugnat hoc nomen translatæ significationi pro vitio supinæ negligentiæ. Huc enim referri possunt versus Papinii Statii ex lib. 4. Silv. 9.

Sed Bruti senis oscitationes
De capsa miseri libellionis
Emtum plus minus esse Cajano
Donas.

hoc est, librum oscitanter & negligenter elaboratum.

PACATE, adverbium, quod ex Cæsaris lib. I. B. Gall. adferunt, non repertum est. Augustinus autem Soliloq. lib. II. cap. 7. extr. *pacatissime* dixit.

PACIFICE, itidem ab Vossio & Borrichio rejectum, Cypriani est epist. 44. extrema, ed. Angl. *Si*, inquit, *pacifice sibi ac fideliter consulant*. Cicero pro utroque *tranquille* dixit. Lib. 5. ad Attic. epist. ult. *Ex idibus Majis iu Ciliciam, ut ibi Junius consumatur. Velim tranquille a Parthis.*

PATRIALIS obtinet vulgo, sed contra morem veterum, *Particularis* est Apuleji lib. III. de Philos. habitudine, cui tanquam philosophicum verbum alii relinquunt: *Particulariter* Jul. Firmicus lib. 5. cap. 1. dixit, & sæpe *Partilis*, unde hoc in Astrologorum scholam receptum est.

PECCAMINOSUS sine auctore dicitur. *Peccamen*, unde illud derivatur, est Prudentii in Romano *v.* 517.

PERPENDICULARITER. sine suffragio veterum. Plinius 35. cap. 14. *si ad perpendiculum fiant* pa-

rietes. *Perpendiculare*, ἐπικάθετον, in Glossis vetustis est.

PHLEGMATICUS Vossius & Borrichius repudiant, maluntque *cui pituita molesta est*, *pituita abundans*.

PINNACULUM. Ita Vulgatus Matth. 4. & Tertullianus adv. Judæos cap. 8. Ceteri, antiquiores præsertim; *pinnas* vocant illam murorum, turriumve summitatem.

PLAUSIBILITER non dices, sed *cum applausu*. Voss. & Borrich.

POMPOSE, splendide, magnifice. Sidon. Apoll. lib. 9. epist. 9. *pompose scribere*. Nec adjectivum *pomposus* probatur eruditis.

POROSUS nusquam invenio, apud optimos autem *fistulosus*, ut *lapis fistulosus*, Pallad. lib. 1. cap. 10. licet hoc magis internos meatus; *porosus* vulgo exteriores significet.

PORTATILIS, ut *Horologium portatile*, vulgare quidem, sed ignotæ auctoritatis verbum. Pari modo Cassiodorus machinam; quam vulgo Globum cœlestem vocamus, adpellavit lib. 1. epist. 45. *cœlum gestabile*, quod præsidium habet in Plinii *ingestabilis* lib. 7. cap. 6.

POSITIVUS mere philosophicum. Sic *lex positiva*; quæ naturali superadditur.

PRÆNOMINATUS male: *prædictus*, *supra dictus*, *ante dictus* optime. Quid autem censendum de tritissimo *præfatus*? Justinum Lexica arcessunt, sed perperam, quia lib. 38. cap. 11. correctiores codd. omnes habent *præfectorum*, non *præfatorum*. At vero Cælius Apicius lib. 4. extremo dixit: *liquamen temperabis*, & *cucurbitulas jam*

præfatas, *non plene coctas*, Et Arnobius lib. 5. p. 176. *Partes*, *quas inter aures capas sine venia nefas est ac sine honoribus adpellare præfatis*: sed Passive plerique, hos nolim imitari.

IMPRIMIS pessima, & nostro sæculo inepte ex PRÆ*sertim* ac *in* PRIMIS (ad imitationem proborum *præ ceteris*, *præ omnibus*) commixta & confusa vocula. Nihil ea frequentius in triviali sermone; nec doctiores ea plane abstinent. Ejus fordes Jo. Andream Bosium τον μακαριτην detestatum esse amici per litteras significarunt. Post Cl. Vorstius editione secunda libelli de Susp. Lat. in eamdem invectus est. Præter hos neminem scio, qui quidquam olim de illa monuerit. Adeo grata multitudini barbaries est. Latine *inprimis*, *cumprimis*, *præsertim*, *maxime*, *præcipue*, *potissimum* dicimus, licet hæc quidem omnia ejusdem valoris non sint, & imperite sæpe ex iis quædam confundantur.

PRÆSERVARE non observamus apud Classicos: in usu medicinali substitui fortasse potest *adrepentem morbum antevertere*, *officium ægroti*, *adhibita medicina*, *cum sani sumus*, *præsumere*. Generatim, ut Galli & Itali utuntur, reddi potest, *servare*, *conservare*, *tueri*.

PRÆSUPPONO, nec hujus verbi auctoritas elucet. Quocunque ergo modo præstat circumscribere.

PRIMICERIUS medii ævi, aut inferioris. Usi sunt Ammianus lib. 18. cap. 6. Hieronimus epist. 61. Paulus Diaconus 4. Langobard. cap. 34. Vegetius II. cap. 22. & hujus ordinis alii, quibus omnibus est dignitatis nomen, militibus, notariis, mo-

monachis commune. Veteres *princeps*, *præcipuus*, *primarius* dicunt.

PRIMORDIALIS Ammianus lib. 30. ineunte dixit: & Claud. Mamertus de Anima lib. II. cap. 5. *primordialiter* formavit. Valet idem, quod veterum *primus*, *primigenius*, & æqualia. Vossius describit, *ad primordia rei pertinens*.

PRIORITAS, ratio, qua quid prius est.

PRIVILEGIATUS. Stephanus vel Cælius in Foro Romano: *Privilegiarius dicitur, cui aliquod privilegium concessum est. Vulgo ab indoctis privilegiatus nuncupatur*. Ulpianus Dig. lege Sed an hic detrahi debeat, *recte dicetur, occupantis meliorem esse conditionem: nisi si quis privilegiarius veniat. Hujus enim non sine ratione prioris ratio habebitur*.

PRODIGALITAS. Ethicis nova vox subnata fuit, dum fœdam & veterem rem abominati sunt. *Prodigitas* Lucilio est apud Nonium: & *Prodigentia* Tacito lib. 13 cap. 1. Neque *Prodigalis* adjectivum satis probatum est.

PROFICUUS ad postremam Latinitatem pertinet. Cassiodorus lib. 1. epist. 39. *quibus mora potest esse proficua*. Lupus Ferrar. epist. 4. adjungitur in Fresniano Glossario.

PROFUNDITAS verbum, quod Macrobius pæne in deliciis habuit. Ante hunc qui usus fuerit, præter Vopiscum, neque hunc antiquissimum, observavi neminem. Frisci Latini it; Valer. Max. 9. cap. 6. *profundum puteorum*; idem 1. cap. 10. *profundum miseriarum*: Solinus de Ægypto, *profundo fontis immersus*: idem de Cilicia, *profundum terræ*: Gellius II. cap. 30. *aquarum profunda*.

Etiam epitheti patiens eſt ſubſtantivorum more, Seneca Suaſ. 1. *immobile profundum*.

PROLONGARE, barbarum: Latini *prorogare*. Cic. lib. 11. epiſt. 8. extr. *ne tempus nobis provincia prorogetur*. Falſo Seneca & Plinius patroni impuro verbo advocantur. Vide noſtrum Lexicon.

PROMANARE, quod vulgatum eſt noſtro tempore, priſcis Romanis ignotum fuit, qui dixerunt *emanare*, *permanare*, *profluere*. Seneca allegatur a nonnullis, qui lib. de Conſtantia Sap. cap. 18. dixerit *ſermo promanaverat*: ſed res ipſa poſcit, & veteres, novi codices adprobant legendum eſſe tribus vocibus *pro manu erat*.

PROMTITUDO referendum in cenſum *certitudinis* & *aptitudinis*; & dudum illud atro calculo notavit Goclenius Obſerv. Lat. Linguæ. Cicero vocat *propenſionem*; *alacritatem*; *promtum animum*. Lib. III. epiſt. II. *tuum promtum animum & alacrem perſpexi ad defendendam rempub.*

PROPALARE quanti æſtimandum ſit, ex auctorum ætate cognoſcitur, Oroſii; cujus eſt 6. cap. 5. *propalata veritas*: Claud. Mamerti qui lib. 1. cap. 8. *iſta pagina propalatur*. Addo Apollinarem lib. 9. epiſt. II. dicentem, *propalare diſſimulat*. Quibus cordi eſt ſtylus emendatior, malunt omnes *divulgare*, *evulgare*.

PROPHETARE eccleſiaſticorum proprium: vide Cur. Poſteriores. Latini *vaticinari*, *prædicere*.

PROPORTIONALIS eſt proportionem ſervans. Julius Firm. lib. 4. cap. 13. habet *proportionatus*. Cadit etiam Adverbium *Proportionaliter*, id eſt, pro rata parte, pro facultatibus cujuſque.

PROTECTIO. Salvianus lib. 6. p. 238. (Ritter-

tersh. ed.) *ad obtinendam ejus perpetuo protectionem, nosmet ipsos Deo sacrificamus*. Qui pure scribunt, habent *defensio*, *præsidium*, *clientela*, *patrocinium*. Nomen PROTECTOR pro defensore generaliter dixit Tertullianus Apologetico cap. 6. *religiosissimi legum & paternorum institutorum protectores*. Sed de hoc infra pluribus.

PUNCTARE, vel PUNCTUARE, id est *punctis notare*, & specialiter *puncta vocalia adjicere* litteris nempe Orientalium.

PUSILLANIMUS & PUSILLANIMIS: Claudianus Mamertus lib. 1. cap. 20. *ingentis corpulentiæ pusillanimes*. Habent etiam Glossæ: sed nemo, quod sciam, ex classicis scriptoribus. Par ratio est derivatorum *Pusillanimitas*, *Pusillanimiter*. Latina sunt *timidus*, *timide*, *fracto & humili animo*, & cetera horum similia. Cicero pro Arch. cap. 12. *An vero tam parvi animi videamur esse omnes?*

QUANTOCIUS pro *quam primum*, impurum judice Vossio. Sulp. tamen Severus III. Dialog. cap. 5. dixit, *discede quantocius*.

QUERCINUS male: bene *Quernus*.

RATIFICO rejicit Vossius, & præfert *Ratum facio*. Addo *ratum habere*. Cic. pro Rosc. Com. cap. 1. *Quis hoc frater fratri, quis parens filio tribuit, ut, quodcunque retulisset, id ratum haberet*. Peræque damnatur.

RATIFICATIO, cui suffici potest *Ratihabitio*, quod sæpius occurrit D. lege 6. de negotiis gestis.

RECENTER non novissimum est, nec tamen valde probatum. Borrichius cum Vossio proscripsit, nec de restitutione ejus magnopere laborandum est. Dicam tamen, qui causam ejus suscipere possint

ne

ne putes nullos esse, sicut auctor Fori Rom. scripsit, se nullum exemplum reperisse. Cælius Apicius de Re Culinaria lib. 1. cap. 1. extrem. *olivas de arbore recenter sublatas in illud mittito*. Macer de Re Herbaria Carm. 11. sive de Betonica:

Cum sale contritis foliis cataplasmate facto
Ulnera curabis, fuerint quæ facta recenter.

Adde Palladium in Curis Posterioribus nostris. Verum, quia ceteri fere omnes, & quidem præstantissimi auctores *Recens* dicunt, aut Plur. *Recentes*, hos potius, quam Apicium, veterem quidem, sed plebejum; quam Macrum, dubiæ ætatis scriptorem, sequi & imitari præstat: e. gr. Virgil. 3. Georg. vers. 156. *Sole recens orto*. Silius 4. vers. 474. *imbre recens fuso*. Cicero Att. 16. epist. 7. *Rhegini quidam illustres homines eo venerunt Roma sane recentes*. Suetonius Tib. cap. 1. *Gens Clodia Romam recens conditam commigravit*. Sed hæc contra Positivum *Recenter*: Superlativo præsidii plus in Plinio est, qui lib. 13. lib. 23. cap. dixit, *recentissime stercorata solo*.

RECOMMENDARE, pro *commendare*, sine sordibus dici nequit. Sapit Gallicismum.

RECOMPENSARE ejusdem sortis est. Nam & hoc loco simplex *compensare* sufficit.

RECTITUDO elegantissimo cuique scriptori ignota vox. Habent tamen Augustinus epist. 9. sub fin. *rectitudo fidei Christianæ*: & Cassiod. Orthogr. *rectitudo scribendi*.

REDHOSTIMENTUM aut non est purum, aut obsoletum. Usus est Baudius Cent. 1. epist. 1. *nec tua fors rhedostimentum desiderat*. Habet quidem

Sex.

Sex. Pompejus Festus lib. 16. *redhostire*, quod exponit *gratias referre*, ex Nævio & Accio: & Plautus Asinar. act. 1. sç. 3. *hostimentum*, & act. 2. sc. 2. *hostire*; verum hæc in obsoletis scribenda.

REFRIGERIUM ecclesiæ scriptoribus non insolens vox est. Tertullianus, Hieronymus, Orosius aliique adhibuerunt: vid. Cur. Posier. Verum quotcunque amant stili integritatem, *refrigerationem* anteponunt. Sic Cicero Senect. cap. 14. *Me delectat refrigeratio æstate*. Columella lib. 11. cap. 1. *auræ refrigerationem captavit*.

RESIPISCENTIA Christianis idem, quod *pœnitentia* ecclesiasticæ notionis, seu *emendatio vitæ*, & *reditio ad meliorem frugem*. Silent de eo monumenta veterum. Nec obscure Lactantius lib. 6. cap. 24. significavit, insolentius verbum sua ætate fuisse.

RESISTENTIA barbare: Latine *repugnantia* dicitur.

REITERARE & REITERATIO non Latina sunt. Albertus Aquensis 4. cap. 12. *ad obsidionem reiteraret*. Sed etiam Quinctilianus & Apulejus patroni horum laudantur: perperam. Nam Fabii castigatiores codd. 11. cap. 2. habent, *crebra iteratione firmentur*, non *reiteratione*: & Apulejus 8. de Asino post principium, ex Pricæi accurata editione, quæ Oxoniensi manuscripto, etiam in hoc ipso verbo, respondet, *iterans*, non *reiterans*. Quid enim opus compositione, ubi simplicia satisdant? præsertim cum ipsum verbum *iterare* per se significet, quod addere debebat Præpositio.

RESPECTIVE, comparate: aut utrumque distincte

cte exprimatur, quod adverbio hoc dividendum in sensu erat.

Revisio, recognitio rei judicatæ. Voss.

Revolutio. Et hujus latet auctoritas. Vossius supponit *conversio*.

Rigorosus & adverb. Rigorose barbara sunt & ad Italicam & Gallicam potius, quam Latinam linguam pertinent, cujus sunt *Rigidus* & *Rigide*, significatione eadem.

Sæpiuscule sine auctore dicitur pro *sæpe*, *sæpenumero*. Etiam Apuleji *sæpicule*, quod ex Plauto hausit, parum gratiæ habet.

Salvifico ecclesiæ verbum, non veterum latinorum, de quorum sententia dixeris *servare*, *salvare*, *salvum reddere*.

Sanctificare ejusdem census est. Borrichii periphrasis est: *profanis curis eximere*, *sanctum esse jubere*.

Scandalum, Scandalizare. Et hæc in ecclesia, & quidem ex stilo Novi Testamenti Græci, originem habuerunt; saltem usum frequentiorem. An Græci profani etiam usurpaverint; in medio relinquit Vorstius; diligentissimus idiotissimorum hujusmodi examinator. Supplemus ita: *impedimentum pietatis*, *irritamentum malorum*: *corrumpere juvenes*, *pejorem reddere*: *conscelerare alicujus aures*, quod Livius habet lib. 40. cap. 8. aut ex Ovidii 2. Trist. v. 503. *incestis temerare vocibus aures*. Epitheton scandalosus pro eo, quod est offensioni, quod offendit tenellas aures, ne quidem in antiqua ecclesia ita frequens est, ut hodie solet esse.

Scibile, quod scientia comprehendi potest.

Scor-

SCORTATIO apud clafsicos non reperitur, fed poftremo latinitatis tempore ex analogia forfan fi-ctum fuit. Apulejus lib. 5. p. 171. dixit *montanum fcortatu feceffiffe*.

SECRETE non eft latinum, fed *Secreto*. Cic. Att. 7. ep. 8. *fecreto collocuti fumus*.

SEPTIMANA fubftantive medio aut vergente ævo dici cœpit. Cod. Theod. lege 5. de Spectac. Valente & Gratiano Augg. *Dominico, qui feptimanæ primus eft dies*. Veterum eft *Hebdomas*, vel *Hebdomada*; quanquam altera forma *hebdomada* Manutio ad locum Ciceronis, jam proferendum, minus placet Cicero 16. epift. 9. *ne in quartam hebdomada incideres*. Addo ex fæculo, quo jam *Septimana* in ufum loquendi venerat, Hieronymum, qui epift. 22. cap. 3. *repugnantem*, inquit, *carnem hebdomadarum inedia fubjugabam*.

SERIOSUS Italifmus: Latine *Serius*. Adde quæ ad Mirandulæ epift. 2. notavimus.

SITUARI, SITUATIO funt barbarici ævi, Italis recentioribus, quam antique latini. digniores. Lexica quidem ad Florum provocant, & ex ejus lib. 2. cap. 18. hæc referunt: *Numantia editio in tumulo apud flumen Durium fituata*: & ita antiquæ editiones Flori exhibent. Verum impuram vocem expungi curarunt diligentifsimi editores Vinetus, Gruterus, Freinfchemius, Salmafius, & hos nuper fecutus Jo. Georg. Grævius, decus eruditorum ordinis, qui finguli *fita* pofuerunt, non *fituata*. Verbum enim & participium latine reddimus *fitum effe*, *poni*: fubftantivum *pofitio loci*. Plinio Trajanus lib. 10. epift. 59. *fi loci pofitio videtur hoc defiderare, ædem Matris Deum transferre potes*.

Plin.

Plin. 5. epist. 6. *regionis forma* , & *regionis situs*. Cicero 2. epist. 10. *natura montium fretus* . Et quod barbare vocant bonam situationem, Plinio lib. 2. epist. 17. *est opportunitas loci*.

SOPHISTICARI, sophistas imitari; captiose disputare.

SORDITIES, sive squalorem intelligas, sive avaritiam, non opus est nova voce, cum vetus *sordes* sufficiat.

SORTILEGIUM, id est, Sors, non reperitur: at *sortilegus* est Ciceronis lib. 1. de Divin. cap. 58.

SUBALTERNUS, SUBALTERNARE barbara. Hoc reddi volunt *alternis superiorem & inferiorem esse*: illud *secundarius*, *inferior*. Adverbium *Subalternatim* æque sordidum est.

SUBINTELLIGO scholasticum verbum: Latinum *subaudio*. Ascon. Pedianus in Verrinam, quæ Proœmium vocatur: *Ad singula subaudiendum est*. Idem de Præt. Vrb. *subauditur Accessi* ἀπὸ κοινȣ.

SUCCESSIVE philosophicum: Latinum *progressu temporis*, *diverso tempore*. Male a quibusdam Spartianus in Caracalla allegatur, utpote in cap. 8. non *successive* sed *successisse* scripsit.

SUCCURSUS itidem barbaricum. Romani id genus militum vocabant *auxiliares*. Festus de Verb. sign. *Auxiliares dicuntur in bello socii Romanorum exterarum nationum*: & alia forma Liv. 40. cap. 40. *tria millia militum auxiliariorum*.

SUFFICIENTIA, quod Tertullianus, & Vulgatus interpres, aliique in ecclesia nati scriptores usurpant, non videtur Vossio esse satis Latinum verbum.

SU-

SUPERIORITAS non dicam, nisi persuasus aucto- ritate veteris scriptoris, quae adhuc frustra quaesita fuit. *Summitas* melius, quo Palladius usus est: optimum *fastigium*, *praestantia*.

SUPERNATURALIS, antiquo exemplo vix defendi poterit. Hinc judicabis de Adverbio *Supernaturaliter*, pro quo fortasse ponemus *extra ordinem naturae* seu *universitatis*. Tertullianus dixit *Extranaturalis* de Anima cap. 43.

TOTALITER. Censores abjiciunt: *penitus*, *plane*, *omnino* commendant. Neque adjectivum *Totalis* probatum est, neque opus est eo nobis, cum praesto *Totus* sit, & rei significandae sufficiat.

TREMULARE itidem novum aut barbarum: probatum & vetus est *tremere*.

VACANTIA sine exemplo antiquitatis, quae habet *Vacatio*.

VALEDICTORIUS, e. gr. oratio valedictoria, ad Artis vocabula referri potest: nec analogia favet, quod *benedictorius* aut similia abhorrent latinae aures.

VASALLUS barbara vox, quam Vossius latine reddi vult *cliens fiduciarius*.

VEGETATIVUS, quod viget, quod vivit primi ordinis anima.

VENDICARE nihil est: scribe *vindicare*.

VERIFICO philosophorum scholis relinquitur.

VERNALIS, hoc est vernus, ad ver pertinens, quo auctore dicatur, Lexica non produnt. Nos aliquos damus. Augustinus 7. Civ. Dei cap. 25. *propter vernalem faciem terrae, quae ceteris temporibus est pulchrior*. Venant. Fortunatus lib. 8. carm. 9. *tempore vernali*. Servius ad Georgic. 1.

v. 103,

v. 100. *vernali & æstivo tempore*. Sed hi omnes posterioris ævi. Est & antiquum *vernalis*, verum a *verna*, non a *ver* vel *vernus*; ut ex inscriptione veteri, & Horatii *vernaliter* 2. Satyr. 6. v. 108. Curis Secundis probavimus. Illud autem idem est, quod *vernilis*, *verniliter*, quod Nonius *adulatorie* interpretatur.

VICTUALIA, hæc sunt commeatus & alimenta, Vulgatus interpres dixit 2. Macc. 3. & Cassiodorus lib. 4 epist. 5. *In Gallicana regione victualium cognovimus caritatem*, quod elegantius nuncupasset *annonæ caritatem*. Epitheton *Victualis* etiam Apulejus habet, sed sine applausu eruditorum.

VIRTUOSUS pessime a multis dicitur *honestus*, *virtute præditus*, seu *summa virtute homo*.

VISIBILITER. Paulus Diaconus in Anastasio: *veniente subito ignito cælitus jaculo visibiliter combustus est*: hoc est, in oculis & conspectu omnium. Adjectivum bonum est auctore Plinio lib. 11. cap. 37. dicente, *oculi seu vasa quædam*, *visibilem ejus* (animi) *partem accipiunt atque transmittunt*. Idem tamen verbum eleganter ita describit Cicero lib. 2. de Orat. cap. 87. *omnes res*, *quæ sub adspectum veniunt*.

VITUPERIUM negat Goclenius Latinum esse. Omnes enim bonæ notæ scriptores *vituperatio* dicunt, non *vituperium*. Cicero lib. 13. epist. 73. *mihi persuadeo*, *eam rem laudi tibi potius*, *quam vituperationi fore*. Atque ita constanter alibi idem Tullius. Gruterus autem contendit in quibusdam codd. lib. 2. de Legib. cap. 10. *vituperium* reperiri.

VIVIFICARE Theologis usitatum & Patribus: Cicero-

ceronis sunt pro Mil. cap. 29. *ab inferis excitare*, *ab inferis revocare*, *vitam cujus restituere*. Adjectivum *Vivificus* habet Ammianus Marcellinus lib. 21. cap. 2.

VNANIMITER mediæ ætatis Adverbium, quo cum primis usi sunt Christiani scriptores. Etiam Vopiscus in Tacito cap. 4. *quod me unanimiter delegistis*. Veteres aliter. Cicero 15. epist. 9. *omnes uno prope consensu*. Livius 9. cap. 31. *conniterentur modo uno animo omnes in adire hostem*. Idem 21. cap 45. extr. *uno animo, & voce una*. Seneca epist. 81. *Omnes uno ore affirmant*.

VNIGENITUS extra sacrum usum, quo μονογενὴς ita vertunt Theologi, non reperitur, sed vel *filius unicus*, pro Rosc. Amer. cap. 14. vel *unigena* virili genere; de Vniverso cap. 4. *singularem Deum hunc mundum atque unigenam procreavit*.

VXORATUS, hoc est *qui duxit uxorem*, citra consensum antiquitatis introductum est.

* In hunc censum plura referri possunt, præsertim ecclesiastica vocabula, quæ jam silentio prætermittimus, quod partim per se nota est illorum latinitas; & facile a quovis in meliorem faciem circumlocutione aut alio modo transformari possunt; partim quod Curis Posterioribus peculiari classe recensuimus, quæ singula repetere & huc transcribere nihil attinet. Ad alia properamus.

CAPUT II.

De Vocabulis auctoritatis mediæ.

HActenus de iis actum fuit, quorum vel nulla vel subobscura auctoritas erat: sequuntur, quæ quidem non sunt extra latinitatem; non autem a Cicerone & æqualibus, sed a posterioris ævi scriptoribus, cum inclinaret latinus sermo, introducta: aut si antiquiora sunt, raro tamen & caute ab antiquis usurpata, quibus id propter timide & rarius etiam nobis utendum est, a quibusdam etiam, si caste loqui volumus, penitus abstinendum.

Absque pro *sine* in omnium ore hodie est, ut ejus usu crebriore, alterum *sine* pæne insolens videatur. Non ita fuit in antiquo Latio. Jo. Vorstius cap. 9. Lat. merito susp. *Æxo*, inquit, *Ciceronis Absque pro Sine usurpatum haud invenias*. Velim dixisset vir clarissimus, *haud facile invenias*. Invenitur enim lib. 1., de Inventione cap. 36. *Est autem quædam argumentatio, in qua propositio non indiget adprobatione: & quædam in qua nihil valet absque adprobatione*. Hoc autem verissimum est, raro admodum τo *Absque* illo antiquo ævo, si Comicorum propriæ formulæ excipiantur, usurpatum esse, adeo ut neque in argentea latinæ linguæ ætate facile illud reperias: Reperi semel apud Quinctilianum lib. 7. cap. 2. *absque sententia*, hoc est sine proæresi. Deinde ostendit Vorstius, nec a sequioris ætatis scriptori-

bus

bus pro *sine* sæpius, frequenter autem pro *præter*, *extra*, adhibitam illam voculam fuisse. Sic Orosius lib. 2. cap. 16. *octoginta naves captæ, absque his, quæ in conflictu incensæ demersæque perierunt.* Symmachus lib. 2. epist. 35. *absque paucis, qui me secuti sunt*, id est, præter hos; præter paucos. Vides ergo sine ratione *Absque*, quod rarum erat, veterum usitatissimo *Sine* hodie anteferri.

ACCENSEO Lexica vel non habent, vel, si ejus mentionem faciunt, quo auctore probetur, non referunt. Hodie tritissimum est pro *adnumerare*. Nonius Marcellus in Accensi: *Accensi, qui his accensebantur, id est, attribuebantur*. Et quia Varronis quædam verba ex lib. 3. de Vita Pop. Rom. subjecit, factum puto, ut Varronis nomen in quibusdam lexicis apponeretur verbo *Accenseo*.

ACQUISITIO, hoc est, *comparatio*, priscis temporibus non ita usu tritum fuit, ut nostro sæculo. Rarissima sunt hujus exempla apud veteres. Jul. Frontinus de Aquæductibus lib. I. *Adjuvatus* (fons Aquæ Virginis, quæ Romam derivatur) *ex compluribus aliis acquisitionibus*. Ex medio aut vergente ævo sunt verba Institut. Justinian. lib. III. tit. 11. §. 3. *Nos eandem acquisitionem, quæ per arrogationem fiebat, coarctavimus ad similitudinem naturalium parentum.*

ADVERSITAS suspectum erat Vossio: latinum autem est, sed qui præter Plinium lib. XI. cap. 25. eo usus sit, neque a lexicorum auctoribus, neque a Vossii censore Borrichio adnotatum est. Plinii verba de scorpionibus hæc sunt: *magnam adversitatem oleo mersis & stellionibus putant esse*. Ceteri se-

fere in eo sensu, quo hodie *ad ersitates* nominamus, vocant *res adversas*, *dubias*, *turbidas*, etiam Sallustius Catil. cap. 10. *res dubias & asperas*.

ALIQVANTA Plural. pro *Aliquot*. Barthius Advers. lib. XXV. cap. 15. *Voce* Aliquanta, *hoc est*, aliquot *cadens Latinitas usa est*, *licet de numero non parvo saepius*. Non autem de postremis id temporibus intelligas, nec de mediis tantummodo, quibus Spartianus in Hadriano cap. 7. scripsit, *pessimis aliquantis multa largitus est* & Orosius III. cap. 13. *per aliquantas Graeciae civitates*; verum ineunte quoque casurae latinitatis aetate, id est, sub Hadriano Principe Palladius, alioquin comtus & elegans auctor, lib. I. cap. 19. *aliquantis diebus* dixit: Antiquiores omnes *Aliquot*.

ANTERIOR. Unus Caesar, quantum scimus, ex omni antiquitate hunc Comparativum tueri potest, cum scribit lib. III. Civil. cap. 63. *naribus circumvecti milites in anteriorem vallum tela jaciebant*, si modo tuta illa scriptura est. Nam Petrus Ciacconius mavult *exteriorem*, idque se in veteri libro reperisse testatur. Reliqui testes sunt posterioris aevi. Symmachus VI. epist. 59. Sulp. Severus I. Hist. cap. 52. etiam Priscianus lib. III. Grammat. sed hic sine mentione auctoris. Neque analogia satis favet. Comparativi enim in ERIOR, in Positivo *R* requirunt, ut *citra*, *ultra*, *supra*, *infra*, *posteri*: quale *R* in *Ante* non est.

BREVIARIVM improbat Seneca epist. 39. ut novum & vulgare: ipse mavult *Summarium* Nihilominus Plinius VII. cap. 26. & Suetonius Galb. cap. 12. eo usi sunt, ut inter sordida abjicere haud liceat.

CAL-

CALCULARE Martialis lib. X. epigr. 62.

Nec calculator, nec notarius velox.

Hinc tuentur verbum *calculare* (hoc eſt, computare, ſupputare) quod vix apud alium invenias, quam Sidonium Apollinarem lib. IX. ep. 7.

CAUTELA, hoc eſt, *cautio*. Dig. lege 15. de procurat. & defenſor. *duplici cautela interponenda*, ad quem locum Gothofredus: *Hæc verba videntur eſſe Triboniani, ejus enim ſtilum redolent: cautelam enim dicit pro cautione*. Etiam lege 6. Dig. de pigneratitia actione Pomponius: *prius idonea cautela a debitore pro indemnitate ei præſtanda*.

COÆTANEUS. Apulejus lib. VIII. Metam. *illum amicum, coætaneum, contubernalem, fratrem denique*. Tertulliani, Hieronymi, Iſidori teſtimonia habent curæ poſteriores. Qui his antiquiores ſunt, vocant *æqualem, ejuſdem ætatis*. Cicero Senect. cap. 4. *adoleſcens ita dilexi ſenem, ut æqualem*. Corn. Nepos in Epam. cap. 2. *ut adoleſcens triſtem & ſeverum ſenem omnibus æqualibus ſuis in familiaritate antepoſuerit*. Plinius lib. VI. ep. 21. *Menandrum aliosque ætatis ejusdem æmulatus*.

COÆVUS. Eadem hujus ratio eſt, quæ fuit vocis *coætaneus*. Æmulatur antiqua *primævus, æquævus*. Prudentius hymno Epiphaniæ:

Inter coævi ſanguinis
Fluenta ſolus integer
Ferrum quod orbabat nurus
Partus feſellit Virginis.

Qui Ciceroni attribuunt, falluntur, dum in Vatin. cap. 15. ex *coquos* faciunt *coævos*: vide Lambinum.

COELITUS, οὐρανόθεν, Prudentius, Lactantius, Hie-

Hieronymus, Orosius, Ammianus habent, horumque æquales. Pauca sufficiant exempla: nam plura in curis secundis dedimus. Prudentius καθημ. XII. sive Hymn. Epiphan.

O sola magnarum urbium
Major Bethlem, cui contigit
Ducem salutis cœlitus
Incorporatum gignere.

Et in martyrio Cypriani:

Spiritus ille Dei, qui fluxerat auctor in prophetas,
Fontibus eloquii te cœlitus irrigavit.

Ammianus lib. XXII. cap. 12. *figmento Dea cœlitus lapso*. Priscis temporibus *divinitus* dicebant, aut *de cœlo*.

COMPLICES pro *facinoris sociis* Prudentius semel & iterum dixit, e. c. in Romano v. 822.

. . . . *complices secta impiæ*.

Adde dicta posterioribus curis. Cicero id generis homines describit Catil. I. cap. 3. *fore in armis C. Manlium, audaciæ satellitem atque administrum tuæ*: & cap. 4. *convenisse eodem complures ejusdem amentiæ scelerisque socios*.

COMPUTUS. Hæsitavi, an in primam classem hoc verbum rejicerem, quod invenire non potui, qui ante Jul. Firmicum, Constantini ævo mathematicum, illo usus fuerit. Ceteris idem sonat *computatio*.

CONFISCARE verbum quo cum primis Suetonius delectatus est. Proprie, in arca reponere. Aug. cap. 102. *quam summam confiscatam repositamque habuerat*. Deinde, in fiscum principis redigere. Idem in Calig. cap. 41. *tum duos equites Rom. sine*

ſine mora corripi confiſcarique juſſiſſet, id eſt, bona illorum in fiſcum redigi. In Foro Rom. etiam Aſconius advocatur, verum in Proœm. Act. Verr. cetera quidem verba habentur, ſed abeſt *confiſcare*. Inde ductum nomen *confiſcatio*, quod Florus habet lib. III. cap. 9. Malunt alii *facultates alicujus in publicum conferre*, *in ærarium redigere*.

CONGRUUS, CONGRUE, illud Palladii eſt & Apuleji, & ſequiorum, ut Prudentii καθημ. XI. v. 110.

Meritis rependet congrua:

Hoc Solino attribuitur, quamquam incerte, quia variat ſcriptura, & pro *congrue* Salmaſius legit *congruæ*, ſcilicet exſequiæ: vide poſter. cur. Antiquiores amant *congruens*, *congruenter*.

CRUCIFIGO notiſsimum verbum, quod Plinio, Suetonio, Hygino tribuitur. Iſte lib. VIII. cap. 16. *leones in Africa crucifixos* ſcribit: ille in Domit. cap. 10. *crucifixis librariis*, & cap. 11. *crucifigeret*: hic Fab. CXCIV. *quos rex juſſit crucifigi*. Verum ad Suetonium notavit ὁ πάνυ Grævius: *Hoc vocabulum ignorant veteres ſcriptores probati: a Chriſtianis deſcriptoribus hic & alibi inculcatum. Scribendum ex veſtigiis codicum Torrentii* (Suet. cap. 10.) *cruci affixis*. Etiam cap. 11. laudatus vir edidit *cruci ſuffigeret*. Et quid dubitamus? in innumerabilium ſuppliciorum deſcriptione veteres ne ſemel quidem hoc verbo uſi ſunt, ſed *in crucem agere*, *in crucem tollere*, *cruci affigere*, *ſuffigere* &c. ſemper dixerunt. Origo ergo vocis ex Eccleſia potius eſt, quam e Latino antiquo.

DECOLLARE pro *caput amputare*, jam tum Ne-

ronis aevo dici coeptum. Seneca de morte Claudii, *quo* (gestu) *decollare homines solebat*. Suetonius Calig. cap. 32. *miles decollandi artifex quibuscumque e custodia caput amputabat*. Antiquiores: *securi ferire*, *securi subjicere*, *collum cervicibus abscindere*, & quae his affinia sunt.

DECREMENTUM vulgo magis, quam vere eruditis probatur, quia perrarum vocabulum est, nec alium, qui id receperit, adhuc cognovimus, quam A Gellium, cujus lib. III. cap. 10. haec insunt: *nisi si, ut Homerus opinatus est, vastiora prolixioraque fuerint corpora hominum antiquorum, & nunc, quasi jam mundo senescente, rerum atque hominum decrementa sint*. Alii id vocant *defectionem*, *diminutionem*. Cicero Senect. cap. 9. *Defectio virium adolescentiae vitiis efficitur saepius, quam senectutis*. Censorinus cap. 16. *omnis aetatis incrementa & diminutiones*. Lactantius lib. II. Instit. cap. 5. *incrementa diminutionesque lunae*.

DEPRAEDARI ita rarum antiquioribus verbum, ut Vossius cum Borrichio in barbaris abjiciendum censuerit. Veteres enim simpliciter *praedari* aut *spoliare* habent. Alio loco Hieronymum huic reae patronum quaesivi, qui in Esa. I. comm. 8. *Si vitia*, inquit, *nos quasi quaedam bestiae fuerint depraedata, relinquemur a custode Deo & omnia nostra redigentur ad solitudinem*. Jam major Hieronymo adest Julianus jurisconsultus, qui Lege 6. Dig. de negotiis gestis §. 3. dixit: *qui depraedandi causa accedit, suo lucro, non meo commodo studet*. Et huic suppar Justinus lib. III. cap. 7. *totam Spartam depraedantur*. Et Apulejus lib VIII. p. 215. *depraedabantur regionem*. Nomen *depraeda-*

tio

tio est apud Lactantium Epitom. cap. 8. Nec tamen desunt, qui nihil sectantur nisi purissimum, de hoc verbo dubitare.

DUBIETAS vox dubiæ antiquitatis. Nam apud solos posteriores invenitur; Eutropium lib. VI. cap. 16. Ammianum lib. XX. cap. 6. Fulgentium Mythologum, cujus est lib. I. cap. 16. *radiorum manifestatione omnem dubietatis scindat caliginem*. Cum veteribus malim *dubitatio*, *dubium*.

EDECUMATUS in deliciis habetur hodie, nec ineleganter compositum est: verum usi sunt eo fere soli scriptores posterioris ætatis. Symmachus lib. III. epist. 51. *ut unum aut alterum æque edecumatæ honestatis invenias*. Ipsum verbum *edecumare* habet idem lib. V. epist. 83. *equos ex Hispania edecument*. Macrobius I. Saturn. cap. 5. *edecumatos elegit sodales*; & lib. II. cap. 1. *jocos veterum & nobilium virorum edecumatos proferamus*. His autem idem valet, quod *eximius*, *præstans*, *selectus*.

FAMIGERATUS, FAMIGERABILIS, hoc est, *celebris*, olim rarioris usus fuisse, quam nostro tempore, exemplorum ostendit paucitas. Pomponius Mela lib. II. cap. 7. de Creta insula, *multis famigerata fabulis*. Alium ex antiquitate qui usus sit, novi neminem, præter Apulejum qui lib. II. Florid. *fanum Junonis antiquitus famigeratum* laudat, & lib. II. Metamorph. *loca famigerabilis provinciæ*. Plautica *famigerator* & *famigeratio* ficta videntur Rob. Stephano, ut multa alia Plauti. Etiam Varronis *famiger* (lib. V. de L.L.) in antiquatis scripsit Jo. Lauremburgius.

FERIARI. *Feriatus* sive nomen, sive participium,

pium; probum bonumque est auctore Cicerone lib. I. Nat. Deor. cap. 37. & Trebonio ad Ciceronem lib. XII. epist. 16. & Horatio lib. IV. Od. 6. Verbum *Feriari* an digniorum sit quam Macrobii & Sidonii Apollinaris, plane ignoro. Catulli sane auctoritas hic nulla est, ut Curis Secundis demonstravi.

FIGMENTUM non Ciceronis est, uti in Foro Rom. & sequacibus lexicis laudatur, quia lib. II. de Orat. cap. 45. non *figmentum*, sed *pigmentum* omnes editiones habent: neque Plinii, ad quem Calepinus provocat, quia lib. X. cap. 54. *fimetum* est, non *figmentum*. Antiquiores autem hujus verbi auctores non supersunt quam Gellius & Apulejus. Nam Pediani exemplum suspectum est Scioppio. Vid. Cur. Post. Veteres autem *commentum* dixerunt, vel *simulacrum* pro altera notione, quae apud Gellium est lib. V. cap. 12. & Arnobium lib. VI.

FULGIDUS De hoc vel silent Lexica, vel nullum ejus auctorem laudant. At Lucretius lib. 3. v. 364.

Fulgida praesertim cum cernere saepe nequimus.

Post hunc vix alius usurpavit, quam qui ex aevo sunt cadentis latinitatis. Solinus cap. 50. (al. 37.) *ad speciem fulgidi sideris*. Lampridius Alexand. cap. 13. *sol fulgido ambitu coronatus*. Prudentius Cathem. 5. *v.* 129.

- - - Tenebras de face fulgida
Surgens Oceano Lucifer imbuit.

Et in Corona Laurentii *v.* 55. *fulgidae montes* (cumuli) *monetae*. Veteres *fulgens*, *fulgentissimus*. Cicero V. Tusc. cap. 21. *fulgentem gladium e lu-*

e lucunari dimitti jussit. Vellejus Paterculus lib. 2. cap. 39. *fulgentissimum Caii Cæsaris opus in iis* (Gallis) *conspicitur*.

HABITACULUM non invenitur ante Hadriani tempora. Palladius lib. I. cap. 23. dixit *habitacula avium*. Gellius lib. 5. cap. 14. *introgressus leo in habitaculum illud suum*. Reliqui auctores hujus vocabuli sunt omnes inferioris ætatis, Lactantius, Arnobius, Solinus, Macrobius, quorum verba huc afferre supervacaneum est. Solum Prudentium addidisse sufficiat. Cathemer. X. vers. 42.

Habitacula pristina gestet.

& in Agnetis Corona *v*. 109.

Splendore multo structa habitacula.

HISTORIOGRAPHUS Capitolinus dixit, Hieronymus, Orosius, Fulgentius, quos in Secundis Curis laudavimus. Illi enim ætati ita fingere libuit, ut Venantio Fortunato lib. 9. Carm. 2. est *David Psalmographus*. Veteres *Historici* vocabulo contenti erant.

HORTULANUS necessarium magis, quam antiquum verbum, quo ante Antoninos nemo superstitum scriptorum usus fuit. *Olitor* dicebant antiqui, sed significantius est *Hortulani* vocabulum, quod Apulejus lib. IX. & X. & Macrobius lib. VII. cap. 3. nobis reliquerunt.

IMPOSSIBILIS sordidum videtur multis, non autem est, Nam Quinctilianus lib. V. cap. 10. *Non longum tantum sed etiam impossibile ac potius infinitum est*: & cap. 13. *impossibilia adgrediantur*. Id vero non possumus negare, ceteros hujus vocis auctores omnes esse ævi sequioris, ut Apulejum, Minucium Felicem, Arnobium, Marcellinum, Pruden-

dentium, quorum verba habent Post. Curæ. Addimus Macrobium, qui lib. VII. Saturn. cap. 3. *Impossibilem*, inquit, *mihi dicitis spem salutis*. Et Sulp. Severum Dial. III. cap. 2. *sanctioribus nihil impossibile*. Prisci Romani, *quod fieri nequit* & *fieri non potest*, *ut* &c.

IMPRÆSENTIARUM Adverbium, cui simile nullum est in latina lingua, & id propter in suspicionem depravationis venit. Vide Vossium de Vitiis Serm. lib. 1. cap. 25. Quanquam vero multum præsidii habet in Catone de R. R. cap. 144. Nepote Annib. cap. 6. Fannio apud Priscianum lib. XIII. ut de Tacito, Apulejo & inferioribus taceamus, tamen quod ceteri scriptores Augustei & proximi sæculi nunquam hanc vocem suam fecerunt, malunt puriores *in præsentia* dicere, vel *in re præsenti*; quam id ad usum adhibere, cujus ratio non satis reddi potest.

INCENTIVUM substantivum pro *Incitamentum* non Plinii consularis & auguris est, ut Lexica multa produnt, sed recentiori panegyristæ, qui suam orationem Constantino M. dedicavit. Præterea Symmachi, Hieronymi, Prudentii, ut Curæ Posteriores ostendunt.

INCONGRUUS ex simplici *congruus* judicari potest, de quo modo diximus. Apulejus lib. 3. Philos. Plat. *dicantur hæ* (lineæ seu propositiones syllogismi) *inter se incongruæ*. Vegetius lib. 2. cap. 19. *Incongruum videbatur, imperatoris militem, qui veste & annona publica pascebatur, utilitatibus vacare privatis*. Qui tersius loquuntur, malunt *incongruens*. Plinius IV. epist. 9. *illam alteram* (sententiam) *dissolutam atque incongruentem*

tem vocant. Gellius lib. XII. cap. 5. *Stoica disciplina est pleraque & sibi & nobis incongruens*. Minus etiam placet *Incongrue* adverbium, licet nec *Incongruenter* probatissimum sit. Vtriusque aliquem auctorem nominant Posteriores Curae.

INDESINENTER. Hujus vulgo patronus, Varro laudatur ex lib. 2. de Re Rust. cap. 9. extremo, sed mendosum illum locum videri P. Victorio, Scioppio, Borrichio, C. P. ostensum fuit. Verbis enim cum mente Varronis nequaquam convenit. Hæc autem sunt de villaticis canibus: *Villatico vero gregi in fundum satis esse duo, & id marem & fœminam. Ita enim sunt assiduiores, quod cum altero idem fit acrior, & si alter indesinenter æger est, ne sine cane grex sit*. Dubia ergo auctoritate Varronis, vix habebimus majorem, quam Vegetii lib. I. cap. 26. scribentis, *milites in acie dispositos ordines indesinenter observent*. Accedunt Hieronymus, Orosius, eorumque æquales.

INDUBIUS propter raritatem suspectum & dubium erat Vossio. Semel dixit Tacitus Annal. 14. cap. 45. *Dissonæ voces respondebant, numerum aut ætatem, aut sexum, ac plurimorum indubiam innocentiam miserantium*. Bis Quinctilianus lib. 5. cap. 13. *si vetera erunt, fabulosa dicere licebit; si indubia, maxime quidem dissimilia*: & Declam. 7. *nuntiaturus indubia, manifesta*. Sed prior locus Fabii non est certissimus. Variat enim scriptura, nec veteres editiones vocabulum *indubia* agnoscunt. Quod vero plura exempla non suppetunt, tutius est cum ceteris dicere *indubitatus*, *haud dubius*.

INORDINATIO Vossio male sanum vocabulum, solius fere Apuleji est in Trismeg. pag. 92. (ed.

El-

Elmenh.) *Hic*, inquit, *& talis senectus veniet mundi, irreligio, inordinatio, irrationabilitas bonorum omnium*. Adverbium *Inordinate*, quod frustra quæritur s in Lexicis, repertum est apud Cornel. Celsum lib. 3. cap. 3. extr. ejusque auctoritate salvum.

INSIMUL hoc est *junctim*, *simul*, ante Domitianiani tempora non inveniri, docet Cl. Borrich. ad Voss. p. 200. Florus aliquoties habet, in præfat. & lib. II. cap. ult. Etiam Statius I. Silv. VI.

Et gentes alis insimul togatas.

Reliqui, qui utuntur, sunt fere infimæ latinitatis: Vide Freinshemianum indicem Flori.

INSIPIDUS laudatur in Lexicis omnibus & quidem Gellii (lib. VI. cap. 1.) auctoritate: contra simplex *Sapidus* vel præteritur prorsus, vel illaudatum ponitur, unde etiam Vossius illud obelo notavit. Ego rem commutatam velim. Nam *sapidus* probum magis est. Cælius Apicius lib. 9. cap. 10. *jus sapidum*: lib. X. cap. 4. *Thynnus piscis hoc jure sapidior est adit*. Apulejus lib. 2. Metamorph. post principium; *tucetum perquam sapidissimum*. & lib. X. *coquus sapidissimis intrimentis succuum pulmenta condita*, *sapore mollibat*: At *insipidus* veteri testimonio non facile probaveris. Nam Gellianum nullum est, quia libri meliores habent *insubidius*, non *insipidius*, ut Petrus Mosellanus invulgaverat. Constantinorum demum ævo Julius Firmicus (lib. II. cap. 12.) *saporem* dixit *falsum & insipidum*; & Paullinus Nolanus epist. 39. n. 4. *ultra betam incoctam, ut propheta loquitur, insipidi*: quod, quia eleganter compositum

ſitum eſt, utcunque toleratur inter doctos. Sed qui nihil, niſi probatiſsimum admiſerit, deſcribet idem *ſaporis* vocabulo; v. g. *nullius ſaporis*, *ingrati ſaporis*, ſicut Columella dixit *infirmi ſaporis vinum* cap. 3. de Arboribus. Significationi translatæ, qua homines quoque *inſulſos & inſipidos* appellant, Ciceronianum *inſipiens* ſatisfaciet.

INTIMARE verbum, quo Buchnero judice, præcipue cadentis latinitatis auctores uſi ſunt, & proprie deſignat intimum facere. Solinus cap. 45. *Nilus cum mari intimatur*: Ammianus XV. cap. 6. de Rheno: *Oceani gurgitibus intimatur*. Deinde notat *indicare* γνωρίζειν. Sex. Rufus cap. 3. *quantum Roma profecerit, breviter intimabo*. Vopiſcus in Tacito cap. 12. *Nec tacendum eſt, & frequenter intimandum*. Adde Capitolinum in Vero cap. 1. cum nota Salmaſii: Spartianum in Nigro cap. 7. cum gloſſa Caſauboni. Lexica quædam, & Fabricius ad Prudentii Romanum verſ. 1110. allegant quoque Livii verba ex lib. 4. *intimaſſe filio*; ſed fallunt, quia libri, quos vidi, omnes habent cap. 46. *inſtitiſſe filio*, præter mendoſum Jo. Schefferi, Moguntiæ excuſi 1519. in quo *intimaſse* eſt.

IRRATIONALIS Senecæ & Quinctiliani, (vide illius epiſt. 71. hujus lib. X. cap. 7.) videtur ſcholam redolere philoſophorum. Eleganter, & ut dignum oratore, id M. Tullius expreſsit lib. II. Off. cap. 3. *expers rationis*.

LABILIS labantis Latinitatis eſt. Arnobius lib. II. *animas eſſe labiles & infirmitate ad vitia proclives*. Marcellinus lib. 27. cap. 23. *per labilem limum*. Caſſiodorus II. epiſt. 111. *labilis fortuna*.

Ve-

Veteres Romani *inconstans*, *lubricus*, *imbecillus* dixerunt.

MEDIETAS. Cicero de Univers. cap. 7. *Vix aud o dicere medietates, quas Graeci μεσότητας appellant*. Id ausi vero sunt posteriore aevo non pauci. Palladius lib. 1. cap. 12. *Mensura haec servanda est in tricliniis, ut quanta latitudo & longitudo fuerit, in unum computetur, & ejus medietas in altitudinem conferatur*. Apulejus de Deo Socratis: *dabo exemplum hujus libratae medietatis*. Ammiani, Eutropii, Macrobii testimoniis non opus est. Cicero c. l. habet: *in singulis esse bina media*.

NIGREDO. Apulejus lib. 11. de Asino: *corvina nigredine caerulos columbarum colli flosculos aemulatur*. Jornandes Getic. cap. 3. *famosi pellium decora nigredine*. Plura exempla non suppetunt. Ciceroni 1. Divin. cap. 14. & Celso lib. 2. cap. 1. illud est *Nigror*: Plinio 10. cap. 36. *Nigritudo*: eidem Celso lib. 6. cap. 18. & lib. 8. cap. 2. & seq. *Nigrities*.

NIMIETAS. Columella 6. cap. 25. *nimietate verni pabuli pecudes exhilaratae lasciviunt*. Palladius Februar. cap. 12. *vitem nimietate foetus onerant*. Posteriori tempore usus hujus vocabuli major fuit, ut ex Apuleji 8. Metam. Capitolini Vero cap. 1. Treb. Pollionis Tyrann. cap. 9. Macrob. Somn. 2. cap. 7. & Ammiani multis locis manifestum est.

NOCTESCIT. Nonius Marcellus: NOCTESCERE, *caecari*. *Furius Poematis*, etsi est auctoritatis incertae: *Omnia noctescunt tenebris caliginis atrae*. Etiam Caesellius Vindex grammaticus apud Gellium

lium lib. 18. cap. 11. hunc Furium *dedecorasse vocum fictionibus Latinam linguam* dixit, & in exemplis etiam *noctescere* numeravit, quod tamen Gellius defendi posse putat, *a facultate poetica*.

NOVENDECIM usus vulgaris habet; sed vix auctores veteres, quorum est *undeviginti*. Livius 23. cap. 46. *vivi capti sexcenti, & signa militaria undeviginti*.

NULLIBI solius Vitruvii (lib. 7. cap. 1.) & Glossariorum vocula, In idiotismis Vitruvianis relinquunt, qui puram & castam Latinitatem sectantur.

OBTENEBRARE, hoc est, *tenebras offundere*, an veteribus in usu fuerit, subdubitari potest. Exempla non succurrunt, nisi Vulgati Interpretis, &, qui hunc magno numero sequuntur, ecclesiæ Patrum. Analogiam probat quodammodo Varronianum illud lib. 2. de Re Rustic. cap. 2. *pascunt, quoad contenebravit*, nisi & hoc in antiquitatibus scribi malueris.

OCTODECIM dubitanter dico, quod libri, qui habent, non constanter habent, sed meliores pro eo signa 18. exhibent. Ita factum in Plinii lib. 18. cap. 23. in Orosii lib. 1. cap. 20. & quod in Hygini lib. 3. cap. de Ariete & Geminis Cl. vir. Jo. Schefferus plenis litteris perscriptum ediderat *Octodecim*; id nuper doctiss. MUNKERUS vulgavit per notas 18. Cum aliis ergo *duodeviginti* aut *decem & octo* tutius est dicere. Cicero 2. Acad. cap. 26. *Mathematici solem amplius duodeviginti partibus confirmant majorem esse quam terram* Cæsar. Gall. 2. cap. 5. *fossa duodeviginti pedum*. Livius lib. 9. cap. 33. *circumactis decem &*

& octo mensibus lib. 27. cap. 29. *decem & octo navibus captis*.

ORIENTALIS. Miratus sum, in Lexicis hoc vocabulum præteriri, vel si affertur illud (quod & ipsum in paucis factum est) sine auctore laudari. Necessarium enim videtur, cum omnes plagas reliquas signamus adjectivis, (ut *australis*, *aquilonaris*, quæ Ciceroniana sunt 2. Nat. Deor. cap. 19. *septentrionalis*, *occidentalis*, quæ Plinius dixit lib. 4. cap. 19. & lib. 18. cap. 34.) ut etiam ab *oriente* declinetur forma *orientalis*. Placet analogia, licet vetusta exempla desint. Majorem enim Palladio, qui usus sit hoc verbo, nondum vidi. Is lib. 3 cap. 17. *ab orientali arboris parte*. Justinus proximus est, qui lib. 14. cap. 4. *auxilia orientalia*, & lib. 39. cap. 5. *orientalia regna* dixit. Apulejus lib. 3. Metam: *orientales adspectus*. Ceteris idem significat *oriens* gignendi casu cum alio nomine conjunctum. v. g. Plin. 19. cap. 25. *orientis Oceanus*: lib. 16. cap. 36. *orientis populi*. Sueton. Tit. 5. *orientis regnum*.

PASSIO, sive πάθος, *affectum*, sive *perpessionem malorum* significare velis, non satis tuto adhibetur. Veteres enim Latini hoc vocabulum ægre admittunt. Ex Cornelii Galli eleg. 3. *v* 42. citatur.

Quæ nihil imminuit passio, nulla fuit,

sed dubius is auctor est, & ut doctiores putant supposititius. Apulejus demum Asclep. p. 93. scripsit: *Incredibiles post delicta cogentur credere, non verbis, sed exemplis; nec minis, sed ipsa passione pœnarum*. Ecclesiasticis autem nihil usitatius est.

eſt. Prudentius in Corona Vincentii. *v.* Prudentius in Corona Vincentii *v.* 292.

Pulchroque mortis exitu
Omnis peracta eſt paſſio.

Sulp. Severus 2. Hiſt. cap. 22. *Exſtant mandatæ litteris præclaræ martyrum paſſiones.*

POPULOSUS, quaſi πολυανθρωπος per rara vox in Lexicis, frequens autem ſcriptoribus latinitatis inclinatæ. Apulejus lib. 8. *plateæ populoſæ*; & mox, *civitas populoſa*. Idem Florid. 1. *Indi, gens populoſa cultoribus*. Ammianus 21. cap. 17. *ad exemplum urbium matris & populoſæ & celebris*. Prudentius Periſteph. 7. (Heinſ. 4.) *v.* 61.

Vix parens orbis populoſa Pœni,

id eſt Carthago.

POSSIBILIS Quinctiliano lib. 3. cap. 8. *dura appellatio*. Sane rarius eſt, quam compoſitum *Impoſſibilis*. Unum ex paucis exemplis propono. Lactantius Opif. Dei cap. 1. *Divinam providentiam nec ſenſu comprehendere, nec verbo enarrare poſſibile eſt*. Palladius 3. cap. 14. inclinato inde ſubſtantivo uſus, *ſarmenta*, inquit, *pro vitis poſſibilitate ſervabis*.

PRÆSENTARE verbum eſt, judicio Buchneri, recentioris Latinitatis. In quibuſdam Lexicis etiam Quinctilianus & Plinius in partes vocantur, ſed falſo. Nam Fabii lib. 11. cap. 2. ineunte veteres, novæ editiones, quotquot vidi, habent *repræſentat*. Pliniana verba, quæ allegantur, de Pompeji capite, neutrius ſunt Plinii, ſed auctoris libelli de viris illuſtribus, qui Aurelius Victor eſſe creditur. Nam cap. 77. hæc tradit: *Caput* (Pompeji) *Ægyptio velamine involutum cum annulo Cæſari*

 præ-

præsentatum est, id est oblatum, præsens factum. Tamen alibi Plinius major (22. cap. 19.) scripsisse deprehenditur, *foliis speciem passerum præsentantibus*. Verum & hic locus incertus est, quia in margine varians lectio notatur *repræsantibus*: Harduinus autem *præbentibus* legit, haud dubie MSS. regios, ut solitus est, secutus. Meliore itaque sæculo non videtur hoc verbum in usu fuisse. Apulejus denique lib. 6. *sese Juno cum totius sui numinis augusta dignitate præsentat*, & auctor Panegyrici Maximiano & Constantino dicti cap. 5. *Neque tantum forma in te patris, Constantine, sed etiam continentia, fortitudo, justitia, prudentia se se votis gentium præsentant*. Veteres omnes *repræsentare* malunt.

Primogenitus fere ecclesiasticum est, nec ex profanis adhuc observavi, qui usus eo esset, præter Palladium, cujus est lib. 1. cap. 39. *primogeniti vituli stercus*. Plinius, Calepino laudatus, dubius est. Harduinus quidem lib. 11. cap. 40. *primogeniti* in textu: in notis vero *primo geniti* divise: Frobenius cum aliis, *primis genitis*. Latinis is est *natu major*, vel si plures filii, *natu maximus*: aut divise *primum genitus*.

Protector. Supra cap. 1. hanc vocem notavimus pro *defensore* generaliter acceptam. Medio ævo honestior erat, & in aulam recepta, ut palatinum officium significaret. Gordianus enim, ut tradit Cedrenus, ἐποίησε πρωτίκτωρας, *instituit protectores*, principem ordinem scholarium seu Palatinorum militum. Codex Theod. lege 9. de Domest. & Protectoribus, præclare: *Devotissimos protectores, qui armatam militiam subeuntes*

non

non solum defendendi corporis sui, verum etiam protegendi lateris nostri sollicitudinem patiuntur, unde etiam protectorum nomen sortiti sunt; inglorios esse non patimur. Addi possunt alii in Cur. Poster. laudati.

PURITAS impurum Vossio visum, purificatur Palladio auctore lib. 11. cap. 14. de vino: *si 7. pini nucleos in unum vini sextarium mittas, diu omnibus ante commotis, & paululum cessare patiaris, mox sumere puritatem, colarique debere & in usum referri*. Reliqui, quos hoc vocabulo usos esse constat, sunt omnes inferioris ordinis, Capitolinus, Macrobius, Symmachus, Hieronymus, & horum æquales, quorum verba Poster. Curis exhibuimus. Analogia proba est, quia Cicero 2. Philipp. cap. 3. dixit *impuritates*.

QVALISQVALIS, id est *qualiscunque*. Godf. Stevvechius in lib. 2. cap. 4. Vegetii non hoc solum, sed etiam adverbialem formam *Qualiterqualiter*, pro qualitercunque, commendat: auctoritatem vero majorem non affert, quam Ulpiani. Lege 2. D. de bon. poss. secundum tab. §. 1. *qualisqualis conditio sit*: & lege 3. de Proxenet. *ministerium quale quale accommodaverunt*: Et lege 11. §. 2. D. divort. *quali quali voluntate intelligi possit*. Pro adverbio *qualiterqualiter* in Foro Rom. idem Ulpianus citatur lege 12. §. 3. Dig. de Ratihabitione: verum Dionys. Gothofr. aliique ediderunt *qualiter* semel positum.

RESTAURARE Servius ad Æn. 2. *v.* 15. videtur improbasse: *non restaurata*, inquit, *sed instaurata dicuntur ædificia*. Ejus vocis patrocinium suscepit Barthius ad Petrocorium Notis a Cl. Dau-

mio in lucem productis. *Non probo*, inquit, *eorum audaciam*, *qui verbum hoc Latinitate damnant*, *& instaurare solum probant*, *quia scilicet ab Instar hoc descendat*. Nec ego illud impurum censeo. Nam Tacitus & Justinus, non erubescendi auctores, usurparunt, etiam sub Gallieno Emeritensis inscriptio apud Gruter. p. 158. ÆDIF. RESTAUR. & reliqua: nec tamen æquare illud alteri *instaurare* sustineo, quo usa est omnis & melior & antiquior Latinitas.

Scrutinium improbat cum Vossio Borrichius tanquam ab Apulejo nove fictum. Is enim lib. 9. extr. scripsit: *Magistratibus placuit*, *obstinate denegantium scrutinio detegere*. Post hunc Ammianus quoque lib. 29. cap. 11. *inter scrutinia suppellectilis*. Præfertur *scrutatio* Senecæ, de Beat. Vit. cap. 25. & Gellii lib. 9. cap. 10.

Solummodo rarum antiquis adeo, ut Joannes Vorstius de bonitate dubitaverit. Plinius habet lib. 34. cap. 8. *Non are captus nec arte*, *unam solummodo Zenonis statuam Cypria in expeditione non vendidit Cato*. Reliqui qui utuntur, posterioris dignitatis atque temporis sunt, &, quod miror, ecclesiastici vel omnes vel plerique. Vide Curas Posteriores. Tutius & antiquius est *Tantummodo*.

Sternutatio non rejicio, ut multi censores Latinitatis faciunt: nec valde laudo, quia *sternutamentum* plerisque scriptoribus probatur, Plinio lib. 2. cap. 7. lib. 20. cap. 12. & 17. Senecæ epist. 47. & Celso passim. Solus fere Scribonius Largus ex antiquis est, qui Compos. 10. scripsit, *sternutationem statim invitat*, sed eo ipso loco præ-

dixe-

dixerat *sternutamentum concitare*, item *proritat sternutamentum*.

SUBJUGARE. Solus Asconius Pedianus huic verbo ex antiquioribus patrocinari potest, nisi & ipse, quod Scioppio videtur, corruptus est a describentibus. Ita vero in Verrinam de Præt. Urb. *quod quisque de subjugata provincia apportavisset*. Ceteri omnes sunt posteriores, quotquot hoc verbo utuntur, Arnobius, Lactantius, Eutropius, Claudianus, Prudentius. Vide Curas Posteriores Unum Prudentii ex multis exemplis appono, de Maccabæa muliere in Romano *v.* 777.

Hostem subegit subjugatum septies.

SUMMITAS ex Palladio Rutilio defendi postulat, cui inferioris ævi scriptores succlamant, Arnobius, Censorimus, Marcellinus, Macrobius, quorum verba habent Curæ Posteriores. Unum Palladii testimonium sufficiat ex lib. 1. cap. 19. *Negat Columella ventilanda esse frumenta, quia magis miscentur animalia totis acervis, quæ si non moveantur, in summitate intra mensuram palmi consistent*.

SUSTENTACULUM displicet Vossio & Borrichio. Vetustissimus, quem usurpasse observamus, est Cornel. Tacitus lib. 2. Hist. cap. 28. scribens: *sin victoriæ sanitas, sustentaculum, columen in Italia verteretur, non obrumpendos, ut corpori validissimos artus*. Hic vero pro *columine*, *fulcro*. De *alimentis* posteriores acceperunt. Augustinus lib. 4. adv. Julian. Pelagianum cap. 14. *Alimentorum sustentaculis indigemus*. Paullinus Petrocorius lib. 4. de Vita Martini *v.* 430.

Et ferrent vigilem per sustentacula mentem.

 Bar-

Barthius adnotavit. PER SVSTENTACULA, *non obsequio voluptatis aut luxuriæ, sed ut solum vita sustentaretur*.

VALEDICERE. Divisum nemo in dubium vocat: de conjuncto dubitavit magnus Vossius, cui Borrichius opposuit versum Ovidianum 1. Trist. 7.

Idque quod ignoti faciunt valedicere saltem.

Deinde Senecæ verba epist. 17. *Reges Parthos non potest quisquam salutare sine munere: tibi valedicere non licet gratis*. Quis autem spondebit, non divise scriptum fuisse, sicut Nasonis eleg. 3. ejusdem libri

Sæpe Vale dicto, rursus sum multa locutus.

Ciceronis est Att. 5. epist. 2. *salutavi, postea jam jussi valere*: Suetonii Aug. 53. *Discedens, sedentibus singulis valere dicebat*: & Tiber. cap. 72. *Nec abstinuit consuetudine, quin tunc quoque instans in medio triclinio singulos valere dicentes appellaret*. In Galba idem cap. 4. *Morem retinuit, ut liberti servique bis die frequentes adessent, ac mane salvere, vespere valere sibi singuli dicerent*. Eleganter quoque divisit Capitolinus in Marco cap. 28. Imperatoris morituri ad amicos dicta referens, *si jam me dimittitis, vale vobis dico, vos præcedens*.

VIROR. Stephanus: *Idem significat quod Viriditas, sed de quo nullum exemplum reperimus*. At reperit exempla & in Gazophylacio reposuit diligentissimus vir G. M. Konig, alterum nempe Apuleji, qui Florid. lib. 2. *pratorum virorem* dixit: alterum Fortunati, cujus est lib. 8. Carm. 5.

Aut de veste tui gemma virore micet.

Addo Palladium Junio cap. 12. dicentem: *cui adhuc*

adhuc superest aliquid de virore: & Hieronymum, cujus est epist. 21. *viror futuræ resurrectionis*: sed hæc sine præjudicio elegantioris probatiorisque vocabuli *Viriditas*, sive proprie, sive translate *virorum* accipias. Cicero Senect. cap. 16. *Quid de pratorum viriditate, aut arborum ordinibus, aut vinearum olivetorumque specie dicam?* & in Lælio cap. 3 *Senectus quamvis non sit gravis, tamen aufert eam viriditatem, in qua etiam tunc erat Scipio*.

UNIRE Senecæ ætate non erat usitatum, nisi in philosophorum circulis. Quæst. Nat. lib. 2. cap. 2. *Expedire me poteram, si philosophorum lingua uti voluissem, ut dicerem unita corpora*. Post hunc Apulejus 8. p. 237. *unita sepultura ibidem marito perpetuam conjugem reddidere*. Et hoc de participio, quo sane multos posterioris ætatis usos esse, Arnobium, Mamertinum panegyristam, Juvencum, Hieronymum, Secundis Curis probavimus. Verbi *Uniri* usus rarior erat. Sulp. Severus 2. Hist. cap. 43. *legatos Ariminensis concilii compellit imperator uniri hæreticorum communioni*. Claud. Mamertus lib. 2. de Anima cap. 10. *duo ista ita tenus uniuntur*. Alii malunt verbum *adunare*, quod perquam familiare est Justino, vide Indicem Berneggerianum. Verum quod major Justino non repertus est, qui illud usurpaverit; duriter de hoc etiam nonnulli censuerunt.

VULGARITER Ciceronis esse lib. 13. epist. 69. vulgo creditur, & ita editiones pleræque, etiam accuratissima Græviana, habent. Contra quotquot fere noti sunt MSS. libri, quos nominatim recenset editio Operum Ciceronis Gruteriana, (qui-

bus

bus addo chartaceum quidem, ſed ut videtur, ex optimo & antiquo deſcriptum, Bibliothecæ Cizenſis Mauricianæ) ita præferunt: *Hæc ad te eo pluribus ſcripſi, ut intelligeres, me non vulgare, nec ambitioſe, ſed ut pro homine intimo, ac mihi pernecesſario, ſcribere*. Quod volunt ita dictum, ut ſæpe *ſublime* pro *ſublimiter*: Pareus Lex. Crit. legit *vulgarie*, a forma *vulgarius*, *a*, *um* Gelliana (lib. 3. cap. 16.) idque in MSS. P. Victorio obſervatum eſſe teſtatur. Propius ſane diſtant *vulgare* & *vulgarie*, quam *vulgare* & *vulgariter*. Nihilominus auctorem Plinium habet *vulgariter* lib. 8. cap. 5. & lib. 28. cap. 14. Hunc ſolum cognovi ex vera antiquitate, quem indubitato conſtet hoc adverbio uſum fuiſſe; reliqui recentiores ſunt, ut Aur. Victor junior in Veſpaſiano: *Tunc cavati montes per Flaminiam ſunt prono tranſgreſſu, quæ vulgariter Pertuſa Petra vocitatur*; & Macer poeta herbarius Carm. I.

Barrachum noſtri dicunt vulgariter illam.

In hanc claſſem referri etiam oportet formam Preteriti Reverſus Est, pro qua ſemper Cicero *Revertit*, *reverterunt*, *revertiſſe* &c. dixit. v. gr. Philipp. 2. cap. 24. *e Theſſalia Brundiſium cum legionibus reverti ſti*. Nec aliter æquales Ciceroni. Cæſar. I. Gall. cap. 8. *legati ad eum reverterunt*. Livius 7. cap. 17. *præda ingenti parta victores reverterunt*. Poſt Auguſti obitum altera forma *reverſus eſt*, in uſum recepta fuit, ut Phædri, Aſconii, & Valerii Maximi exemplis Curæ Secundæ oſtenderunt, ita tamen, ut antiqua & Ciceroniana forma non eliminata fuerit, ſicut noſtro fere ſeculo in oblivionem venit, altera re-

cen-

centiore utramque paginam faciente. Nam hi ipsi subinde illa quoque usi sunt : e. gr. Val. Maximus lib. 2. cap. 10. *ad lares reverterunt*. Participio *reversus* minus abstinuerunt Cæsar. 6. cap. 42. Vellejus Paterculus 2. cap. 12. Plinius avunculus 32. cap. 1. Iunior 7. epist. 4.

PIISSIMUS Superlativus ejusdem ætatis est. Cicero enim 13. Philipp. cap. 19. *nomum & nullum in Latina lingua* esse tradit. Sed posterior ætas non tulit hunc censorem, nec tersissimi scriptores illo verbo erubuerunt, ut Seneca rhetor Controv. 27. *piissimo patri tormentum quæsiisse ex filiorum impietate*. Philosophus ad Polybium 26. *quod longe a sensibus tuis prudentissimis piissimisque abest*. Curtius 9. cap. 6. *o fidissimi piissimique civium atque amicorum*. Ut taceam de sequioribus, & Garisio grammatico. In cippis veterum Romanorum nihil usitatius est quam *patri piissimo*, *filio piissimo*, *uxori piissimæ*; ut passim exempla exstant apud Gruterum & Reinesium. Nec altera forma *Pientissimus* in lapidibus & monumentis rara est, quam quod fere posthabent grammatici, nec in Lexicis exempla prostant, pretium erit operæ, quædam huc ex multis afferre.

Inscript. Reines. p. 698.

D. M. S.

M. ANTONIO. AGATOPO.

M. ANTONIUS. FAUSTINUS.

PATRI. PIENTISSIMO.

BENE. MERENTI.

F.

Ibi-

Ibidem p. 747.

D. M.
SECURITATI. AETERNAE.
* IULIAE. IULLIANAE.
MODESTIUS. ISMARAGDUS.
UXORI. KARISSIMAE. PIENTISSIMAE.
ET. DULCISSIMAE.

Tandem huc pertinere videntur locutiones *abstractivae*, ut philosophi vocant, inauditae Ciceroniano aevo, quarum semina non nulla sparsit argentea Latini sermonis aetas, qualia sunt Velleji *mediocritas nostra* lib. 2. cap. III. & Val. Maximi Praefat. *mea parvitas*: messem vidit tempus aeneae Latinitatis, praesertim sub Christianis principibus. Tum enim ad fastidium usque hujusmodi formulae inculcabantur legibus, epistolis, sermonibus, *sublimitas tua*, *claritas tua*, *tranquillitas vestra*, *praestantia tua* &c. e. c. Arcadius Aug. Aureliano Pf. Pr. Cod. Theod. de poenis lege 17. *ad Cyprum Insulam* (Eutropius) *perducatur, in qua tua sublimitas relegatum esse cognoscat.* Et eodem Cod. Valentinianus & Valens AA. ad Secundum Pf. P. lege 5. de Susceptor. *excellentia tua vetustum morem consuetudinemque sectabitur.* Adde Cur. Poster.

IMPATIENTIA absolute recentioris aevi est. Veteres (non autem vetustissimi, apud quos non invenimus) Genitivum addebant, ut *aestus impatientia* Plinius 9. 16. *frigorum* II. 23. *Veneris* Apulejus lib. 2. Metam.

CA-

* Tulliae T leg. Reines.

CAPUT III.

De Notionibus peregrinis.

A Vocabulis suspectis, vel posteriori ævo in usum receptis ad antiquiora & magis Latina progredimur, quibus vel media vel infima ætas novas & veteribus ignotas notiones seu significationes imposuit. Talia sunt.

ADVOCARE pro *caussam agere, reo adesse in periculis*. Est enim Latino in foro vocare & cogere, qui adsint & patricinentur, ut multis verbis & accurato judicio contra Lipsium probavit I. F. Gronovius in Senecæ lib. 1. de Clem. cap. 9. Videtur Plinius lib. 5. epist. 8. obstare, sed quam dubius locus sit, Notis ad illum ostendimus.

ÆGRITUDO aureo Latinitatis sæculo erat tristitia, mœror, & animi potius, quam corporis morbus. Cicero 3. Tusc. cap. 10. *Præclare nostri molestiam, sollicitudinem, angorem, propter similitudinem corporum ægrorum, ægritudinem nominaverunt*: & mox: *proprie ut ægrotatio in corpore, sic ægritudo in animo*. Livius lib. 22. cap. 8. *occupatis majori ægritudine animis*. Post Augusti obitum sensim ad corporis infirmitudinem retractum fuit vocabulum. Mela lib. 3. cap. 7. de Indorum senibus: *priusquam annis aut ægritudine in maciem eant*: & Columella 7. lib. 7. de caprarum morbo: *quod sit ea res ægritudinem non depellit*: & Plinius 8. cap. 1. de elephantis, *fessi ægritudine, quando & illas moles infestant morbi*.

Adde

Adde Curt. 3. cap. 5. Sed hæc tum rariora erant, nec Ciceronis elegantia in oblivionem venerat, ut sequenti ferme ætate factum fuit.

ASPORTARE est quasi *abportare*, deportare alio, non *ut intereat* ibi, quod Asconius addit in Divinat. Verr. & per id a *deportare* distingui vult; sed sæpe etiam ut conservetur. Sic enim Nepos Themist. cap. 2. *quæ moveri poterant, partim Trœzenem asportant*. Male ergo hodie pro *apportare* a multis ponitur.

ASSERERE Augusteo ævo *vindicare* sonabat, ut *in libertatem asserere*. Antoninorum demum tempore pro *affirmare* adhiberi cœpit. Adde Discussionem nostram, ubi quæ ex Cæsare & Varrone objecit Andr. Borrichius, exploduntur.

AUDAX, AUDACIA plerumque in malam partem. Hinc Nonius: *audacia temeritatis est*. Minus scite ergo in elegantiis nostri locant, dum vernacula latine reddunt *sich erkühnen*, *eines Kunheit verzeihen*. Elegantius Cicero lib. 13. epist. 51. *Sumsi hoc mihi, ut &c.* & lib. 7. epist. 5. *Vide, quid mihi sumserim*.

BENEDICERE in antiquo Latio duas notiones obtinuit, primum ornate dicere. Cicero 2. Orat. cap. 2. *benedicere, quod est scienter, perite, & ornate dicere*. Deinde bene precari, bene sentire. Idem pro Sextio cap. 52. *cui benedixit unquam bono?* Sequiore ævo pro *laudare* acceptum. Apulejus Asclep. extr. *benedicentes Deum orantesque*, quæ syntaxis sicut nova & horrida est, ita ipsa significatio non purissima, sacris tamen scriptoribus maxime recepta. Novissima notio & mere ecclesiastica pro *fortunare*, *salutem & felicem re-*

rum successum largiri, quod solius Dei est, etiam ad subst. *benedictio* extenditur, more & usu Ebræorum.

CAUSSARI philosophis est *produci*, *generari*: latinis autem vel veram vel vanam caussam dicere, v. g. Curtius lib. 6. cap. 7. *non vacasse sermoni suo regem caussatus*, *hat vorgewandt*, *der König habe nicht Zeit gehabt ihn zu hören*. Pro Rosc. Am. cap. 14. *numquid caussare?* (caussam dicis) quæ lectio in Palatinis quoque habetur, utut alteram, *numquid caussæ est*, malit Turnebus adverf. lib. 29. cap. 36.

COMMUNITER latine significat *non separatim*, *non seorsum*, *miteinander*, *unzertheilt*. Cicero lib. 13. epist. 12. *Alia epistola communiter commendavi tibi legatos Arpinatium, ut potui diligentissime: hac separatim Q. Fusidium*; & pro Rosc. Amer. cap. 37. *iste Roscius omnia cum Chrysogono communiter possidet*; & Livius lib. 35. cap. 48. *Provectus est intemperantia linguæ in maledicta, nunc communiter Romanorum, nunc proprie ipsius Quintii*. Nec cadente Latinitate mutata sententia fuit. Etenim Lege 1. Cod. de Contract. non aliter, quam supra Cicero: *quæ separatim communiterve gesserunt*. Male ergo & barbare pro *vulgo* adhibetur, v. g. *communiter solet ita fieri* &c.

COMPILARE veteribus semper in malam partem, *bestehlen*, ut *fana compilare* Ciceroni 1. Nat. Deor. cap. 31. *templa omnibus ornamentis compilata* Livio lib. 43. cap. 7. *scrinia compilare* Horatio 1. satyr. 1. extr. Quod vero recentibus etiam in bonam partem accipitur, barbarismi crimine an absolvi

solvi possit, incertum est. Vide Vorstii suspect. Latinit.

CONDOLERE Ciceroni est idem, quod *dolere* lib. 3. de Orat. cap. 2. *latus ei dicenti condoluisse, sudoremque multum consecutum esse audiebamus*. Si vero pro συμπάσχειν ponatur *condolere alicui*, mitleiden mit einem haben, aliena voci latinæ affingitur significatio, qua nec opus est, cum possis dicere: *vicem alicujus dolere, participem sollicitudinis & doloris esse* Cic. 16. ep. 21. *pari molestia affici, prope æque dolere* 4. ep. 5. & 6. *dolor tuus mihi dolori est* 7. epist. 2. Forsan tamen Ovidii locus v. Trist. eleg. 3. v. 32. vulgari notioni præsidio esse potest. Nec vero poetæ rarius exemplum consensui ceterorum præjudicat.

CONFUNDI pro *erubescere, pudefieri*. Vulgato interpreti & hunc sequentibus ecclesiasticis valde usitatum. Latinis, antiquis præsertim, est *misceri*, translate *perturbari*, e. g. Velleij. 2. cap. 125. *cupiditas omnia confundendi*.

COR multis Germanismis & Ebraismis subjacet, ut *toto corde diligere, ex intimis cordis penetralibus* &c. Non quidem negamus, interdum idem valere, quod *mens, animus*: at caute agant tirones, ne latine locuturi vel scripturi in Germanismos incidant.

CREPUSCULUM vulgus ad utramque dubiam lucem refert, sive matutina sit, sive vespertina. Plinius vero lib. 18. cap. 25. dixit: *mane vel crepusculo*. Columella 12. cap. 1. *Primo mane* (villico) *cum familia prodeundum est, & crepusculo, per actis operibus fatigato redeundum*. Censorinus

cap.

cap. 24. summo studio singulas diei & noctis partes describens, *crepusculum* ad noctis initium refert, sicut *diluculum* ad initium diei. Et sic alii quoque inter mane & crepusculum distinguunt, & hoc *diluculo* opponunt. Servius quidem in Æn. 2. v. 268. *De crepusculo*, inquit, *quod est dubia lux* (*nam creperum dubium est*) *quæritur*, *& licet utrique tempori possit jungi*, *usus tamen*, *ut matutino jungamus*, *obtinuit*. Sed vel error Servii, vel lapsus subest librarii; ut ex Plinio, Columella, Censorino demonstratum fuit.

CRUX, id est patibulum, per translationem alias *miserias* significare potest, si ita orationem attemperes, ut ad Romanum supplicium respiciatur, ut sicut Comicis homines interdum notat, qui angunt & affligunt. Verum quod nostris quascumque calamitates in quocumque sermone, extra respectum Romani supplicii significat, propius abest a Germanismo.

DEPRECARI, ut Gellius docet lib. 6. cap. 16. est *valde precari*, deinde *propulsare*, *abominari*, quemadmodum Cicero 6. Rep. *invidiam deprecabatur*, hoc est, Gellio interprete, *propulsabat invidiam*. Justinus 11. cap. 9. eleganter utramque notionem conjunxit, verbo semel posito: *non mortem, sed dum Darii corpus sepeliant, dilationem mortis deprecantur*.

DESOLARE *agros* active dicunt Latini, Virgilius Æn. 11. 367. Columell. 1. cap. 3. Item *manipulos militum* Virg. e. l. *v*. 870. & Statius 9. Theb. *v*. 672. *desolatum magistro agmen*. Etiam Lucanus 4. 700. *nocturnaque munia valli desolata fuga*. Non autem desolare *arcem*, *urbem*,

 ut

ut fit idem, quod *demoliri*, *vastare*, quia est necare, ad paucos redigere, colonos abducere.

DICTIO est oratio vel dicendi genus. Cicero 1. de Orat. cap. 34. *Educenda dictio est ex hac domestica exercitatione, & umbratili, medium in agmen, in pulverem, & clamorem, in castra atque aciem forensem.* Pro *vocabulo* Grammaticis relinquendum. Nec vero recens hæc usurpatio est in Grammaticorum schola. Diomedes lib. 1. p. 275. *Quidam sic definiunt: Oratio est compositio dictionum, consummans sententiam, remque perfectam significans. Scaurus sic: Oratio est ore missa, & per dictiones ordinata pronuntiatio.* Quapropter in grammatico sermone toleratur hæc notio: ad oratorium stilum, quod exempla desunt, minus tuto affertur. Catonis enim auctoritatem, ad quam nonnulli provocant, nullam esse, & ex spurio libro petitam, Curis secundis demonstratum fuit.

DISCRETUS antiquis est *divisus*, *separatus*, ut Lucretio lib. 6. 790. *discreta semina*. Plinius lib. 2. epist. 6. *memento nihil magis esse vitandum, quam istam luxuriæ & sordium novam societatem: quæ cum sint turpissima discreta & separata, turpius junguntur.* At pro *modestus*, uti vulgus nostrum interpretatur, barbarismum olet. Idem censemus de derivatis *Discrete* & *Indiscretus*. Cicero Juvent. lib. 1. cap. 30. *In præsentia partes argumentandi confuse & permiste dispersimus: post discrete & electe digeremus.* Apulejus de Mundo *indiscretis finibus Pamphylium, Syrium, Ægyptium mare*. Spartianus in Nigro cap. 3. *cum indiscrete subsellia Circi maximi repleta essent.*

DISCURSUS pro *sermone*: & verbum *discurrere* pro *sermo-*

sermocinari barbare dicitur, nec afferri antiquior auctoritas potest, quam Ammiani Marcellini, non purissimi scriptoris, qui lib. 17. cap. 6. (Vales. c. 4.) *super quo*, inquit, *nunc*, *quia tempestivum est pauca discurram*. Substantivi *Discursus* non prius exemplum Lindenbrogius in Notis, quam ex sæculo Caroli M. arcessit. Abstinent ergo hac significatione, qui stilum sectantur puriorem. Quid proprie & latine sit *discurrere* & *discursus*, non obscurum. Livius 1. cap. 9. *signo dato juventus Romana ad rapiendas virgines discurrit*. Seneca epist. 103. de vero peregrinationis usu: *Quamdiu quidem nescieris, quid fugiendum, quid petendum, quid necessarium, quid supervacuum, quid justum, quid honestum sit, non erit hoc peregrinari, sed errare. Nullam tibi opem feret iste discursus*.

DISPENSARE pro *legibus solvere* novum est. Vetus notio verbi hujus est *disponere* & *procurare*, v. g. dispensare res domesticas. Etiam *cum cura distribuere*, Nepos in Conone cap. 4. *quem vellet eligere ad dispensandam pecuniam*: seu aliquid *dividere*. Curt. 6. cap. 4. *amnis duo itinera, velut dispensatis aquis, aperit*. Idem censeas de nomine *Dispensatio*. Frontinus de Aquæduct. lib. (p. 243. ed. Keuch.) de divisione aquarum: *Sed hæc ipsa dispensatio per nomina aquarum ad regiones Urbis partienda est*.

DISSITUS antiquis est *dispersus*, *disseminatus*. Lucretius lib. 3. v. 144.

Cetera pars animæ per totum dissita corpus.

& lib. 4. v. 886.

Per membra atque artus animal dissita vis est.

 Non

Non ergo pure vulgo dicimus : *terræ longe dissitæ*, *populi longe dissiti*, quamvis idem confirmare Apulejus 1. Florid. videatur. *Homines* inquit, *neque longule dissita ; neque proxime assita possumus cernere*, de quibus durius censet Scioppius de Voss. n. 15. & Apuleji asino, quam Tullio aut Livio, digniora esse judicat.

DITIO potestatem significat & imperium, e. g. *in ditionem redigere* Curt. 4. cap. 1. *ditionis suæ facere* idem cap. 4. & *alienæ ditionis esse* lib. 5. cap. 5. & Livius lib. 21. cap. 60. *omnem oram ad Iberum flumen, Romanæ ditionis fecit*. Idem lib. 31. cap. 7. *in ditione habere* dixit : & *sub ditione cujus esse* lib. 6. cap. 29. *in ditionem tradere* idem 26. cap. 43. *ditioni adicere regionem* Curt. 4. cap. 1. n. 26. Addit 150. Freinshemius in Indice, *manifesto discrimine ditionis & regionis quæ vulgo confundunt*. Non ergo pro ipsa provincia & regione, ut hodie fit, accipi hoc vocabulum potest, neque antiquior, qui ita abusus illo fuerit, repertus nobis est, quam Paullus Diaconus in Juliano, seu quisquis auctor est Miscellæ Historiæ, cujus verba exhibent Posteriores Curæ.

DIVUS, DIVI, sunt vel Dii, vel ἀποθεωθέντες, & ipsi numero Deorum adscripti. Improbat ergo Cl. Vorstius, sanctos Apostolos aliosque *Divos* adpellari, v. g. *Divus Paulus*. Tutius dixeris *Divinus Paulus*; sicut Cicero *divinum Platonem* vocavit, & passim *divinam virtutem*. Aut potius *sanctos*, *beatos* exemplo veterum Christianorum dicamus. Neque adhuc probari antiquis exemplis potuit, *Divus*, *Diva* adjectivum esse,

&

& aliud, quam *Deus*, *Dea*. Livius lib. 7. cap. 26. *Si diva si divæ esset, qui sibi præpetem misisset, propitius adesset*. Idcirco non magis licet *Divus Paulus*, *Divus Augustinus*; aut de principibus *Divus Carolus*, *Divus Ferdinandus* &c. dicere, quam *Deus Paulus*, *Deus Augustinus*, atque ipsa de ceteris. Piura vide in Curis Posterioribus.

Dominus imperantem Latinis significat, v. g. Tacit. Hist. 4. cap. 17. *Romani devictarum gentium domini communes*; sive monarcha sit, ut Plinius Trajanum adpellat *Dominum*. lib. 10. Epistolarum: sive tyrannus, quo modo Tiberius invisum nomen refugit Tac. 2. Annal. cap 87. sive denique familiæ suæ imperet, Virgil. Eclog. 3.
quid facient domini, audent cum talia fures.
Hodie communis titulus omnium ingenuorum est, ut vix liceat mediocris sortis hominem adpellare, nisi præmisso *dominationis* honore. Ita inveteratus mos est, ut sine multorum offensa emendari posse non videatur. Cui forsan occasionem præbuit Romanorum consuetudo, qua obvios, si nomen non succurrebat, *dominos* salutarunt, teste Seneca epist. 3. Et primum imperatorum nominibus præfigebant D. N. hoc est *Dominus noster*, & sexu mutato etiam fœminis Augustis habebant idem honoris. In Reinesianis Inscriptionibus p. 323.

PIISSIMAE. AC. VENERABILI.
D. N. HELENAE. AVG.
MATRI. D. N.
MAXIMI. VICTORIS. AUG.
CONSTANTINI.
ET. AVIAE. DD. NN.
CONSTANTJ. ET. CONSTANTIS.
ORDO. ET. POPULUS.
SURRENTINOR.

Duellum antiquis eſt *bellum*, quod ex Plauto & Horatio liquet: ille enim Epid. Act. 3. ſc. 4. *apud reges armis arte duellica divitias magnas indeptus*: hic lib. 1. epiſt. 2. Trojanum bellum *lentum duellum* vocat. Adde Cic. in Oratore cap. 45. & Livium lib. 22. cap. 15. Quod autem vulgus *duellum* hodierno die vocat, id veteribus erat *ſingularis pugna*, Eutrop. 11. cap. 2. & Sulp. Sever. 1. Hiſt. cap. 34. item *ſingulare certamen* Vopiſc. in Probo cap. 9.

Exaudire Latinis ſæpius eſt *audire*. Cic. 1. Div. cap. 33. *ſubito exaudivit hinnitum*; & 1. Catil. cap. 8. *quorum voces exaudire potuiſti*. Noſtrates attribuunt unicum ſignificatum, precibus adnuere, *ethuten*. Potes pariter dicere, Deum preces *audire*, atque *exaudire*. Nam *audio* etiam eſt obſequi, aut facere, quod quis petierat.

Excessus Ethicis ſignificat vitii genus, quod augendo circumſtantias declinat a virtute. Priſcis Latinis erat idem, quod *diſceſsus* ut Cic. 5. Fin. cap. 18. *exceſsus e vita*, id eſt mors: quam etiam, demto *vitæ* vocabulo, ſignificat, ut Tacito 1. annal. cap. 7. & 14.

Festivitas eſt *lepor* & *jucunditas*. 1. ad Herenn.

renn. cap. 8. *Illud genus narrationis, quod in personis positum est, debet habere sermonis festivitatem*. Sero, nec antequam caderet lingua Latina, *festum diem*, aut *solemnitatem*, v. g. nuptialem, significare cæpit. Lampridii & Prosperi Aquitanici testimonia Secundis Curis exhibuimus. Sed malo Ciceronem, quam hos, imitari.

FORNICARI est fornice arcuari. Plinius 16. cap. 42. *palma fornicatur*, hoc est sursum incurvatur, & de apibus lib. 11. cap. 10. *ruentes ceras fulciunt pilarum intergerinis a solo fornicatis*. Ammianus lib. 26. cap. 24. *fornicatum ædificium*. Vitruvius lib. 5. cap. 5. *cellæ confornicantur*. Quod vero Fornix etiam *lupanar* significat, *fornicari* vulgatus Scripturæ interpres pro *scortari* usurpavit, sed sine consensu veterum Latinorum. Eadem ratio est substantivorum FORNICATIO & FORNICATOR, quorum utrumque de venerea re perisæpe usurpatur ab eodem interprete. Prioris usum ita tradit Seneca epist. 95. *Societas nostra lapidum fornicationi simillima est: quæ casura, nisi invicem obstarent, hoc ipso sustinetur*.

GENTILES Cicero Topic. cap. 6. definit, *qui eodem nomine sunt, ab ingenuis oriundi, quorum majorum nemo servitutem servivit, nec capite sunt diminuti*. Brevius: ex eadem orti gente. Adde Gellium lib. 17. cap. 17. supra in CONCIVIS allegatum. Ecclesiasticis *Gentiles* sunt idololatræ, *Penden* pro qua notione alii malunt *paganos* dicere. Pagani enim fuerunt, qui non erant milites. Plin. 10. epist. 18. *& milites & pagani*: Veget. 2. cap. 23. *si doctrina cesset armorum, nihil paganus distat a milite*. Hinc translate pagani omnes, qui

Christo non militant seu Christiani non sunt. Alii paganos malunt a *pagis* dictos, quod templis urbium a Constantino clausis in pagis deos coluerint, quemadmodum Prudentius in Romano v. 296. idolorum cultorem vocat *pago deditum*. Concedo elegantius vocabulum *paganus* adhiberi: nec tamen eripi potest alterum *gentilis* aut cognatum *ethnicus*, propter inveteratum usum. Utrumque enim in ecclesia antiquum est. Hieronimus in Ephes. 5. comm. 20. *Hoc & gentilis fecit, & Judaeus, & publicanus, & ethnicus*. Idem epist. 2. *gentilis litteratura*, i. e. lectio paganorum scriptorum: & epist. 33. *Cernimus ethnicos atque Iudaeos haereticos atque diversorum dogmatum homines volutari in caeno libidinum*. Nec tamen Pagani vox ecclesiasticam notionem recens aut nostra demum aetate suscepit. Idem Hieronymus in Psalmum 42. *pagani Deos suos digito ostendunt*: & Orosius 7. cap. 35. Claudianum poetam vocat *paganum pervicacissimum*.

GRATIOSUS. Rud. Goclenius Observ. L. L. improbat formulam *Domine Gratiose*, quod *Gratiosus* est, qui admittit gratiam, seu gratia pollet. Ita quidem est, ut plerumque Latinis significet eum, qui valet gratia apud alios, unde Livius 39. cap. 32. *plebeii quoque gratiosi homines petebant*: nolim tamen alteram significationem in barbarismis ponere, quia Gellius 9. cap. 12. *gratiosus*, inquit, *qui adhibet gratias, & qui admittit*, quamquam notio altera perrara est, ut vix exemplis comprobari possit. Quod vero etiam, qui jucundi & elegantis ingenii est, nonnulli *gratiosum* vocant, id Gallicismum sapit. Vide Voss.

HA-

HACTENUS de *tempore* in omnium fere ore est, sed, si Ciceronem consulas, non purissime. Hic enim *adhuc* pro eo, quod vulgo est *hactenus*, constanter dixit. *Hactenus* vero aliter adhibuit, ut idem sit, quod *ad hunc usque locum*, & de loco librorum aut scripturæ sæpe usurpatur, *Sed hæc hactenus*, *Hactenus de litteris*. Sic 13. Att. epist. 21. *Sed hæc hactenus, ne videar* περι μικρα σπουδαζειν. Deinde sequente *UT* notat *eatenus*, *in tantum*. Lib. 2. de Oratore cap. 27. *Hæc artem & præcepta duntaxat hactenus requirunt, ut certis dicendi luminibus ornentur*. Justinus 39. cap. 1. *rex a matre hactenus constituitur, ut nomen regis penes filium: jus autem omnis imperii penes matrem esset*. Et ita Suetonius sæpe, & Plinius lib. 4. epist. 8. Tacitus 2. an cap. 34. n. 4. Quæ in contrarium objiciuntur, aut ambigua sunt, aut rara nimis, ut Tullianam normam non possint depravare.

HUMILIS notat proprie, quod humi repit, parvum est. Curtius 7. cap. 4. *neminem adeo humilem esse, ut humeri ejus non possent Macedonis militis verticem æquare*. Plinius lib. 7. epist. 20. *humili radice descendunt*. Metaphorice est *abiectus*, *ignobilis*. Cicer. 1. Fin. 15. *succumbere doloribus, eosque humili animo, imbecilloque ferre, miserum est*. Pro *modestus* autem non acceptum fuit, priusquam inclinaret Latinitas, aut peregrina specie deformaretur. Adde Cur. Poster.

HUMILITAS pariter non virtutem, *modestiam*, *Demuth* significat; sed altitudini opponitur, ut *humilitas arborum* Sallust. Jugurth. cap. 49. *navium*

vium Cæs. 5. Gall. cap. 1. aut dignitati, e. g. *humilitas generis*, idem Sallust. Jug. cap. 72.

IMAGINARI est alicujus similitudinem mente concipere. Plin. 9. cap. 35. *imaginari fercula triumphi*. Deinde somniare. Plinius junior 5. epist. 5. *Visus est sibi per nocturnam quietem jacere in lectulo suo --- mox imaginatus est venisse Neronem*. Suetonius Cæs. 81. *Calpurnia uxor imaginata est collabi fastigium domus*. Pessime ergo abutuntur verbo tirones nostri, quando pro *tribuere sibi*, aut *persuadere sibi* & *arbitrari* adhibent.

IMO vel IMMO correctionis est, non affirmationis Adverbium.

IMPINGERE pro *offendere* ignorat casta antiquitas, cui est, *iniicere*, *infligere*. Plautus Amphitr. act. 4. sc. 4. *ex vulnere, quod mihi impegit*. Phædrus lib. 3. fab. 6. *Æsopo quidam petulans lapidem impegerat*. Quæ vero hodie obtinet significatio, jam tum Hieronymi ætate in usu fuit. Sic enim præfat. in Danielem (seu epist. 120.) *cum me in linguæ hujus pistrinum reclusissem, — impegi novissime in Danielem*, id est in stilum Danielis Chaldaicum. Malo cum antiquis loqui, quibus non deest, quo recentiorem notionem significent. Cicero 9. epist. 2. *Quis est tam lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat, nusquam incurrat?*

INDIGETARE verbum, quo, si Varronis fragmentum apud Nonium excipias, fere soli utuntur auctores Latinitatis cadentis: neque hi sæpenumero. Hodie tritum est & pervulgare, ac vim nominandi aut *indicandi* habere creditur. Sed subobscurum, quid veteribus significaverit. Varro: quam

quam deam solent indigitare etiam pontifices. Macrobius 1. Saturn. cap. 17. *Virgines Vestales ita indigitant: Apollo Medice, Apollo Paean.* In his Vossius interpretatur *invocare*. Tertullian. de Jejun. cap. 10. *precem indigetant, hostiam instaurant*; quod videtur esse *indicere*. Ergo vulgaris notio *indicare*, *nominare* incerta est. Nec origo certior, dum alii a *digitus*, alii ab *indigetes* deducunt; unde per I & E scribitur.

INFRACTUS Ciceroni & aequalibus significat *fractus* seu *valde fractus*, nec ab *in* & *fractus* compositum est, sed ex Verbo *infringo* inclinatum. Gifanius Observ. L. L. & Pareus Lex. Crit. adnotarunt, veteres uti verbo juncto *infractus* saepius, quam simplici *fractus*: e. c. Cicero ad Quir. post. Red. cap. 8. *Marium vidi, cum esset summa senectute, non modo non infracto, animo propter magnitudinem calamitatis, sed confirmato atque renovato*. Virgil. 9. Æn. v. 500. *torpent infractae ad praelia vires*. Curt. 9. c. 2. n. 30. *aversos animos & infractos excitare conor*. Vellejus 2. cap. 39. *Gallia Caesaris ductu auspiciisque infracta ignavum conferunt stipendium*. Idem confirmat substantivum Tullianum 3. Tuscul. cap. 7. *Verisimile est, in quem cadat aegritudo, cadere in eundem timorem, & infractionem quidem animi, & demissionem*. Male cum his congruunt, qui hodie pro *non fractus* usurpant, quibus quidem Hieronymus atque Symmachus favere videntur (vide Post. Cur.) sed praestat antiquiores, quam hos aut eorum aequales sequi.

INFUCATUS pariter significationem simplicis non negat, sed auget. Est enim ab *infucare*, id est

fuco

fuco inficere. Cicero 3. de Oratore cap. 25. extremo: *In scrptis & in dictis non aurium solum, sed animi judicio etiam magis, infucata vitia noscuntur*. Verum & hoc mutavit posterior ætas, ut Curis Secundis ostendimus.

INQUAM hodie adhibetur ad revocandum & corrigendum sermonem, si quid perperam dictum est. Olim continuando sermoni, qui paullum interruptus fuit, serviebat. Pro correctione autem in usu fuit: *illud volui dicere*, & similia.

INTERCEDO, INTERCESSIO, & INTERCESSOR referuntur vulgo ad officium deprecatoris, *Borbitten*, *Borbitte*, *Borbitter*. Ciceroni aliisque antiquis notant *legibus contradicere*, protestiren. Alterum autem significatum ita explicant Latini: Tullius post Red. ad Quir. cap. 3. *supplicare cui pro aliquo*, & cap. 4. *adesse cui ad deprecandam calamitatem ejus*. Plinius 6. epist. 4. *ego precum tuarum minister, adjutor, particeps ero*. Iterum Tullius 13. epist. 35. *quem Cæsar meo beneficio in Novocomenses retulit*, hoc est me rogante, quod nostri dixissent, *mea intercessione*: & epist. 36. *rogatu meo*, quod idem est. Livius lib. 36. cap. 35. *Ego apud consulem deprecator defensorque vobis adero*. Suetonius Cæs. cap. 83. *C. Memmii etiam suffragator in petitione consulatus fuit*: ubi Bernegg. in Indice, *absurde vulgo intercessor*.

ITA absolute positum similitudinis potius, quam affirmationis Adverbium est, at sequente *Est*, affirmat in responsione, *Ita est Ja*, *dem ist also*. Non autem absolute *Ita Ja*, nisi *est* subaudiatur.

ITERUM perperam vulgata consuetudine pro *vicissim*

cessim adhibetur, v. g. *iterum alicui gratificari*. Nam *iterum* Latinis est *secundo*; *zum andern mahl*. Nepos Hannib. cap. 5. *Gracchum iterum consulem in insidias inductum sustulit*. Vellejus 2. cap. 34. *Lentulis consularis & prætor iterum*, quod Plutarchus in Cicerone reddidit δεύτερον. Cicero 1. Invent. cap. 39. *Primo quidem decipi incommodum est: iterum stultum: tertio turpe*.

JUXTA frequens vocula in citandis auctoribus, ut *juxta Horatium*, *justa Plinii verba* &c. Veteres autem dixerunt *secundum* Homerum, *teste* Catone, *ex sententia* Ciceronis, & (quod Livius 36. 19. habet) Polybio *auctore*. Et his *juxta* est *prope*: *neben*: i. e. Nepos Att. cap. 22. *sepultus est juxta viam Appiam*. Cadens Latinitas pro *secundum* usurpavit, ut Solinus cap. 11. *juxta siderum disciplinam*. Salvianus lib. 6. p. 125. *juxta Domini nostri dictum*. Adde Cur. Post. Sed nolim hos doctores Latinitatis antiquioribus anteferri.

LUSCUS vulgo pro strabone ponitur, *shielend*: Latine est unoculus, seu oculo captus. Vid. Voss.

MECHANICUS male hoc vocabulum ad illiberalia opificia & sellularias artes detruditur. Opera quidem manuum in mechanicis opus; sed magis ingenio. Unde ingeniosum artificem, qui machinis & mirandis instrumentis opus perficit, mechanicum veteres dixerunt. Sueton. Vesp. cap. 18. *mechanico, grandes columnas exigua impensa perducturum in Capitolium pollicenti, præmium non mediocre obtulit*. Quos autem vulgus mechanicos vocat, *opifices* adpellabimus: eorumque humiles

ar-

artes non *mechanicas*, sed *sellularias*, *sedentarias*; aut *vulgares*, ut Cicero dixit pro S. Rosc. cap. 46.

MEDIA pro *subsidiis* aut *sumtibus* ex Germanismi consuetudine persæpe dicuntur, ut *media salutis*, *studiorum*, *Wittel*, sed sine suffragio Latini populi. Substantivum enim usu nunquam venit: adjectivum per se notum est, cujus Neutrum Græco more *rem mediam* designat, e. g. *medio tutissimus ibis*, Ovid. *a medio ad summum* Cic. de Univers. In ceteris, *de medio tollere*, *in medium proferre*, subauditur, *locus*.

MEDIARE Latinis rarum verbum, & si quando utuntur, significat rem mediam dividere vel dividi. Cælius Apicius lib. 3. cap. 7. *coliculos elixatos mediabis*. Palladius 4. cap. 10. *Junio mediante*, id est medio. Excidunt ergo notiones peregrinæ *mediante hoc*, *illo*; item *mediate*, pro *interveniente alio*.

MEMORARE, hoc est memoriten, memoriæ infigere; inscite: at pro *narrare* commode & eleganter usurpatur. Sallustius Catil. cap. 7. *Memorare possem, quibus in locis maximas hostium copias P. R. parva manu fuderit*.

MUNDUS systema universorum notat ab *ornatu* ita adpellatum. Falluntur, qui ubique vernaculo *Welt* respondere credunt. Nam nostrum *Welt* præter systema cæli terræque, significat *orbem terrarum*, & *genus humanum*, *mortales*, *impiorum colluviem*, *res humanas* &c. Iudicio opus est in discernendis phrasibus.

NEUTRALIS non quidem vox barbara est, sed Latina Grammaticorum; Quinctilianus lib. 1. cap. 4. quæ

4. *quæ feminina positione mares, aut neutrali feminas significant*. Eodem libro, cap. 5. *nomina neutralia* dixit. Pro iis autem, qui se inter belligerantes ita præbent, ut neutrius amicitiam offendant, apud veteres non reperitur, qui hosce *medios & neutrius partis* dicunt, ut est apud Suetonium Cæs. cap. 75. & *otiosos* cum Cic. pro Marcello cap. 6. ac lib. 9. epist. 6. cum Eutropio lib. 4. cap. 3. *utrisque se æquos præbentes*.

OFFICIUM licet certo modo ad gerendam rempubl. applicetur, ut in Eumene Nepotis cap. 1. tamen id raro fit & caute adhibetur. Officium enim Latine notat, quod quisque debet facere, *Pflicht und Schuldigkeit*; ut *officii mei est*, *facere quod officium est*, *ad officium redire*. Deinde beneficium, ut *officia amicis præstare*. Vix ergo excusari possunt tirones, cum *officium* indiscriminatim pro magistratu aut honoribus sumunt, cum non desint, in quibus minus possit offendi, *honores petere*: *ad honores adscendere*, *rempubl. administrare*, *gerere* & cetera hujus generis: etiam *magistratum ingredi*, *das Amt antreten*, apud Sallust. Jug. cap. 43.

PERSONA est qualitas, qua homo ab homine differt. Latine itaque dicimus: *imponere alicui personam*, *personam induere*, *deponere*, *abesse a persona principis*, *non satis dignum esse persona cujus*? Hæc nota sunt, & his similia: rariora quædam, nec vero minus eleganta subjungo: *sub persona cujus*, item *ex persona cujus dicere*, Gellii utrumque lib. 10. cap. 22. Et, *id Cicero sua ipse persona frequentissime præcipit*, Quinctil. 10. cap. 5. hoc est per se, non ex aliorum sententia. De

notio-

notione *larvæ* dictum Poster. Curis. Extra hoc aut similes usus peregrinitate damnatur hoc vocabulum. Excipias vero Theologorum usum hujus vocabuli, quem gravibus de caussis Ecclesia in sinum suscepit.

POTARE pro potum præbere. Est enim largiter bibere.

PRÆCISE non est *accurate*, *diserte*, *puncto temporis observato totidem verbis*. ut vulgo capitur; sed *non plene*, *non perfecte*. Tullius 2. Nat. Deor. cap. 2. *Sed id precise dicitur: — plene autem & perfecte sic dici existimato* & 8. Att. epist. 4. *Numquam reo cuidam tam humili, tam sordido, tam nocenti, tam alieno, tam præcise negavi, quam hic mihi*, hoc est ἀποτόμως; sine ulla exceptione. Gellius 3. cap. 16. *obscure atque præcise dictum*.

PRÆSUMO proprie est *ante capio*. Plinius lib. 6. epist. 10. *præsumere officia hæredum*. Claudius 4. Consul. Honor. 166.

Præsumtum diadema dedit,

hoc est, ante legitimam ætatem gestare coeptum. Ad animum refert Virgilius 11. v. 18.

animis & spe præsumite bellum.

Unde *præsumtio bonæ famæ* Plinio 9. epist. 3. est certissima futuræ gloriæ fiducia & quasi anticipatio. Sequioris ævi scriptores addiderunt novum significatum, nempe *audendi*, & quidem in malam partem. Sex. Rufus cap. 7. *Epirotæ cum rege Pyrrho etiam ad Italiam transire præsumserant*. Sulp. Severus 1. Hist. cap. 47. de Ozia rege: *elatus secundis rebus, illicita præsumens, incensum Deo obtulit*. Quod ut imitentur Latinitatis studiosi, nolim equidem suasor esse.

PRO-

PROLIXUS & PROLIXE ad orationem & verba minus scite vulgo applicant, ut longitudo & copia describatur. Ciceroni enim Prolixus est *liberalis* & *largus*. De oratione autem habet *multus longus, copiosus, verbosus* e. c. *nolo in hac re multus videri* : *dialogus longus* : *epistola pluribus verbis scripta, hæc ad te scripsi verbosius*. Suetonius Rhet. cap. 1. *latius & uberius explicare*. Postea & Minucius Felix cap. 17. *prolixior oratio*. Et Symmachus 2. epist. 8. *litterarum prolixitas*. & Augustinus epist. v. extr. *prolixissima epistola*.

PROMOVERE ut hodie, ita jam tum cadentis Latinitatis ævo, simpliciter ad *honores* applicatum fuit, ut sit *honores decernere*, *ad dignitatem evehere*, *honoribus augere*. Veteres non abhorrebant ab hac notione, elegantius vero, quam recentes, & additis aliis vocabulis, eadem usi sunt. Nam sicut promovere est *gradum movere*, seu *in alium locum pellere*: ita Curtius 6. cap. 11. *promoveri ab humili ordine ad superiorem gradum*; Plinius 10. epist. 3. *in amplissimum ordinem promovere*: Suet. Oth. cap. 1. *in ampliorem gradum promovere*. Hic enim apponitur dignitatis nomen, ad quam fit promotio, simulque ad propriam significationem respicitur, puod utrumque negligunt recentiores. (Aliquando tamen nomen dignitatis subauditur, ut Plin. Panegyr. cap. 90. extr.) Hinc nec PROMOTOR Latinum est, quo vocabulo nostri *dignitatis amplificatorem*, ut Cicero appellat lib. 2. epist. 9. describunt.

PROPRIUS ad varia peregrina trahitur, v. g. *propria manu* scriptum : *proprio Marte* elaboratum : Atque ita Haythonus Passagio Terræ S. cap. 10.

 non

non credidissem, nisi propriis oculis perspexissem? Nec elegantius Sulp. Severus Dialog. 2. cap. 4. *defuncti corpus propriis manibus accepit*. Latine *Proprius* est *eigeuthumlich*, *einem allein geurig*, v. g. *nihil est proprium cujusquam : libertas est propria populo* R. Germanismi autem, quos supra notavimus ita corrigendi sunt, *mea manu* 2. Att. epist. 23. & 5. epist. 13. *suo Marte* Philipp. 2. cap. 27. *meis oculis*, nisi potius *oculis* simpliciter, aut *hisce oculis* cum Terentio dicendum est Adelph. act. 3. sc. 2.

PRO TEMPORE vulgo nostro est *jam*, *hoc tempore*, sed male : antiquis Latinis, *pro conditione temporis*, *prout tempus fert*. Livius 30. cap. 10. *His raptim pro tempore instructis*. Virg. Eclog. 7.

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus.

Justinus 11. cap. 1. *consolatus hortatusque pro tempore est*. Idem censeas de cognata formula CUM TEMPORE, quam si accipis pro *procedente tempore*, *progressu temporis*, Germanismum olet: verum ut comitatum significat, sana est & probata. Seneca enim epist. 58. *quidquid*, inquit, *vides*, *currit cum tempore*, id est tempus currit, & res visa currit. IN TEMPORE autem, *zu rechter Zeit*. Livius 33. cap. 5. *ni equites peditesque in tempore subvenissent*.

PROXIMUS substantive Graecismum Latinis intolerabilem affert. Dum enim ο πλησιον in Sacris vulgo *proximus* transfertur, id in ipsam porro irrepsit Latinitatem. *Proximus* vero est tantummodo adjectivum, v. g. *proxima nocte*, Catil. 1. *proximo saeculo*, de Cl. Orat. cap. 10.

QUANDOQUE vulgo usurpatur pro *raro*, *interdum*,

dum, atque ita explicant Horatii versum de Arte 359.

quandoque bonus dormitat Homerus.

Sed male hoc fieri, Buchnerus supplementis Fabri diligentissime probavit. Tenuit me suspensum locus Plinii, quem Buchnerus non attigit, lib. 1. epist. 10. *nam id ipsum quandoque contingit*, ubi Catanæus exponit *raro*. Verum editio Aldi 1508. habet *quando*, non *quandoque*, ut etiam de lectione dubitare possis. Verus autem sensus hujus voculæ est *Quando Quandocunque*, Livius lib. 1. cap. 30. *mansit solenne, ut quandoque idem prodigium nunciaretur, feriæ per novem dies agerentur*. Ad quem locum Gronovium consulas, uti etiam ad cap. 24. ejusdem libri.. Est, ubi *aliquando* interpretamur. Cicero lib. 6. epist. 19. extrema: *Ego me Asturæ diutius arbitror commoraturum, quoad ille quandoque veniat*.

Quoad pro *secundum*, barbarum est: v. g. *quoad corpus*, *quoad animam*. Non enim Nominibus, sed Verbis jungi postulat, & valet *quamdiu*, *quousque*. Nepos Pelop. cap. 4. *Epaminondas, quoad cum civibus dimicatum est, domi quietus fuit*: & nota formula, *quoad potest*, *quoad ejus fieri potest*, & Cic. 2. epist. 2. *quoad ejus facere poteritis*. Pro barbara notione adhibeas vel *secundum*, vel *quod attinet ad*, unde etiam contractum esse videtur.

Saltem male vulgus usurpat pro *solum*. Est enim genuina ejus significatio *minimum*, *zum wenigsten*. Terent. Eunuch. act. 4. scen. 2. *Si illud non licebit, saltem hoc licebit*. Quæ in contrarium objiciuntur, ventilavimus Secundis Curis.

SCHOLARIS, pro *Scholasticus*, sero dici cœpit. Media ætas Palatinos milites *scholares* nuncupavit, sicut diversæ erant in Palatio militum scholæ. Vid. Cur. Poster. *Scholasticus* autem est antiquæ & probæ notæ. Plin. 2. epist. ult. *scholastica lege*: & substantive idem lib. 1. epist. ult. & Petronius supra in *Extemporaneus*. Denique Fulgentius *scholaris* ad rem litterariam deduxit lib. 1. Mythol. p. 14. ed. Munck. *scholaribus rudimentis tumidas ferulis palmas* commemorans.

SECULARIS (vel SÆCULARIS) ecclesiasticis idem est quod *profanus*. Hieronymi epist. 22. sect. 13. *codices sæculares* sunt libri profani, Ciceronis, Plauti, & aliorum. Iisdem quoque SECULUM crebro mundum & res mundanas significat. Prudent. in Laurentio extr. *vincula sæculi*, impedimenta pietatis. Sedulius, *Beatus auctor sæculi*. Quid Romanis priscis fuerit *sæculum*, & ludi *sæculares*, abunde notum est.

SEDUCERE pro *corrumpere mores*, *berführen*, antique Latinum non est. Veteri enim in Latio hoc verbum notabat *seorsum ducere*, & *a cœtu removere*. Plautus Asin. act. 2. sc. 2. v. 95. *me hodie senex seducit solum*, *seorsum ab ædibus*; & Aulular. act. 1. sc. 3. *secreto te huc foras seduxi*. Petronius Satyr. *seduxit me paullulum a turba*. Adde Cur. Poster. Interim vulgarem notionem ita cum Cicerone vertimus: *adolescentulos corruptelarum illecebris irretire* Catil. 1. cap. 6. item *ne te aliorum consilia auferant*, lib 2. epist. 7.

SERVIRE alicui, INSERVIRE alicui pro *saluti cujus consulere*, *officia deferre*, ex Germanismo aut nata, aut concumulata sunt. *Servire* vero *commo-*

dis

dis alicujus dixit Terentius Hecyr. prolog.

SPECTARE pro *pertinere*, ut in formula: *Belgium spectat ad Hispanos*, displicet Latine doctis. Goclenius quidem Observ. L. L. elegantiis annumerat, *spectare* pro *pertinere*, sed exempla affert, quæ neque Vorstio, neque Scioppio (hi enim notaverant) adversari possunt, nempe *Hoc eo spectat: beneficia quæ ad singulos spectant: consilia ad concordiam spectant* &c. Quod si autem possessionem & dominium vis significari, abstinendum est verbo *spectandi*.

STIPENDIARIUS non est, qui accipit stipendium, sed qui solvit tributum, seu tributarius. Sic Cæsar lib. 1. Gall. cap. 30. *reliquas civitates stipendiarias habere*, id est ditioni subditas, Metaphrastes ὑποτελῆ ἔχειν. Velleius Pat. 2. c. 38. *Hispania ductu Augusti facta stipendiaria est*.

STUDIUM. In hac voce duo admittunt partim tirones; partim vulgus nostrum, quæ non satis Latina sunt. Nam *Studium* absolute ponunt pro studiis literarum, *das Studiren*, quod malunt Latini pluraliter proferre: v. g. *vacare studiis* Sueton. Aug. 8. *in studia mittere* Vell. Pat. 2. cap. 51. *studiis se asserere*. Plin. 1. epist. 3. Lubentius vero & elegantius huic verbo Genitivum adjiciunt, ut *studia litterarum*; *optimarum artium*, & quæ hujus generis plura sunt. At singulariter *studium* plerumque vel *industria*, vel *favor* est. Deinde auferendi Casu STUDIO abutuntur multi pro *de industria*, *consulto*, *mit fleiss*, cujus exemplum in omni antiquitate nullum invenio. Rem autem ita significant veteres: *de industria* Livius 1. cap. 45. *ex industria* idem lib. 26. extremo:

consulto Valer. Max. 3. cap. 3. n. 1. extern. *ex professo* idem 4. cap. 1. *dedita opera* Cic. Rosc. Am. cap. 36. extr. & *consilio*, ut pro Ligar. cap. 12. *si consilio id fecisset*. At vero *studio* notat *mit Lust*, *Begierig*, Pro Rosc. Am. cap. 32. extr. *ut omnes intelligant, me non studio accusare, sed officio offendere*.

SUBDITUS vulgo Substantive intelligitur is, qui domino vel principi subjectus est, *ein Unterthan*. Sed Latinis hæc notio ignota, & *subditus* semper adjectivum vel participium est nec cum gignendi casu, sed dandi, construitur, *subditus alicui*, non *subditus principis*. Et quod summus vir H. Grotius de Iure P. & B. lib. 2. 26. ex Tacito (6. 8. 5.) exemplum profert, falsum est, & optimi libri *nobis* habent, non *subditis*. Nec si antiquos consulas, frequens est in hoc verbo *parendi* significatus; sed vel *suppositus* notat, ut Virgil. 3. Georg. 271. *subdita flamma medullis*: vel *subornatus*, Tac. 4. annal. cap. 59. *subditis, qui accusatorum nomina sustinerent*. Latine autem, quem barbare Subditum vocant, dicitur *civilis imperii*, *regni*, *subjectus alicui*, *stipendiarius*, *cliens*, *parens*, &c. v. g. Plin. Paneg. cap. 85. *Neque ut alia subjectis, ita amor imperatur*: & Sallust. Jug. cap. 102. *parentes abunde habemus*, *mir haben Unterthanen genug*.

TENEOR, id est *oportet me*, puræ Latinitatis non est. Habent quidem Jurisconsulti *jure teneri*, *lege teneri*, verum *teneor facere* & similia, impuriora sunt. Cum Cicerone dicas *oportet*, *munus est cujus*, *meæ partes sunt*, *non alienum est a persona cujus* &c.

TOR-

Tortura pro *tormentis & quæstione* nullius est auctoritatis. Propria notio habetur in Palladii lib. 3. cap. 9. *caput sarmenti torquendum non est — quoniam ipsa tortura vexatio est*.

Tribulare est frumenta excutere, aut aliud quidvis tribulo comminuere. Cato R. R. cap. 23. *indideris defrutum, aut marmor, aut resinam, dies viginti permisceto crebo, tribulato quotidie*. Est enim a *tribulo*, quod plostellum fuit, quo grana excutiebantur. Vid. Varro R. R. lib. 1. cap. 52. Ecclesiastici verbo *tribulandi* novam metapharam addiderunt, nempe pro *affligere, vexare*. Hieronym. in Psal. 120. *Nemo tribulatus, nisi qui vivere in Christo pie desiderat*: Idem de nomine *tribulatio* sentiendum, quo Vulgatus non semel usus est.

Trivialis quod in trivio & vulgare est, & ob id contemtum atque vile. Sueton. Aug. 72. *triviales ludios*, (Casaub. *vilissimos homines*) idem Gram. cap. 6. *verba trivialia*. Juvenal. Sat. 7. v. 55. *carmen triviale*, hoc est rude & plebejum. Injuria igitur & immerito suo vocari *triviales scholæ* videntur, quæ titulo illustrium Gymnasiorum ornatæ non sunt, ut ut artes & disciplinas minime triviales procudant. Vid. Voss.

Valere promiscue pro *posse dici* non debet, nisi ad valorem verbi, qui *vires & potentiam* significat, simul respiciatur: ut *valere ad consulandum* Cic. lib. 5. ep. 13. *valere dicendo* Nepos Alcib. cap. 1. Iterum Cicero Senect. cap. 10. *Nemo adhuc convenire me valuit, quin fuerim occupatus* id est, quamvis summo studio quæsiverit tempus, quo vacuus essem.

UNIO gemma est Latine, & virilis generis: pro *fœdere* & *concordia*, (ubi etiam sexus mutatur) βαρβαρίζει. Neque Latinus es, si consociationem, agglutinationem, ut vulgo fit, *unionem* dixeris, quam rectius nominasses *unitatem*.

UNITAS non esse numerum, quem *unum* dicimus, Pareus Lex. Crit. tradit: sed continuationem, conjunctionem. Seneca Quæst. Nat. 2. cap. 2. *Si quando dixero unum, memineris me non ad numerum referre, sed ad naturam corporis, nulla ope externa, sed unitate sua cohærentis.* Cassius Dig. lege 23. §. 5. de rei vindic. *si statuæ suæ ferruminationi junctum brachium sit unitate majoris partis consumi.* Palladius Martio cap. 10. sect. extrema deficu: *germen adunatum parturiet duos colores, quos unitate dividat, divisione conjungat.*

VOCATIO pro Officio divinitus delegato, *Beruff*: Catullo valet *invitatio* Epigr. 48.

VOTUM pro *suffragio* probatum non est. Id enim Latini *suffragia*, *sententias* vocant. Sallustius Cat. cap. 52. *Cato rogatus sententiam*. Nepos Epam. 8. *suffragium ferre*. Brutus Ciceroni 11. epist. 4. *adjuvare aliquem sententia sua*.

CAPUT IV.

De Phrasibus & Formulis minus Latinis.

AD DIEM III. KAL. aut simili modo, rejicit Gifanius Observ. L. L. p. 20. ex veteribus substituit *Ante diem*, *Ante Kal.* quod quia sæpe notis *A. D.* signatum est, putat describentes in *AD*, ut multis adhuc locis legitur, depravasse. Hoc

Hoc certum est *ante*, *in ante*, *ex ante* elegantissime in his formulis adhiberi. Cic. Catil. 1. cap. 3. *Dixi ego idem in senatu, cædem te optimatum contulisse in ante diem V. Kal. Novembris.* Livius 41. cap. 17. *Comitia quæ in ante diem 3. Non. Sextiles edicta erant.* Idem 45. cap. 2. extr. *Supplicatio indicta est ex ante diem quintum idus Octobres cum eo die in quinque dies.*

AMITTERE PRŒLIUM pro *vinci*, *acie vinci*, *prælio fundi*, *inferiorem discedere*, inepte tirones dicunt, quamvis *exercitum amittere* probum sit auctore Justino 38. cap. 9. n. 2. *Facere* autem *prælium* bonum est auctore Nepote in principio Chabriæ; & Livio lib. 35. cap. 1.

Non ABS RE trita formula, non autem Latina, siquidem AB RE dicendum erat. Veteres enim *Abs* non utebantur nisi sequente C. Q. aut T. observante Valla Eleg. 2. cap. 29. Omnes omnium temporum auctores *Ab re* dixerunt; nec Gellii illud Noct. Att. 18. cap. 14. nobis adversatur, quia manifesto depravatum est in libris nostri sæculi. Superiore ita excusum fuit Venetiis 1489. Lugduni 1565. & Coloniæ 1533. editore P. Mosellano: *Hæc notare meminisseque non AB re visum est.* Non possum etiam hoc loco non notare, a multis hanc formulam *ab re* intempestive adhiberi. Veteres *alienum* subaudierunt, quod quia non attendunt recentes, fit, ut in ipsis sæpe castigent Critici, quod Scioppius in Famiano, qui *non ab re veritus* dixerat, ubi *alienum* locum non habet.

BRABHIUM, SÆCULARE, Magistratus, & quæ alia potestatem summam significant, aut summæ administram.

COM

Comparatum Est Cum Hoc, Illo. Recte & ordine fecit Jo. Vorstius, qui hanc formulam reprobavit,. Nam Latini: *Ita ratio comparata est vitæ naturæque nostræ* Cic. Læl. cap. 27. *Ita comparata natura omnium hominum* Terent. Heaut. act. 8. sc. 1. *Loci ea conditio est* Iustin. 41. cap. 5. *Ita comparatum est*, simpliciter, Plin. 3. epist. 4. & Faneg. cap. 46. Ergo solum additamentum *CUM aliquo* phrasin per se bonam de honestat.

De Die In Diem ex Ebraismo ad nostrates permanavit. Cicero 1. Philipp. cap. 2. *Cum serperet in urbe infinitum malum, idque manaret in dies latius*: & lib. 6. epist. 4. *in dies singulos magis magisque opinio hominum confirmatur*: & epist. 6. *quotidie magis*: Livius lib. 25. cap. 25. *Cum is diem de die differret*.

* *In diem* est præsenti die, non ultra hunc diem. Ovid. 2. Metamorph. 47.

---- currus petit ille paternos,
Inque diem alipedum jus & moderamen equorum.

De Verbo Ad Verbum Germanismus est. Latini aliter. Terentius Prolog. Adelph. *Verbum de verbo expressum*. Cic. 1. Orat. cap. 34. *Exercenda est memoria ediscendis ad verbum quam plurimis & nostris scriptis & alienis*. Sueton. Jul. cap. 50. *hæc ad verbum dixisse refert*, & cap. 55. *ad verbum nonnulla transtulit*.

Ex Fratre vel Sorore Nepos frequens hodie pro *fratris filius sorore genitus*. Nec equidem negarem, sic Hieronymi ævo in usum receptum fuisse, uti ex illo & Orosio exempla at-

tuli

tuli in Secundas Curas. Verum antiquis hoc insolens est, qui malunt *fratris filius*, Nepos Agef. cap. 13. *fororis filius* Cic. 3. Off. cap. 18. *Ennii forore genitus* Plin. 35. cap. 5. *fororis filiam Hannibalis*, Livius lib. 29. cap. 29. extr.

FIDEM ADHIBERE *pro habere fidem alicui*, *Glauben geben*, videtur dici cœptum postrema Latinitate. Sulp. Severus vita Mart. cap. 1. 11. & 23. id suum fecit: Latinissimus quisque mavult *fidem habere cui*. Ita Cicero Att. 8. epist. 3. *considerandum est, quanta ei fides sit habenda*: & Curtius 4. cap. 6. *Aristander, cui maxima fides habetur*. Habet quidem Plautus Rud. act. 4. sc. 2. extr. *fidem adhibere*, sed alio sensu, nempe pro *fide uti*, *sine dolo agere*.

* *Fidem facere alicui* est *probare*, *persuadere*: Corn. Nep. Agef. 7. 3. *Huic vix fides facta est*, id est persuasum. Curtius 4. cap. 9. *Alexandro vix fecerunt fidem*:

IMPLICARE CONTRADICTIONEM philosophicum potius est, quam Latinum, pro quo Ciceroniani dicunt *repugnat*, *hæc inter se repugnant*. Sic & contradictoria vocat Tullius 2. Philipp. cap. 8. *non cohærentia*: Apulejus Apolog. (p. 289. Elmenh.) *inter se repugnantia*. Ipsam contradictionem Cicero c. l. *rerum repugnantiam*, quamvis vox *contradictio* non improbanda est, utpote Quinctiliani lib. 3. cap. 8.

IN GENERE, *generaliter*, *in universum*: IN SPECIE, *speciatim*, *singulariter*, aut similiter.

IN HÆC ERVMPIT VERBA, Tirones Latinæ linguæ, cum verba auctoris allegant, neglecto elegantissimo Ciceronis *INQUIT*, hac fere formula con-

artes non *mechanicas*, sed *sellularias*, *sedentarias*; aut *vulgares*, ut Cicero dixit pro S. Rosc. cap. 46.

MEDIA pro *subsidiis* aut *sumtibus* ex Germanismi consuetudine persæpe dicuntur, ut *media salutis*, *studiorum*, *Wittel*, sed sine suffragio Latini populi. Substantivum enim usu nunquam venit: adjectivum per se notum est, cujus Neutrum Græco more *rem mediam* designat, e. g. *medio tutissimus ibis*, Ovid. *a medio ad summum* Cic. de Univers. In ceteris, *de medio tollere*, *in medium proferre*, subauditur, *locus*.

MEDIARE Latinis rarum verbum, & si quando utuntur, significat rem mediam dividere vel dividi. Cælius Apicius lib. 3. cap. 7. *coliculos elixatos mediabis*. Palladius 4. cap. 10. *Junio mediante*, id est medio. Excidunt ergo notiones peregrinæ *mediante hoc*, *illo*; item *mediate*, pro *interveniente alio*.

MEMORARE, hoc est memoriten, memoriæ infigere; inscite: at pro *narrare* commode & eleganter usurpatur. Sallustius Catil. cap. 7. *Memorare possem*, *quibus in locis maximas hostium copias P. R. parva manu fuderit*.

MUNDUS systema universorum notat ab *ornatu* ita adpellatum. Falluntur, qui ubique vernaculo *Welt* respondere credunt. Nam nostrum *Welt* præter systema cæli terræque, significat *orbem terrarum*, & *genus humanum*, *mortales*, *impiorum colluviem*, *res humanas* &c. Judicio opus est in discernendis phrasibus.

NEUTRALIS non quidem vox barbara est, sed Latina Grammaticorum; Quinctilianus lib. 1. cap.

4. quæ

4. *quæ feminina positione mares, aut neutrali feminas significant*. Eodem libro, cap. 5. *nomina neutralia* dixit. Pro iis autem, qui se inter belligerantes ita præbent, ut neutrius amicitiam offendant, apud veteres non reperitur, qui hosce *medios & neutrius partis* dicunt, ut est apud Suetonium Cæs. cap. 75. & *otiosos* cum Cic. pro Marcello cap. 6. ac lib. 9. epist. 6. cum Eutropio lib. 4. cap. 3. *utrisque se æquos præbentes*.

OFFICIUM licet certo modo ad gerendam rempubl. applicetur, ut in Eumene Nepotis cap. 1. tamen id raro fit & caute adhibetur. Officium enim Latine notat, quod quisque debet facere, *Pflicht und Schuldigkeit*; ut *officii mei est, facere quod officium est, ad officium redire*. Deinde beneficium, ut *officia amicis præstare*. Vix ergo excusari possunt tirones, cum *officium* indiscriminatim pro magistratu aut honoribus sumunt, cum non desint, in quibus minus possit offendi, *honores petere*: *ad honores adscendere*, *rempubl. administrare*, *gerere* & cetera hujus generis: etiam *magistratum ingredi*, *das Amt antreten*, apud Sallust. Jug. cap. 43.

PERSONA est qualitas, qua homo ab homine differt. Latine itaque dicimus: *imponere alicui personam*, *personam induere*, *deponere*, *abesse a persona principis*, *non satis dignum esse persona cujus*? Hæc nota sunt, & his similia: rariora quædam, nec vero minus eleganria subjungo: *sub persona cujus*, item *ex persona cujus dicere*, Gellii utrumque lib. 10. cap. 22. Et, *id Cicero sua ipse persona frequentissime præcipit*, Quinctil. 10. cap. 5. hoc est per se, non ex aliorum sententia. De

notione *larvæ* dictum Poster. Curis. Extra hos aut similes usus peregrinitate damnatur hoc vocabulum. Excipias vero Theologorum usum hujus vocabuli, quem gravibus de caussis Ecclesia in sinum suscepit.

POTARE pro potum præbere. Est enim largiter bibere.

PRÆCISE non est *accurate*, *diserte*, *puncto temporis observato totidem verbis*, ut vulgo capitur; sed *non plene*, *non perfecte*. Tullius 2. Nat. Deor. cap. 20. *Sed id præcise dicitur : — plene autem & perfecte sic dici existimato*. & 8. Att. epist. 4. *Numquam reo cuidam tam humili, tam sordido, tam nocenti, tam alieno, tam præcise negavi, quam hic mihi*, hoc est ἀποτόμως, sine ulla exceptione. Gellius 3. cap. 16. *obscure atque præcise dictum*.

PRÆSUMO proprie est *ante capio*. Plinius lib. 6. epist. 10. *præsumere officia hæredum*. Claudius 4. Consul. Honor. 166.

Præsumtum diadema dedit,

hoc est, ante legitimam ætatem gestare cœptum. Ad animum refert Virgilius 11. v. 18.

animis & spe præsumite bellum.

Unde *præsumtio bonæ famæ* Plinio 9. epist. 3. est certissima futuræ gloriæ fiducia & quasi anticipatio. Sequioris ævi scriptores addiderunt novum significatum, nempe *audendi*, & quidem in malam partem. Sex. Rufus cap. 7. *Epirotæ cum rege Pyrrho etiam ad Italiam transire præsumserant*. Sulp. Severus 1. Hist. cap. 47. de Ozia rege: *elatus secundis rebus, illicita præsumens, incensum Deo obtulit*. Quod ut imitentur Latinitatis studiosi nolim equidem suasor esse. PRO-

PROLIXUS & PROLIXE ad orationem & verba minus scite vulgo applicant, ut longitudo & copia describatur. Ciceroni enim Prolixus est *liberalis* & *largus*. De oratione autem habet *multus longus*, *copiosus*, *verbosus* e. c. *nolo in hac re multus videri* : *dialogus longus* : *epistola pluribus verbis scripta*, *hæc ad se scripsi verbosius*. Suetonius Rhet. cap. 1. *latius & uberius explicare*. Postea & Minucius Felix cap. 17. *prolixior oratio*. Et Symmachus 2. epist. 8. *litterarum prolixitas*. & Augustinus epist. v. extr. *prolixissima epistola*.

PROMOVERE ut hodie, ita jam tum cadentis Latinitatis ævo, simpliciter ad *honores* applicatum fuit, ut sit *honores decernere*, *ad dignitatem evehere*, *honoribus augere*. Veteres non abhorrebant ab hac notione, elegantius vero, quam recentes, & additis aliis vocabulis, eadem usi sunt. Nam sicut promovere est *gradum movere*, seu *in alium locum pellere* : ita Curtius 6. cap. 11. *promoveri ab humili ordine ad superiorem gradum*; Plinius 10. epist. 3. *in amplissimum ordinem promovere* : Suet. Oth. cap. 1. *in ampliorem gradum promovere*. Hic enim apponitur dignitatis nomen, ad quam fit promotio, simulque ad propriam significationem respicitur, puod utrumque negligunt recentiores. (Aliquando tamen nomen dignitatis subauditur, ut Plin. Panegyr. cap. 90. extr.) Hinc nec PROMOTOR Latinum est, quo vocabulo nostri *dignitatis amplificatorem*, ut Cicero appellat lib. 2. epist. 9. describunt.

PROPRIUS ad varia peregrina trahitur, v. g. *propria manu* scriptum : *proprio Marte* elaboratum : Atque ita Haythonus Passagio Terræ S. cap. 10.

non credidissem, nisi propriis oculis perspexissem: Nec elegantius Sulp. Severus Dialog. 2. cap. 4. *defuncti corpus propriis manibus accepit*. Latine *Proprius* est *elgeuthumlich*, *einem allein geurig*, v. g. *nihil est proprium cujusquam*: *libertas est propria populo* R. Germanismi autem, quos supra notavimus ita corrigendi sunt, *mea manu* 2. Att. epist. 23. & 5. epist. 13. *suo Marte* Philipp. 2. cap. 27. *meis oculis*, nisi potius *oculis* simpliciter, aut *hisce oculis* cum Terentio dicendum est Adelph. act. 3. sc. 2.

Pro Tempore vulgo nostro est *jam*, *hoc tempore*, sed male: antiquis Latinis, *pro conditione temporis*, *prout tempus fert*. Livius 30. cap. 10. *His raptim pro tempore instructis*. Virg. Eclog. 7.

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus.

Justinus 11. cap. 1. *consolatus hortatusque pro tempore est*. Idem censeas de cognata formula cum tempore, quam si accipis pro *procedente tempore*, *progressu temporis*, Germanismum olet: verum ut comitatum significat, sana est & probata. Seneca enim epist. 58. *quidquid*, inquit, *vides*, *currit cum tempore*, id est tempus currit, & res visa currit. in tempore autem, *zu rechter Zelt*. Livius 33. cap. 5. *ni equites peditesque in tempore subvenissent*.

Proximus substantive Graecismum Latinis intolerabilem affert. Dum enim ὁ πλησιον in Sacris vulgo *proximus* transfertur, id in ipsam porro irrepsit Latinitatem. *Proximus* vero est tantummodo adjectivum, v. g. *proxima nocte*, Catil. 1. *proximo saeculo*, de Cl. Orat. cap. 10.

Quandoque vulgo usurpatur pro *raro*, *interdum*,

dum, atque ita explicant Horatii versum de Arte 359.

quandoque bonus dormitat Homerus.

Sed male hoc fieri, Buchnerus supplementis Fabri diligentissime probavit. Tenuit me suspensum locus Plinii, quem Buchnerus non attigit, lib. 1. epist. 10. *nam id ipsum quandoque contingit*, ubi Catanæus exponit *raro*. Verum editio Aldi 1508. habet *quando*, non *quandoque*, ut etiam de lectione dubitare possis. Verus autem sensus hujus voculæ est *Quando Quandocunque*, Livius lib. 1. cap. 30. *mansit solenne, ut quandoque idem prodigium nunciaretur, feriæ per novem dies agerentur*. Ad quem locum Gronovium consulas, uti etiam ad cap. 24. ejusdem libri. Est, ubi *aliquando* interpretamur. Cicero lib. 6. epist. 19. extrema: *Ego me Asturæ diutius arbitror commoraturum, quoad ille quandoque veniat*.

QUOAD pro *secundum*, barbarum est: v. g. *quoad corpus*, *quoad animam*. Non enim Nominibus, sed Verbis jungi postulat, & valet *quamdiu*, *quousque*. Nepos Pelop. cap. 4. *Epaminondas, quoad cum civibus dimicatum est, domi quietus fuit*: & nota formula, *quoad potest, quoad ejus fieri potest*, & Cic. 2. epist. 2. *quoad ejus facere poteritis*. Pro barbara notione adhibeas vel *secundum*, vel *quod attinet ad*, unde etiam contractum esse videtur.

SALTEM male vulgus usurpat pro *solum*. Est enim genuina ejus significatio *minimum*, *zum wenigsten*. Terent. Eunuch. act. 4. scen. 2. *Si illud non licebit, saltem hoc licebit*. Quæ in contrarium objiciuntur, ventilavimus Secundis Curis.

SCHOLARIS, pro *Scholasticus*, sero dici cœpit. Média ætas Palatinos milites *scholares* nuncupavit, sicut diversæ erant in Palatio militum scholæ. Vid. Cur. Poster. *Scholasticus* autem est antiquæ & probæ notæ. Plin. 2. epist. ult. *scholastica lege*: & substantive idem lib. 1. epist. ult. & Petronius supra in *Extemporaneus*. Denique Fulgentius *scholaris* ad rem litterariam deduxit lib. 1. Mythol. p. 14. ed. MUNCK. *scholaribus rudimentis tumidas ferulis palmas* commemorans.

SECULARIS (vel SÆCULARIS) ecclesiasticis idem est quod *profanus*. Hieronymi epist. 22. sect. 13. *codices sæculares* sunt libri profani, Ciceronis, Plauti, & aliorum. Iisdem quoque SECULUM crebro mundum & res mundanas significat. Prudent. in Laurentio extr. *vincula sæculi*, impedimenta pietatis. Sedulius, *Beatus auctor sæcult*. Quid Romanis priscis fuerit *sæculum*, & ludi *sæculares*, abunde notum est.

SEDUCERE pro *corrumpere mores*, *bersuhren*, antique Latinum non est. Veteri enim in Latio hoc verbum notabat *seorsum ducere*, & *a cœtu removere*. Plautus Asin. act. 2. sc. 2. *v.* 95. *me hodie senex seducit solum*, *seorsum ab ædibus*; & Aulular. act. 1. sc. 3. *secreto te huc foras seduxi*. Petronius Satyr. *seduxit me paullulum a turba*. Adde Cur. Poster. Interim vulgarem notionem ita cum Cicerone vertimus: *adolescentulos corruptelarum illecebris irretire* Catil. 1. cap. 6. item *ne te aliorum consilia auferant*, lib 2. epist. 7.

SERVIRE alicui, INSERVIRE alicui pro *saluțe cujus consulere*, *officia deferre*, ex Germanismo aut nata, aut concumulata sunt. *Servire* vero *commo-*

dis

dis alicujus dixit Terentius Hecyr. prolog.

SPECTARE pro *pertinere*, ut in formula: *Belgium spectat ad Hispanos*, displicet Latine doctis. Goclenius quidem Observ. L. L. elegantiis annumerat, *spectare* pro *pertinere*, sed exempla affert, quæ neque Vorstio, neque Scioppio (hi enim notaverant) adversari possunt, nempe *Hoc eo spectat*: *beneficia quæ ad singulos spectant*: *consilia ad concordiam spectant* &c. Quod si autem possessionem & dominium vis significari, abstinendum est verbo *spectandi*.

STIPENDIARIUS non est, qui accipit stipendium, sed qui solvit tributum, seu tributarius. Sic Cæsar lib. 1. Gall. cap. 30. *reliquas civitates stipendiarias habere*, id est ditioni subditas, Metaphrastes ϋποτελῆ ἔχειν. Veltejus Pat. 2. c. 38; *Hispania ductu Augusti facta stipendiaria est*.

STUDIUM. In hac voce duo admittunt partim tirones; partim vulgus nostrum, quæ non satis Latina sunt. Nam *Studium* absolute ponunt pro studiis literarum, *das Studiren*, quod malunt Latini pluraliter proferre: v. g. *vacare studiis* Sueton. Aug. 8. *in studia mittere* Vell. Pat. 2. cap. 51. *studiis se asserere*. Plin. 1. epist. 3. Lubentius vero & elegantius huic verbo Genitivum adjiciunt, ut *studia litterarum*; *optimarum artium*, & quæ hujus generis plura sunt. At singulariter *studium* plerumque vel *industria*, vel *favor* est. Deinde auferendi Casu STUDIO abutuntur multi pro *de industria*, *consulto*, *mit fleisz*, cujus exemplum in omni antiquitate nullum invenio. Rem autem ita significant veteres: *de industria* Livius 1. cap. 45. *ex industria* idem lib. 26. extremo:

consulto Valer. Max. 3. cap. 3. n. 1. extern. *ex professo* idem 4. cap. 1. *dedita opera* Cic. Rosc. Am. cap. 36. extr. & *consilio*, ut pro Ligar. cap. 12. *si consilio id fecisset*. At vero *studio* notat *mit Lust*, *Begierig*, Pro Rosc. Am. cap. 32. extr. *ut omnes intelligant; me non studio accusare, sed officio offendere*.

SUBDITUS vulgo Substantive intelligitur is, qui domino vel principi subjectus est, *ein Unterthan*. Sed Latinis hæc notio ignota, & *subditus* semper adjectivum vel participium est nec cum gignendi casu, sed dandi, construitur, *subditus alicui*, non *subditus principis*. Et quod summus vir H. Grotius de Iure P. & B. lib. 2. 26. ex Tacito (6. 8. 5.) exemplum profert, falsum est, & optimi libri *nobis* habent, non *subditis*. Nec si antiquos consulas, frequens est in hoc verbo *parendi* significatus; sed vel *suppositus* notat, ut Virgil. 3. Georg. 271. *subdita flamma medullis*: vel *subornatus*, Tac. 4. annal. cap. 59. *subditis, qui accusatorum nomina sustinerent*. Latine autem, quem barbare Subditum vocant, dicitur *civilis imperii*, *regni*, *subjectus alicui*, *stipendiarius*, *cliens*, *parens*, &c. v. g. Plin. Paneg. cap. 85. *Neque ut alia subjectis, ita amor imperatur*: & Sallust. Jug. cap. 102. *parentes abunde habemus*, *mir haben Unterthanen genug*.

TENEOR, id est *oportet me*, puræ Latinitatis non est. Habent quidem Jurisconsulti *jure teneri*, *lege teneri*, verum *teneor facere* & similia, impuriora sunt. Cum Cicerone dicas *oportet*, *munus*, *est cujus*, *meæ partes sunt*, *non alienum est a persona cujus* &c.

TOR-

TORTURA pro *tormentis & quæstione* nullius est auctoritatis. Propria notio habetur in Palladii lib. 3. cap. 9. *caput sarmenti torquendum non est — quoniam ipsa tortura vexatio est*.

TRIBULARE est frumenta excutere, aut aliud quidvis tribulo comminuere. Cato R. R. cap. 23. *indideris defrutum, aut marmor, aut resinam, dies viginti permisceto crebo, tribulato quotidie*. Est enim a *tribulo*, quod plostellum fuit, quo grana excutiebantur. Vid. Varro R. R. lib. 1. cap. 52. Ecclesiastici verbo *tribulandi* novam metapharam addiderunt, nempe pro *affligere*, *vexare*. Hieronym. in Psal. 120. *Nemo tribulatus, nisi qui vivere in Christo pie desiderat*: Idem de nomine *tribulatio* sentiendum, quo Vulgatus non semel usus est.

TRIVIALIS quod in trivio & vulgare est, & ob id contemtum atque vile. Sueton. Aug. 72. *triviales ludios*, (Casaub. *vilissimos homines*) idem Gram. cap. 6. *verba trivialia*. Juvenal. Sat. 7. *v.* 55. *carmen triviale*, hoc est rude & plebejum. Injuria igitur & immerito suo vocari *triviales scholæ* videntur, quæ titulo illustrium Gymnasiorum ornatæ non sunt, ut ut artes & disciplinas minime triviales procudant. Vid. Voss.

VALERE promiscue pro *posse dici* non debet, nisi ad valorem verbi, qui *vires & potentiam* significat, simul respiciatur: ut *valere ad consulandum* Cic. lib. 5. ep. 13. *valere dicendo* Nepos Alcib. cap. 1. Iterum Cicero Senect. cap. 10. *Nemo adhuc convenire me valuit, quin fuerim occupatus* id est, quamvis summo studio quæsiverit tempus, quo vacuus essem.

Hoc certum est *ante*, *in ante*, *ex ante* elegantissime in his formulis adhiberi. Cic. Catil. 1. cap. 3. *Dixi ego idem in senatu, cædem te optimatum contulisse in ante diem V. Kal. Novembris*. Livius 41. cap. 17. *Comitia quæ in ante diem 3. Non. Sextiles edicta erant*. Idem 45. cap. 2. extr. *Supplicatio indicta est ex ante diem quintum idus Octobres cum eo die in quinque dies*.

AMITTERE PRŒLIUM pro *vinci*, *acie vinci*, *prœlio fundi*, *inferiorem discedere*, inepte tirones dicunt, quamvis *exercitum amittere* probum sit auctore Justino 38. cap. 9. n. 2. *Facere* autem *prœlium* bonum est auctore Nepote in principio Chabriæ, & Livio lib. 35. cap. 1.

Non ABS RE trita formula, non autem Latina, siquidem AB RE dicendum erat. Veteres enim *Abs* non utebantur nisi sequente C. Q. aut T. observante Valla Eleg. 2. cap. 29. Omnes omnium temporum auctores *Ab re* dixerunt; nec Gellii illud Noct. Att. 18. cap. 14. nobis adversatur, quia manifesto depravatum est in libris nostri sæculi. Superiore ita excusum fuit Venetiis 1489. Lugduni 1565. & Coloniæ 1533. editore P. Mosellano: *Hæc notare meminisseque non AB re visum est*. Non possum etiam hoc loco non notare, a multis hanc formulam *ab re* intempestive adhiberi. Veteres *alienum* subaudierunt, quod quia non attendunt recentes, fit, ut in ipsis sæpe castigent Critici, quod Scioppius in Famiano, qui *non ab re veritus* dixerat, ubi *alienum* locum non habet.

BRABHIUM, SÆCULARE, Magistratus, & quæ alia potestatem summam significant, aut summæ administram: COM

Comparatum Est Cum Hoc, Illo. Recte & ordine fecit Jo. Vorstius, qui hanc formulam reprobavit, Nam Latini : *Ita ratio comparata est vitæ naturæque nostræ* Cic. Læl. cap. 27. *Ita comparata natura omnium hominum* Terent. Heaut. act. 8. sc. 1. *Loci ea conditio est* Iustin. 41. cap. 5. *Ita comparatum est*, simpliciter, Plin. 3. epist. 4. & Paneg. cap. 46. Ergo solum additamentum *CUM aliquo* phrasin per se bonam de honestat.

De Die In Diem ex Ebraismo ad nostrates permanavit. Cicero 1. Philipp. cap. 2. *Cum serperet in urbe infinitum malum, idque manaret in dies latius* : & lib. 6. epist. 4. *in dies singulos magis magisque opinio hominum confirmatur* : & epist. 6. *quotidie magis* : Livius lib. 25. cap. 25. *Cum is diem de die differret*.

* *In diem* est præsenti die, non ultra hunc diem. Ovid. 2. Metamorph. 47.

---- currus petit ille paternos,
Inque diem alipedum jus & moderamen equorum.

De Verbo Ad Verbum Germanismus est. Latini aliter. Terentius Prolog. Adelph. *Verbum de verbo expressum*. Cic. 1. Orat. cap. 34. *Exercenda est memoria ediscendis ad verbum quam plurimis & nostris scriptis & alienis*. Sueton. Jul. cap. 50. *hæc ad verbum dixisse refert*, & cap. 55. *ad verbum nonnulla transtulit*.

Ex Fratre vel Sorore Nepos frequens hodie pro *fratris filius sorore genitus*. Nec equidem negarem, sic Hieronymi ævo in usum receptum fuisse, uti ex illo & Orosio exempla attuli

tuli in Secundas Curas. Verum antiquis hoc insolens est, qui malunt *fratris filius*, Nepos Agesf. cap. 13. *sororis filius* Cic. 3. Off. cap. 18. *Ennii sorore genitus* Plin. 35. cap. 5. *sororis filiam Hannibalis*, Livius lib. 29. cap. 29. extr.

FIDEM ADHIBERE *pro habere fidem alicui*, *Glauben geben*, videtur dici cœptum postrema Latinitate. Sulp. Severus vita Mart. cap. 1. 11. & 23. id suum fecit: Latinissimus quisque mavult *fidem habere cui*. Ita Cicero Att. 8. epist. 3. *considerandum est, quanta ei fides sit habenda*: & Curtius 4. cap. 6. *Aristander, cui maxima fides habetur*. Habet quidem Plautus Rud. act. 4. sc. 2. extr. *fidem adhibere*, sed alio sensu, nempe pro *fide uti*, *sine dolo agere*.

* *Fidem facere alicui est probare, persuadere*: Corn. Nep. Agesf. 7. §. *Huic vix fides facta est*, id est persuasum. Curtius 4. cap. 9. *Alexandro vix fecerunt fidem*:

IMPLICARE CONTRADICTIONEM philosophicum potius est, quam Latinum, pro quo Ciceroniani dicunt *repugnat*, *hæc inter se repugnant*. Sic & contradictoria vocat Tullius 2. Philipp. cap. 8. *non cohærentia*: Apulejus Apolog. (p. 289. Elmenh.) *inter se repugnantia*. Ipsam contradictionem Cicero c. I. *rerum repugnantiam*, quamvis vox *contradictio* non improbanda est, utpote Quinctiliani lib. 3. cap. 8.

IN GENERE, *generaliter*, *in universum*: IN SPECIE, *speciatim*, *singulariter*, aut similiter.

IN HÆC ERUMPIT VERBA, Tirones Latinæ linguæ, cum verba auctoris allegant, neglecto elegantissimo Ciceronis *INQUIT*, hac fere formula con-

conectunt. Habent quidem non absimilia Lampridius & Symmachus, n. Curis Sac. dixi; etiam Minucius Felix cap. 16. n. 6. *Cæcilius sic erupit*: & ipse Cicero Phil. 10. cap. *erumpat aliquando vera & me digna vox*: verum in his impetum notat atque silentii impatientiam, sicut Solinus cap. 7. de Crœsi filio: *erupit in vocem*. Quod si est sine hujusmodi nisu & conatu illicita hæc phrasis est, saltem inelegans.

Ita Se Res Habet Cum Hoc. Barbaram formulam reddit solum additamentum *cum hoc*, quo demto, nihil impuritatis subest. Livius enim lib. 40. cap. 11. *Ita se res habet, periculumvitæ propellere a me potes*: & Terentius Eunuch. act. 4. sc. 7. 30. *Scin, ut tibi res se habeat*.

Miseriarum Vallis non inexplicabilis metaphora est, at veteribus inusitata. Rem cum Val. Maximo 2. cap. 10. potes appellare *miseriarum profundum*.

Mutuo Dare, Sumere Scioppio barbara: Borrichio dubia sunt. Quamdiu ergo exempla classicorum desiderabuntur, dicemus cum Cicerone *mutuum dare, mutuum sumere*: 11. Att. ep. 3. *cui magnam dedimus pecuniam mutuam*. Leg. Agr. 2. cap. 30. *civitatibus mutuum frumentum dedit*. In Verr. de Præt. Urb. cap. 10. *pecunias sumsisse mutuas*. Plinius quidem lib. 9. cap. 55. *sex millia numero murænarum mutuo appendit*. *Nam permutare pretio noluit, aliave merce*. Verum incerta hæc lectio est, & in margine editionis Belgicæ cum Var. Not. exstat *mutua*: quod Varro R. R. lib. 3. cap. 17. quem Plinius secutus est, confirmat.

Bo-

BONA OPERA, id est *sanctæ*, *præclaræ actiones*, *pietatis studium* BONA OPERA FACERE pro *virtutum officiis fungi*; *virtutum officia præstare*, *virtutibus elucere*, Theologica potius, quam Latina sunt.

PŒNITENTIAM AGERE non contra jus Latinum est, etiamsi absolute ponatur. Val. Maximus 3. cap. 4. de Tarquinio Prisco: *virtutibus effecit, ne hæc civitas pœnitentiam ageret, quod regem a finitimis potius mutuata esset, quam de suis legisset*. Frequentius tamen genitivum rei, cui pœniteat, adjiciunt. Idem Valerius 7. cap. 2. extrem. *neglecti salubris consilii pœnitentiam egit*. Curtius 8. cap. 6. 23. *pœnitentiam ejus* (facinoris) *ageret*. Dialog. de Orat. cap. 15. *neque sermonis mei pœnitentiam ago*. Plin. 7. epist. 10. *agatque pœnitentiam pœnitentiæ suæ*. Sed hæc omnia de notione illa, quam nostri vocant *reuen*: Ecclesiastici addunt novam, *resipiscere*, *ad frugem redire*, *vitia virtutibus emendare Busse thun*, quod a priscorum sermone alienum est.

POSITO QVOD &c. POSITO ITA ESSE si Latinæ sunt, tamen elegantioris notæ non sunt. Gellius quidem 2. cap. 8. *posito concessoque*: & Firmicus Relig. prof. p. 6. *pone, hanc veram esse rationem*: at veteres scite & apposite, Cic. 2. Phil. cap. 24. *sed fac, te dedisse mihi, quod non ademisti*. Et lib. 9. epist. 16. n. 12. *fac esse omnia*. Curtius 4. cap. 10. *finge, justum intulisse te bellum*. Idem 9. cap. 2. *Sed omnia ista vera esse fingamus*.

PRÆCONCEPTA OPINIO. *Concipere opinionem* Latinum est. Columella 9. cap. 14. *vetus agricolis concepta opinio*: ac *præconcipio* quo auctore dicatur,

notione *larvæ* dictum. Poster. Curis. Extra hoc aut similes usus peregrinitate damnatur hoc vocabulum. Excipias vero Theologorum usum hujus vocabuli, quem gravibus de caussis Ecclesia in sinum suscepit.

POTARE pro potum præbere. Est enim largiter bibere.

PRÆCISE non est *accurate*, *diserte*, *puncto temporis observato totidem verbis*, ut vulgo capitur; sed *non plene*, *non perfecte*. Tullius 2. Nat. Deor. cap. 2. *Sed id præcise dicitur: — plene autem & perfecte sic dici existimato* & 8. Att. epist. 4. *Numquam reo cuidam tam humili, tam sordido, tam nocenti, tam alieno, tam præcise negavi, quam hic mihi*, hoc est ἀποτόμως, sine ulla exceptione. Gellius 3. cap. 16. *obscure atque præcise dictum*.

PRÆSUMO proprie est *ante capio*. Plinius lib. 6. epist. 10. *præsumere officia hæredum*. Claudius 4. Consul. Honor. 166.

— *Præsumtum diadema dedit*,

hoc est, ante legitimam ætatem gestare ceptum. Ad animum refert Virgilius 11. v. 18.

— *animis & spe præsumite bellum*.

Unde *præsumtio bonæ famæ* Plinio 9. epist. 3. est certissima futuræ gloriæ fiducia & quasi anticipatio. Sequioris ævi scriptores addiderunt novum significatum, nempe *audendi*, & quidem in malam partem. Sex. Rufus cap. 7. *Epirotæ cum rege Pyrrho etiam ad Italiam transire præsumserant*. Sulp. Severus 1. Hist. cap. 47. de Ozia rege: *elatus secundis rebus, illicita præsumens, incensum Deo obtulit*. Quod ut imitentur Latinitatis studiosi nolim equidem suasor esse.

PRO-

PROLIXUS & PROLIXE ad orationem & verba minus scite vulgo applicant, ut longitudo & copia describatur. Ciceroni enim Prolixus est *liberalis* & *largus*. De oratione autem habet *multus longus*, *copiosus*, *verbosus* e. c. *nolo in hac re multus videri* : *dialogus longus* : *epistola pluribus verbis scripta*, *hæc ad se scripsi verbosius*. Suetonius Rhet. cap. 1. *latius & uberius explicare*. Postea & Minucius Felix cap. 17. *prolixior oratio*. Et Symmachus 2. epist. 8. *litterarum prolixitas*. & Augustinus epist. v. extr. *prolixissima epistola*.

PROMOVERE ut hodie, ita jam tum cadentis Latinitatis ævo, simpliciter ad *honores* applicatum fuit, ut sit *honores decernere*, *ad dignitatem evehere*, *honoribus augere*. Veteres non abhorrebant ab hac notione, elegantius vero, quam recentes, & additis aliis vocabulis, eadem usi sunt. Nam sicut promovere est *gradum movere*, seu *in alium locum pellere* : ita Curtius 6. cap. 11. *promoveri ab humili ordine ad superiorem gradum*; Plinius 10. epist. 3. *in amplissimum ordinem promovere* : Suet. Oth. cap. 1. *in ampliorem gradum promovere*. Hic enim apponitur dignitatis nomen, ad quam fit promotio, simulque ad propriam significationem respicitur, puod utrumque negligunt recentiores. (Aliquando tamen nomen dignitatis subauditur, ut Plin. Panegyr. cap. 90. extr.) Hinc nec PROMOTOR Latinum est, quo vocabulo nostri *dignitatis amplificatorem*, ut Cicero appellat lib. 2. epist. 9. describunt.

PROPRIUS ad varia peregrina trahitur, v. g. *propria manu* scriptum : *proprio Marte* elaboratum : Atque ita Haythonus Passagio Terræ S. cap. 10.

non credidissem, nisi propriis oculis perspexissem? Nec elegantius Sulp. Severus Dialog. 2. cap. 4. *defuncti corpus propriis manibus accepit*. Latine *Proprius* est *elgeuthumlich*, *einem allein geurig*, v. g. *nihil est proprium cujusquam*: *libertas est propria populo* R. Germanismi autem, quos supra notavimus ita corrigendi sunt, *mea manu* 2. Att. epist. 23. & 5. epist. 13. *suo Marte* Philipp. 2. cap. 27. *meis oculis*, nisi potius *oculis* simpliciter, aut *hisce oculis* cum Terentio dicendum est Adelph. act. 3. sc. 2.

PRO TEMPORE vulgo nostro est *jam*, *hoc tempore*, sed male; antiquis Latinis, *pro conditione temporis*, *prout tempus fert*. Livius 30. cap. 10. *His raptim pro tempore instructis*. Virg. Eclog. 7.

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus.

Justinus 11. cap. 1. *consolatus hortatusque pro tempore est*. Idem censeas de cognata formula CUM TEMPORE, quam si accipis pro *procedente tempore*, *progressu temporis*, Germanismum olet: verum ut comitatum significat, sana est & probata. Seneca enim epist. 58. *quidquid*, inquit, *vides*, *currit cum tempore*, id est tempus currit, & res visa currit. IN TEMPORE autem, *zu rechter Zeit*. Livius 33. cap. 5. *ni equites peditesque in tempore subvenissent*.

PROXIMUS substantive Graecismum Latinis intolerabilem affert. Dum enim ο πλησιον in Sacris vulgo *proximus* transfertur, id in ipsam porro irrepsit Latinitatem. *Proximus* vero est tantummodo adjectivum, v. g. *proxima nocte*, Catil. 1. *proximo saeculo*, de Cl. Orat. cap. 10.

QUANDOQUE vulgo usurpatur pro *raro*, *interdum*,

dum, atque ita explicant Horatii versum de Arte 559.

quandoque bonus dormitat Homerus.

Sed male hoc fieri, Buchnerus supplementis Fabri diligentissime probavit. Tenuit me suspensum locus Plinii, quem Buchnerus non attigit, lib. 1. epist. 10. *nam id ipsum quandoque contingit*, ubi Catanæus exponit *raro*. Verum editio Aldi 1508. habet *quando*, non *quandoque*, ut etiam de lectione dubitare possis. Verus autem sensus hujus voculæ est *Quando Quandocunque*, Livius lib. 1. cap. 30. *mansit solenne, ut quandoque idem prodigium nunciaretur, feriæ per novem dies agerentur*. Ad quem locum Gronovium consulas, uti etiam ad cap. 24. ejusdem libri. Est, ubi *aliquando* interpretamur. Cicero lib. 6. epist. 19. extrema: *Ego me Asturæ diutius arbitror commoraturum, quoad ille quandoque veniat*.

Quoad pro *secundum*, barbarum est: v. g. *quoad corpus*, *quoad animam*. Non enim Nominibus, sed Verbis jungi postulat, & valet *quamdiu*, *quousque*. Nepos Pelop. cap. 4. *Epaminondas, quoad cum civibus dimicatum est, domi quietus fuit*: & nota formula, *quoad potest*, *quoad ejus fieri potest*, & Cic. 2. epist. 2. *quoad ejus facere potueritis*. Pro barbara notione adhibeas vel *secundum*, vel *quod attinet ad*, unde etiam contractum esse videtur.

Saltem male vulgus usurpat pro *solum*. Est enim genuina ejus significatio *minimum*, *zum wenigsten*. Terent. Eunuch. act. 4. scen. 2. *Si illud non licebit, saltem hoc licebit*. Quæ in contrarium objiciuntur, ventilavimus Secundis Curis.

SCHOLARIS, pro *Scholasticus*, sero diei cœpit. Media ætas Palatinos milites *scholares* nuncupavit, sicut diversæ erant in Palatio militum scholæ. Vid. Cur. Poster. *Scholasticus* autem est antiquæ & probæ notæ. Plin. 2. epist. ult. *scholastica lege*: & substantive idem lib. 1. epist. ult. & Petronius supra in *Extemporaneus*. Denique Fulgentius *scholaris* ad rem litterariam deduxit lib. 1. Mythol. p. 14. ed. Munck. *scholaribus rudimentis tumidas ferulis palmas* commemorans.

SECULARIS (vel SÆCULARIS) ecclesiasticis idem est quod *profanus*. Hieronymi epist. 22. sect. 13. *codices sæculares* sunt libri profani, Ciceronis, Plauti, & aliorum. Iisdem quoque SECULUM crebro mundum & res mundanas significat. Prudent. in Laurentio extr. *vincula sæculi*, impedimenta pietatis. Sedulius, *Beatus auctor sæculi*. Quid Romanis priscis fuerit *sæculum*, & ludi *sæculares*, abunde notum est.

SEDUCERE pro *corrumpere mores*, *versuhren*, antique Latinum non est. Veteri enim in Latio hoc verbum notabat *seorsum ducere*, & *a cœtu removere*. Plautus Asin. act. 2. sc. 2. v. 95. *me hodie senex seducit solum*, *seorsum ab ædibus*; & Aulular. act. 1. sc. 3. *secreto te huc foras seduxi*. Petronius Satyr. *seduxit me paullulum a turba*. Adde Cur. Poster. Interim vulgarem notionem ita cum Cicerone vertimus: *adolescentulos corruptelarum illecebris irretire* Catil. 1. cap. 6. item *ne te aliorum consilia auferant*, lib 2. epist. 7.

SERVIRE alicui, INSERVIRE alicui pro *salute cujus consulere*, *officia deferre*, ex Germanismo aut nata, aut concumulata sunt. *Servire* vero *commo-*

dis

dis alicujus dixit Terentius Hecyr. prolog.

SPECTARE pro *pertinere*, ut in formula: *Belgium spectat ad Hispanos*, displicet Latine doctis. Goclenius quidem Observ. L. L. elegantiis annumerat, *spectare* pro *pertinere*, sed exempla affert, quæ neque Vorstio, neque Scioppio (hi enim notaverant) adversari possunt, nempe *Hoc eo spectat: beneficia quæ ad singulos spectant: consilia ad concordiam spectant* &c. Quod si autem possessionem & dominium vis significari, abstinendum est verbo *spectandi*.

STIPENDIARIUS non est, qui accipit stipendium, sed qui solvit tributum, seu tributarius. Sic Cæsar lib. 1. Gall. cap. 30. *reliquas civitates stipendiarias habere*, id est ditioni subditas, Metaphrastes ὑποτελῆ ἔχειν. Vellejus Pat. 2. c. 38; *Hispania ductu Augusti facta stipendiaria est*.

STUDIUM. In hac voce duo admittunt partim tirones; partim vulgus nostrum, quæ non satis Latina sunt. Nam *Studium* absolute ponunt pro studiis literarum, *das Studiren*, quod malunt Latini pluraliter proferre: v. g. *vacare studiis* Sueton. Aug. 8. *in studia mittere* Vell. Pat. 2. cap. 51. *studiis se asserere*. Plin. 1. epist. 3. Lubentius vero & elegantius huic verbo Genitivum adjiciunt, ut *studia litterarum*; *optimarum artium*, & quæ hujus generis plura sunt. At singulariter *studium* plerumque vel *industria*, vel *favor* est. Deinde auferendi Casu STUDIO abutuntur multi pro *de industria*, *consulto*, *mit fleiss*, cujus exemplum in omni antiquitate nullum invenio. Rem autem ita significant veteres: *de industria* Livius 1. cap. 45. *ex industria* idem lib. 26. extremo:

consulto Valer. Max. 3, cap. 3. n. 1. extern. *ex professo* idem 4. cap. 1. *dedita opera* Cic. Rosc. Am. cap. 36. extr. & *consilio*, ut pro Ligar. cap. 12. *si consilio id fecisset*. At vero *studio* notat *mit Lust*, *Begierig*, Pro Rosc. Am. cap. 32. extr. *ut omnes intelligant, me non studio accusare, sed officio offendere*.

SUBDITUS vulgo Substantive intelligitur is, qui domino vel principi subjectus est, *ein Unterthan*. Sed Latinis hæc notio ignota, & *subditus* semper adjectivum vel participium est nec cum gignendi casu, sed dandi, construitur, *subditus alicui*, non *subditus principis*. Et quod summus vir H. Grotius de Iure P. & B. lib. 2. 26. ex Tacito (6. 8. 5.) exemplum profert, falsum est, & optimi libri *nobis* habent, non *subditis*. Nec si antiquos consulas, frequens est in hoc verbo *parendi* significatus; sed vel *suppositus* notat, ut Virgil. 3. Georg. 271. *subdita flamma medullis*: vel *subornatus*, Tac. 4. annal. cap. 59. *subditis, qui accusatorum nomina sustinerent*. Latine autem, quem barbare Subditum vocant, dicitur *civilis imperii*, *regni*, *subjectus alicui*, *stipendiarius*, *cliens*, *parens*, &c. v. g. Plin. Paneg. cap. 85. *Neque ut alia subjectis, ita amor imperatur*: & Sallust. Jug. cap. 102. *parentes abunde habemus*, *mir haben Unterthanen genug*.

TENEOR, id est *oportet me*, puræ Latinitatis non est. Habent quidem Jurisconsulti *jure teneri*, *lege teneri*, verum *teneor facere* & similia, impuriora sunt. Cum Cicerone dicas *oportet*, *munus*, *est cujus*, *meæ partes sunt*, *non alienum est a persona cujus* &c.

TOR-

TORTURA pro *tormentis & quæstione* nullius est auctoritatis. Propria notio habetur in Palladii lib. 3. cap. 9. *caput sarmenti torquendum non est — quoniam ipsa tortura vexatio est*.

TRIBULARE est frumenta excutere, aut aliud quidvis tribulo comminuere. Cato R. R. cap. 23. *indideris defrutum, aut marmor, aut resinam, dies viginti permisceto crebo, tribulato quotidie*. Est enim a *tribulo*, quod plostellum fuit, quo grana excutiebantur. Vid. Varro R. R. lib. 1. cap. 52. Ecclesiastici verbo *tribulandi* novam metapharam addiderunt, nempe pro *affligere, vexare*. Hieronym. in Psal. 120. *Nemo tribulatus, nisi qui vivere in Christo pie desiderat*: Idem de nomine *tribulatio* sentiendum, quo Vulgatus non semel usus est.

TRIVIALIS quod in trivio & vulgare est, & ob id contemtum atque vile. Sueton. Aug. 72. *triviales ludios*, (Casaub. *vilissimos homines*) idem Gram. cap. 6. *verba trivialia*. Juvenal. Sat. 7. v. 55. *carmen triviale*, hoc est rude & plebejum. Injuria igitur & immerito suo vocari *triviales scholæ* videntur, quæ titulo illustrium Gymnasiorum ornatæ non sunt, ut ut artes & disciplinas minime triviales procudant. Vid. Voss.

VALERE promiscue pro *posse dici* non debet, nisi ad valorem verbi, qui *vires & potentiam* significat, simul respiciatur: ut *valere ad consulandum* Cic. lib. 5. ep. 13. *valere dicendo* Nepos Alcib. cap. 1. Iterum Cicero Senect. cap. 10. *Nemo adhuc convenire me valuit, quin fuerim occupatus* id est, quamvis summo studio quæsiverit tempus, quo vacuus essem.

Hoc certum eſt *ante*, *in ante*, *ex ante* elegantiſſime in his formulis adhiberi. Cic. Catil. 1. cap. 3. *Dixi ego idem in ſenatu, cædem te optimatum contuliſſe in ante diem V. Kal. Novembris*. Livius 41. cap. 17. *Comitia quæ in ante diem 3. Non. Sextiles edicta erant*. Idem 45. cap. 2. extr. *Supplicatio indicta eſt ex ante diem quintum idus Octobres cum eo die in quinque dies*.

AMITTERE PRŒLIUM pro *vinci*, *acie vinci*, *prœlio fundi*, *inferiorem diſcedere*, inepte tirones dicunt, quamvis *exercitum amittere* probum ſit auctore Juſtino 38. cap. 9. n. 2. *Facere* autem *prœlium* bonum eſt auctore Nepote in principio Chabriæ; & Livio lib. 35. cap. 1.

Non ABS RE trita formula, non autem Latina, ſiquidem AB RE dicendum erat. Veteres enim *Abs* non utebantur niſi ſequente C. Q. aut T. obſervante Valla Eleg. 2. cap. 29. Omnes omnium temporum auctores *Ab re* dixerunt; nec Gellii illud Noct. Att. 18. cap. 14. nobis adverſatur, quia manifeſto depravatum eſt in libris noſtri ſæculi. Superiore ita excuſum fuit Venetiis 1489. Lugduni 1565. & Coloniæ 1533. editore P. Moſellano: *Hæc notare meminiſſeque non AB re viſum eſt*. Non poſſum etiam hoc loco non notare, a multis hanc formulam *ab re* intempeſtive adhiberi. Veteres *alienum* ſubaudierunt, quod quia non attendunt recentes, fit, ut in ipſis ſæpe caſtigent Critici, quod Scioppius in Famiano, qui *non ab re veritus* dixerat, ubi *alienum* locum non habet.

BRABHIUM, SÆCULARE, Magiſtratus, & quæ alia poteſtatem ſummam ſignificant, aut ſummæ adminiſtram:

COM

tuli in Secundas Curas. Verum antiquis hoc insolens est, qui malunt *fratris filius*, Nepos Agesf. cap. 13. *sororis filius* Cic. 3. Off. cap. 18. *Ennii sorore genitus* Plin. 35. cap. 5. *sororis filiam Hannibalis*, Livius lib. 29. cap. 29. extr.

FIDEM ADHIBERE *pro habere fidem alicui, Glauben geben*, videtur dici cœptum postrema Latinitate. Sulp. Severus vita Mart. cap. 1. 11. & 23. id suum fecit: Latinissimus quisque mavult *fidem habere cui*. Ita Cicero Att. 8. epist. 3. *considerandum est, quanta ei fides sit habenda*: & Curtius 4. cap. 6. *Aristander, cui maxima fides habetur*. Habet quidem Plautus Rud. act. 4. sc. 2. extr. *fidem adhibere*, sed alio sensu, nempe pro *fide uti, sine dolo agere*.

* *Fidem facere alicui* est *probare, persuadere*: Corn. Nep. Agesf. 7. 3. *Huic vix fides facta est*, id est persuasum. Curtius 4. cap. 9. *Alexandro vix fecerunt fidem*:

IMPLICARE CONTRADICTIONEM philosophicum potius est, quam Latinum, pro quo Ciceroniani dicunt *repugnat*, *hæc inter se repugnant*. Sic & contradictoria vocat Tullius 2. Philipp. cap. 8. *non cohærentia*: Apulejus Apolog. (p. 289. Elmenh.) *inter se repugnantia*. Ipsam contradictionem Cicero c. l. *rerum repugnantiam*, quamvis vox *contradictio* non improbanda est, utpote Quinctiliani lib. 3. cap. 8.

IN GENERE, *generaliter*, *in universum*: IN SPECIE, *speciatim*, *singulariter*, aut similiter.

IN HÆC ERUMPIT VERBA, Tirones Latinæ linguæ, cum verba auctoris allegant, neglecto elegantissimo Ciceronis *INQUIT*, hac fere formula

con-

conectunt. Habent quidem non absimilia Lampridius & Symmachus, n. Curis Sac. dixi; etiam Minucius Felix cap. 16. n. 6. *Cæcilius sic erupit*: & ipse Cicero Phil. 10. cap. *erumpat aliquando vera & me digna vox*: verum in his impetum notat atque silentii impatientiam, sicut Solinus cap. 7. de Crœsi filio: *erupit in vocem*. Quod si est sine hujusmodi nisu & conatu illicita hæc phrasis est, saltem inelegans.

ITA SE RES HABET CUM HOC. Barbaram formulam reddit solum additamentum *cum hoc*, quo demto, nihil impuritatis subest. Livius enim lib. 40. cap. 11. *Ita se res habet, periculum vitæ propellere a me potes*: & Terentius Eunuch. act. 4. sc. 7. 30. *Scin, ut tibi res se habeat*.

MISERIARUM VALLIS non inexplicabilis metaphora est, at veteribus inusitata. Rem cum Val. Maximo 2. cap. 10. potes appellare *miseriarum profundum*.

MUTUO DARE, SUMERE Scioppio barbara: Borrichio dubia sunt. Quamdiu ergo exempla classicorum desiderabuntur, dicemus cum Cicerone *mutuum dare, mutuum sumere*: 11. Att. ep. 3. *cui magnam dedimus pecuniam mutuam*. Leg. Agr. 2. cap. 30. *civitatibus mutuum frumentum dedit*. In Verr. de Præt. Urb. cap. 10. *pecunias sumsisse mutuas*. Plinius quidem lib. 9. cap. 55. *sex millia numero murænarum mutuo appendit*. *Nam permutare pretio noluit, aliave merce*. Verum incerta hæc lectio est, & in margine editionis Belgicæ cum Var. Not. exstat *mutua*: quod Varro R. R. lib. 3. cap. 17. quem Plinius secutus est, confirmat.

Bo-

BONA OPERA, id est *sanctæ*, *præclaræ actiones*, *pietatis studium* BONA OPERA FACERE pro *virtutum officiis fungi*; *virtutum officia præstare*, *virtutibus elucere*, Theologica potius, quam Latina sunt.

PŒNITENTIAM AGERE non contra jus Latinum est, etiamsi absolute ponatur. Val. Maximus 3. cap. 4. de Tarquinio Prisco: *virtutibus effecit, ne hac civitas pœnitentiam ageret, quod regem a finitimis potius mutuata esset, quam de suis legisset*. Frequentius tamen genitivum rei, cui pœniteat, adjiciunt. Idem Valerius 7. cap. 2. extrem. *neglecti salubris consilii pœnitentiam egit*. Curtius 8. cap. 6. 25. *pœnitentiam ejus* (facinoris) *ageret*. Dialog. de Orat. cap. 15. *neque sermonis mei pœnitentiam ago*. Plin. 7. epist. 10. *agatque pœnitentiam pœnitentiæ suæ*. Sed hæc omnia de notione illa, quam nostri vocant *reuen*: Ecclesiastici addunt novam, *resipiscere*, *ad frugem redire*, *vitia virtutibus emendare Busse thun*, quod a priscorum sermone alienum est.

POSITO QUOD &c. POSITO ITA ESSE si Latina sunt, tamen elegantioris notæ non sunt. Gellius quidem 2. cap. 8. *posito concessoque*: & Firmicus Relig. prof. p. 6. *pone, hanc veram esse rationem*: at veteres scite & apposite, Cic. 2. Phil. cap. 24. *sed fac, te dedisse mihi, quod non ademisti*. Et lib. 9. epist. 16. n. 12. *fac esse omnia*. Curtius 4. cap. 10. *finge, justum intulisse te bellum*. Idem 9. cap. 2. *Sed omnia ista vera esse fingamus*.

PRÆCONCEPTA OPINIO. *Concipere opinionem* Latinum est. Columella 9. cap. 14. *vetus agricolis concepta opinio*: ac *præconcipio* quo auctore dicatur,

tur, non liquet, Mallem itaque cum Fabio 2. cap. 17. *præsumpta opinio*: aut cum Tacito 2. An. cap. 73. *præsumta suspicio*.

PRO ET CONTRA sordes sunt Latinitatis, quæ jubet dicere *in utramque partem*. Cicero 11. epist. 29. *in utramque partem in mentem multa veniebant.* Cæsar. 1. Civil. cap. 86. *paucis cum esset in utramque partem verbis disputatum*.

QUIDQUID SIT, formula ad alienum sensum detorta, quoties pro vulgari *es sey dem wie ihm wolle*, adhibetur. Livius quidem lib. 1. cap. 59. *ubi anteire primores civitatis vident, quidquid sit, haud temere esse rentur*. Verum non illa culpata, sed alia sententia subest, ita sermone patrio reddenda, *es mugte seyn was es wolte*, quæ sane multum differt ab altera Germanismum redolente, quam latine sic effert Cicero pro Lig. cap. 7. extr. *Sed quoquo modo se illud habet*: & lib. 13. epist. 57. *Quoquo modo autem se res habet*. Livius 37. cap. 54. *Utcunque tamen res se habet*. Frequens etiam initio sententiarum est *Quidquid est*, *Quidquid id est*, sed paullulum alio sensu, quem refert *qualecunque id est*. Ovid. 1. Pont. 6. v. 25.

> *Quidquid id est, ut non facinus, sic culpa vocandum*.

Nam etiam in hoc sensu Conjunctivus, nisi loci habitudo aut dubitandi ratio postulet, (ut in Liviano, quod attulimus) suspectus merito est, nec dicendum initio sententiæ *Quidquid sit*, *Qualecunque sit*, sed *Quidquid est*, *Qualecunque est*.

REBUS SIC STANTIBUS, pro *ita se habentibus*, non est antiquæ Latinitatis.

REMITTERE PECCATA ad stilum ecclesiæ pertinet.

net. Latini *ignoscere*, *veniam dare*, *gratiam delicti facere condonare*. Livius lib. 3. cap. 56. *Omnium, quae impie nefarieque es ausus, gratiam facio*, Vatinius quidem Ciceroni lib. 5. epist. 10. dicit *animadversionem & supplicium remittere*, & Plinius 9. epist. 13. *poenam remittere*, & Livius 34. cap. 32. absolute, *remittimus hoc tibi*; verum *peccata remittere* extra ecclesiam nusquam invenio.

SALVUS CONDUCTUS barbaro saeculo introducta formula. Sallustius eleganter Jug. 32. *eumque, interposita fide publica, Romam duceret*. Idem Catil. cap. 48. *si fides publica data esset*. Epitome Liviana 64. *Jugurtha fide publica evocatus Romam venit*.

SINE OMNI dubio. SINE OMNI necessitate, ABSQUE OMNI dubitatione &c. non recte dicuntur. Comici quidem habent interdum *sine omni*; at Cicero & aequales semper *sine ullo* dolore, *sine ulla* sensu, *sine ulla* dubitatione, *sine ullo* detrimento, *sine ullo* morbo, *sine ullo* recto. Vide Vorst. cap. 9. suspect. Latin.

SALVA CONSCIENTIA. Non damno formulam, qua Symmachus est usus lib. 3. epist. 36. neque nego ita veteres aliquando vocabulum *conscientia* usurpasse, uti hodie solet, v. g. *bona conscientia*, *mala conscientia*: nihilominus elegantius pro *salva conscientia* cum Cicerone dici potest Rosc. Am. cap. 1. *salvo officio quid facere posse*, & cap. 34. *quod salva fide possim*: pro *bona malave conscientia* cum eodem *conscientia factorum*, *recti*, *bene actae vitae*, *sceleris* &c. Fornom *contra conscientiam*

tiam esse scite Ser. Sulpicius Ciceroni 9. epist. 12. describit *religione impediri*.

Suus & cetera *Possessiva* Pronomina Latinis nonnunquam ingrate redundant, ut *tollere oculos suos*, *extendite manus vestras*, *inducere animum suum*, & quæ hujus generis sunt. Elegantissimus quisque tollit Pronomen, præsertim ex phrasi *inducere animum* vel *in animum*. Pro Rosc. Am. cap. 19. *parens potuisset animum inducere, ut naturam ipsam vinceret*: In Catil. 1. cap. 19. *si ire in exilium animum induxeris*. Plinius 19. epist. 13. *non sustinui inducere in animum*. Nec moramur Comicos, qui metri caussa interdum faciunt, quod Ciceroni, Cæsari, Livio religioni fuisset. In paucis liberum est Pronomen, ut *obire diem suum* Sulpicius Ciceroni 4. ep. 12. & *obire diem* Sueton. Vesp.

SANGUINEM EFFUNDERE pro *occidere* est Ebraismus. Latinis frequens est *sanguinem fundere* vel *fundi*, sed idem tum notat quod pro *patria mori*, aut magnam *stragem* vel *cladem* fieri. Curtius in cap. 11. de prælio: *tum vero multum sanguinis fusum est*. & 4. cap. 4. de excidio Tyriorum: *quantum sanguinis fusum sit, vel ex hoc existimari potest* &c. etiam 8. cap. 8. *pro imperio vestro sanguinem fundant*, quasi pro patria. Et 10. cap. 5. *non de regno, sed de rege sanguinem esse fundendum*.

SUSPENSUS AB OFFICIO minus commode, neque pure. Vossio emendante dicendum *senatu abstinere jussus*: *magistratu summotus ad annum*: *ad tempus abstinere jussus ecclesiastico munere* Verus autem usus verbi *suspensus* est hujusmodi: *aulæa suspensa*

Ho-

Horat. 2. Satyr. 8. v. 54. *suspensus rebus*, id est, incertis, Liv. 6. cap. 15. *suspenso animo & sollicito* 2. Attic. epist. 18. *in suspenso relinquere* Plinius 10. epist. 40.

TALITER QUALITER. Dic. *utcumque fieri potuit*: aut cum Columella 11. cap. 3. *qualitercunque*.

VERGIT IN HONOREM, *zu Ehren gereichen*, Latinum non est. *Vergo* enim loco & tempori describendo adhibetur, ut *vergente die* Sueton. Oth. 7. *in noctem vergente die* Senec. Thyest. v. 797. *vergit nox ad lucem* Curt. 4. cap. 7. *quæ regio vergit in septentrionem* Idem 6. cap. 4. *quæ insulæ ad Macedoniam vergunt* Livius 23. cap. 33. extr. *ni Bruti auxilium ad Italiam vergere, quam ad Asiam, maluissemus* Cicer. 11. Phil. cap. 11. Peregrinum autem verbi hujus usum de honoribus, ita cum antiquis supplemus: Cic. Catil. 3. extr. *mihi valeat ad gloriam*, & 13. epist. 73. *mihi ita persuadeo, eam rem laudi tibi potius, quam vituperationi fore*. Plinius lib. 10. epist. 66. *ad honorem suum pertinentes*. Tacitus 13. cap. 32. *Idque illi imperitante Claudio impune, mox ad gloriam vertit*.

VICE ALIA, HAC VICE, TRIBVS VICIBVS &c. non satis probata sunt. Palladius quidem lib. 1. R. R. cap. 28. de pavonibus: *tribus vicibus per annum fœtus edunt*: & Horatius *plus vice simplici* lib. 4. Od. 14. at reliqui omnes sunt posterioris Latinitatis, quotquot his formulis usi sunt.

* Quæris, an *vice versa* bonum sit? Non repugno, quod video passim usurpari post Antoninorum tempora ab iis, quos nominatim Curæ

nostræ Secundæ laudant. Addo Vlpianum Dig. de Verb. signif. lege 1. §. 8. *Et versa vice si interrogatus sub conditione, responderit pure, dicendum erit, eum non obligari*. Antiquioribus autem id insolitum est.

VT ET, *wie auch*, quod tritum hodie, an se etiam antiquitate tueatur, perquam nobis incertum est. Habet quidem Cic. 2. de Orat. cap. 42. pr. & Corn. Nep. Milt. cap. 5. n. 3. *ut &*; verum alio sensu, *dass bendess dass so wohl*, aut simili modo. Lampridius tamen Alexandro cap. 4. *veste (ut & pingitur) alba usus est, nec aurata*: & cap. 12. extremo: *in milites gravissime animadvertit, ut & ipsum locis suis declarabimus*. Malim vero cum antiquioribus loqui.

CAPUT V.

De Syntaxi suspecta.

A & AB Præpositiones, cum passivis verbis construi solitæ, si activum patiens est ejusdem præpositionis, cum passivo sine obscuritate & inepti sensus periculo non construuntur. e. c. *liberare, redimere aliquem ab hoste* quia dicimus, fit, ut non congruenter horum passivæ formæ adjicias ablativum Efficientis cum præpositione, hoc modo: *a Christo redemti sumus*, quia propter ambiguitatem alienum sensum gignis, nos a Christo abductos, e potestate ipsius ereptos esse, quod abominamur. Ciceronis est 2. Off. c. 16. *qui captos a prædonibus redimunt*, ubi incertum, unde pendeat ablativus, a verbo, an a participio?

pio? sed a verbo potest, quia 3. ad Herenn. c. 2. idem casus cum verbo construitur ita: *Si deliberet senatus, captivos ab hostibus redimat, an non?* Caute itaque hujusmodi verbis in passivo utendum est.

A CONSILIIS ALICUI esse, in elegantiis Latinitatis habetur hodie, licet apud neminem classicorum inveniatur *a consiliis esse*, sæpe vero *a pedibus*, *ab epistolis*, *a studiis*, reliqua. Sed damus analogiam justam esse, & sicut officia mutantur, ita substitui alia nomina posse, etiam debere: de casu vero potissimum dubitantur, utrum melius sit, a consiliis *alicui*, an *alicujus* esse. Posterius malunt inscriptiones veteres, quæ in his formulis addunt *Augusti*, *Claudii*, non *Augusto*, *Claudio* servus vel libertus *a studiis*, *ab epistolis*, *a supellectile*, cetera. Nihilominus apud Vopiscum in omnibus libris scriptum invenio: *qui Diocletiano ab epistolis fuit*, ut persuaderi possim, posteriorem ætatem etiam aliquid in casu immutasse. Hoc autem affirmo, & elegantem & antiquam esse Genitivi constructionem, quam subinde etiam recentes imitati sunt, v. g. *Taciti Opera per Curtium Pichenam, sereniss. Magni Ducis, Etruriæ a secretis*. Et P. Manutius dedicatione partis 1. Operum Ciceronis philosophicorum: *ad Hurtadum de Mendoza, Caroli Cæsaris a consilio*. Inscriptiones quas laudavimus vide in Buchneri de Ratione commutandi, & Vorstii cap. 26. Ceterum exempla antiquitatis hæc sunt. Cic. 8. Att. ep. 5. *Pollicem servum a pedibus meum* (almeis) *Romam misi*. Suet. Cæs. 74. *Philomelum a manu servum*. In Claud. cap. 28.

super hos (suspexit) *Polybium a studiis, qui sæpe inter duos* coss. *ambulabat. Sed ante omnes Narcissum ab epistolis, & Pallantem a rationibus.* Curtius 3. cap. 5. *cum etiam a latere ipsius pecunia sollicitaret hostis.* Lamprid. in Alexand. cap. 31. *scriptioni & lectioni epistolarum semper dedit operam, ita ut ab epistolis, & libellis, & a memoria semper adsisterent.*

A Præpositio etiam cum aliis particulis seu adverbiis postrema Latini sermonis ætate constructa fuit, ut *a modo, a nunc, ab invicem*, quæ apud Hieronymum & æquales, sæpe occurrunt. Quibus affinia sunt *ex nunc* Ammiani 21. cap. 17. *de intus* Cassiodori 2. epist. 39. & alia plura, quæ videntur quidem vetera æmulari, *abhinc, dehinc, deinde, derepente, inibi, insuper*, &c. sed auctoritate antiqua destituuntur.

AN, AN in dubitativa sententia repetitum aurea ætas Latinitatis vix agnovit, argentea sæpe. Plin. 6. epist. 16. *in commune consultant, an intra tecta subsistant, an in aperto vagentur.* Iuvenalis Satyr. 7. vers. 162.

- - - - - *deliberat, an petat urbem*
A Cannis: an post nimbos & fulmina cautus
Circumagat madidas a tempestate cohortes.

Elegantior tamen est Ciceronis & hujus æqualium consuetudo, qui in priore commate *Vtrum* vel *Ne* encliticum; in posteriore demum *An* ponunt, quos, ut solet, etiam Curtius plerumque imitatur. e. c. lib. 3. cap. 4. *Alexandro, utrum perseveraret, an abiret, satis incerto*, & lib. 4. cap. 15. *incertum, suone consilio, an regis imperio.* Quod

Quod si quæstionis sunt tria membra, in posterioribus *An* repetendum est. Cic. Rosc. Am. cap. 41. *Quæro abs te, iine, qui postulabant, indigni erant, qui impetrarent: an iste non commovebat, pro quo postulabant: an res ipsa tibi iniqua videbatur?* Si membra quatuor aut quinque sunt, omnia post primum habent *An*. Statius exemplum dat lib. 5. Silv. 11. *v*. 133.

ATTINET cum simplici accusativo tritissimum: non autem satis latinum. Cicero enim & puriores omnes dicunt: *Quod attinet ad me, ad te, ad illum*: numquam præpositionem negligunt. Falso Valerius Max. (1. cap. 1. n. 14.) advocatur, quod Io. Vorstius testatus est, in Brandeburg. MSS. reperitur *quæ AD custodiam religionis attinet*, non sicut vulgatum a multis fuit, *quæ custodiam attinent*. Etiam impressi superiori sæculo libri omnes *Ad* interponunt. Vide Cur. Poster. Itaque a formula, *mas anlanget*, præpositionem *AD* vix abesse posse existimamus.

BENEDICERE non tantum pueri nostri sæpe, sed scriptores etiam non spernendæ auctoritatis cum accusandi casu jungunt. Sulp. Severus 1. Hist. cap. 7. *cum filium benedicere pararet Iacobus*. Neque solis Ecclesiasticis id usu venit, sed Apulejus etiam in fine ad Asclep. *benedicentes Deum*, dixit quod est studio imitandi Græcum εὐλογεῖν τινα excuses velim, nequaquam vero imiteris.

COMMUNICARE CUI inusitate; CUM QUO, recte & ordine dixeris. Cicero 1. epist. 7. *Pompejus mecum sæpissime de te communicare solet.* Curtius 6. cap. 7. n. 21. *admonet pridie communicata*

te cum ipso rei. Etiam cum præpositione *inter*: Pro Quintio cap. 14. *cum de societate multa inter se communicarent*. Semel cum Dandi casu Cæs. Civ. 3. cap. 18. *quibus communicare de maximis rebus Pompejus consueverat*: quod Gifanius Obs. L. L. p. 39. vocat *raram phrasin*. Non autem desunt exempla posterioris ætatis. Sulp. Severus Dial. 3. cap. 11. *communicantes Ithacio*: & Hieronymus epist. 61. cap. 15. *communicabamus ei*.

CONCILIARE CUM aliquo, male: *conciliare* ALICUI, optime & de veterum sententia. Cæsar 7. Gal. cap. 7. *eam civitatem Arvernis* (populis, Metaph. πρὸς τὰς Ἀλβερνὰς) *conciliat*.

DICERE sequente conjunctione *Quod*, *dab*, vix reperitur apud veteres, qui constanter *dicendi* verbo & similibus infinitivum subjiciunt. v. g. Nepos Lysandro cap. 3. *dixit, se vota suscepisse*, quod male convertas, *quod vota susceperit*.

DICERE, sequente negatione *non*, inusitatum Latinis, qui uno *negandi* verbo utrumque enuntiant. v. g. Nepos Conone cap. 4. *Conon negavit sui esse consilii*, hoc est, *dixit, quod non*, ut barbare loquuntur.

ERUBESCERE cum Genitivo plures Grammaticorum libri, quibus in Saxonia utuntur, conjunxerunt, & ipsius Vossii Aristarchus lib. 7. cap. 27. Exemplum quod proferunt, unicum est Curtii lib. 5. cap. 5. num. 17. *dignum esse omni malo, qui erubesceret fortunæ*. Sed pravatam scripturam expunxit obelus Criticorum, qui jam pridem edunt *erubesceret fortuita*. Freinshemius Indice Curtiano: *Grammatica Vittebergensis citat* erubescere fortunæ, *ut in hoc Curtii loco idem ferme peccatum*

tum fuisse appareat, *quod ante nostram editionem in Tacito Hist.* 2. 1. 4. Quartus autem & sextus casus hoc verbum decent. Virgil. 2. Æn. 541.

- - - jura fidemque
Supplicis erubuit.

Quintilianus lib. 6. cap. 4. *aliena studia erubescamus*. Curtius 4. cap. 5. *ubi paucitate suorum erubescendum sit*. Plinius Paneg. cap. 31. *erubescebat fame*. Nec male conjungitur cum Modo infinito. Iterum Curtius 6. cap. 5. *ne senex equo vehi erubesceret*. Rarius cum *DE* construitur, ut Senecæ Controv. 11. *de aliis erubescam*. Dativus rarissimus. Augustinus lib. 4. contra Iulianum cap. 14. *unusquisque sibi vel alteri erubuerunt*.

Evadere, substantivum Verbum pro *FIO*, vulgus cum accusativo & præpositione componit. Cui enim ignota est trivii phrasin, *evadere in virum doctum*? Cicero autem, ejusque æquales nominativum huic verbo semper addiderunt. De Cl. Orat. cap. 35. *T. Albucius perfectus Epicureus evaserat*. Livius lib. 1. cap. 39. de Ser. Tullio puero: *juvenis evasit vere indolis regiæ*. Et lib. 3. cap. 33. *adeo novum sibi ingenium induerat, ut plebicola repente, omnisque auræ popularis captator evaderet*. Et post horum ætatem Iustinus 16. cap. 4. *ex defensore senatoriæ caussæ patronus plebis evasit*. Quod si de aliis, quam personis aut hominum affectionibus loquuntur, Accusativum nonnunquam intermiscent. Terentius Adelph. 3. sc. 4. extr. *hæc licentia evadet in aliquod magnum malum*, quamquam hic *erumpet* potius, quam *fiet* significetur. Quinctilianus 2. cap. 17. *ne in infinitum quæstio evadat*. Etiam Goclenius Contro-

verf. Gram. lib. 2. c. 82. negat, in Quintiliani & Terentii loco *evadere* idem esse quod *fieri*.

IDEM CUM ILLO Latine non dicimus, sed *idem, qui ille, atque ille, & ille* &c. Cicero 4. ep. 7. *qui non idem consilium, quod tu, secuti sunt*. 10. Att. ep. 7. (al. 6.) *nec tuam rationem eandem esse duco, quam meam*. Plautus Stich. 1. sc. 2. *idem animus est in paupertate, qui olim in divitiis fuit*. 2. Nat. Deor. cap. 27. *Dianam & Lunam eandem esse putant*. Ovid. 6. Fast. 267. *Vesta eadem est & terra*. Curtius 9. cap. 6. *Non eadem est cogitatio eorum, qui pro me mori optant, & mea*. Raro ex Græca consuetudine adhæret Dativo. Trajanus Plinio epist. 84. *interpretationi tuæ idem existimo*. Sordibus ergo non caret vulgaris locutio, cum dicunt v. g. *Zoroaster magus idem fuit cum rege Bactrianorum*, &c.

INCUMBERE varie construitur. Vossius Aristarch. 7. cap. 39. *Fortasse etsi apud præstantissimos veterum legas, incumbere baculo, lecto, aratro: non similiter dixerint, incumbere Philosophiæ vel Juris studio*. Ita est. Virgilius quidem *incumbere remis, aratro*, Æn. 1. 15. Georg. 1. 213. sed de studiis, litteris, artibus desunt exempla veterum cum dativo, qui potius omnes accusativum cum *IN* vel *AD* postulant, quæ syntaxis Ciceroni perpetua est, etiam in alia quam disciplinarum & artium materia. Nam 1. de Orat. cap. 8. *pergite*, inquit, *ut facitis, adolescentes, atque in id studium, in quo estis incumbite*. Et ad Plancum lib. 10. epist. 3. *incumbe in eam curam & cogitationem*: & epist. 5. *tota mente omnique animi impetu in remp. incumbas*; & epist. 10. *incum-*

cumbe toto pectore ad laudem. Catil. 4. cap. 2. *incumbite ad reip. salutem*. Pro Lege Man. cap. 7. *omni studio ad id bellum incumbere*. Hæc copiosius afferre visum est, ut appareat, vulgarem phrasin *incumbere litteris*, non posse probatissimam, saltem non antiquissimam. At vero cadens Latinitas ab his & similibus non abhorruit. Vopiscus in Probo cap. 23. *Populus iste militantium, qui nunc bellis civilibus remp. vexat, araret, studiis incumberet, erudiretur artibus, navigaret*.

IUBEO TE, UT HOC FACIAS, non Latinum esse censet Vossius Art. Gram. lib. 7. cap. 36. Crebro quidem verbum hoc cum accusativo personæ jungitur: sed is convenit cum infinitivo, non cum *jubeo*, ut cum dico, *jussit te ire*, *scribere*, *loqui*. Etiam infinitivus interdum subauditur, aut ἀπὸ κοινοῦ repetundus est. Livius 1. cap. 22. *Tullum Hostilium* (creari) *regem populus jussit*. Cic. lib. 13. epist. 26. *Quod quo minori dubitatione facere possis, litteras ad te M. Lepido consule, non quæ te aliquid juberent* (facere) *sed quodammodo quasi commendatitias sumsimus*. Add. Sallust. Iugurth. cap. 73. extr. & cap. 84. ineunte. Ergo accusativus *personæ* huic verbo non congruit? oppido rarum illud Suetonii est Vesp. cap. 23. in Palatinis membranis: *nuntiantes legatos, decretam sibi statuam, jussit ut continuo ponerent*. An vero quartus casus *rei* congruentior? Spartianus in Geta cap. 5. *ut continuata, & maxime prandia, per singulas litteras juberet*. Verum etiam Casaubonus adnotavit: *Jubere prandia, pro imperare, & parari jubere, recentioris*

est

est Latinitatis. Hactenus de accusativo: nunc quæritur, an, demto casu, *jubendi* verbo *UT* Conjunctionem apponere concessum sit. Frequens & hoc est posteriori sæculo. Lamprid. Heliog. 13. *jussit, trucidaretur*; & mox: *jussit, ut abrogaretur nomen Cæsaris Alexandro*. Spartianus in Nigro cap. 10. *jussit, ne in zonis milites nummos partarent*. Nec desunt exempla ea Trajani ævo. Tacitus 11. cap. 32. *jussitque, ut Britannicus & Octavia in complexum patris pergerent.* Et antiquior ac purioris ævi T. Livius lib. 32. cap. 16. *jussit, ut Eubœam peterent*: qui vero, alibi passim, & ceteri antiqui fere omnes infinitivum subjiciunt, plerumque passivum, quamquam Pareus Lex. Crit. etiam activum laudavit.

* *Jubeo tibi* &c. cum tertio casu, quære sequenti capite in Græcismis.

LATET ME. Dura sententia est Gisanii p. 342. Observ. *Latet me, id est Nescio, Latinum non est*. Nec mitior Scioppii Præf. Gram. Phil. & contra Famianum p. 84. *Non magis Latinum est Latet me, quam Patet me*. His objicitur Tullius, Varro, Virgilius ex aureo; Plinius, Iustinus ex argenteo Latinitatis ævo. Respondet Scioppius, Ciceronis locum pro Sulla cap. 23. (*lex populum Romanum latuit*) pro more antiquitatis per notas scriptum fuisse *P. R.* quod æque legi possit *populo Romano*: hodiernam scripturam ex suo ingenio librarios addidisse. Varronem, ait, in Rusticis libris (libris 1. cap. 40. *Semen latet nostrum sensum*) interdum rusticari, quale sit eod. cap. *apparet ad agriculas*, pro *agricolis*: elegantius loqui

loqui eundem lib. 8. de L. L. *quæ & oculis & auribus latere solet*. Virgilium, ut poetam, Æn. 1. v. 130. cræcissare, nec singularia ejus promiscue imitanda, multo minus ad prosam trahenda esse. Plinii ævo & sequenti inclinasse Latinitatem, atque ita tempori tribuendum esse, quod 2. cap. 20. dixerit *latet plerosque*: Justinus 31. cap. 2. *res Hannibalem non diu latuit*. Hactenus ex judicio Scioppii; quod minime improbamus, cum tam pauca ex omnibus antiquis monumentis exempla, quibus analogia repugnat, vix possint tueri constructionis hujus usum, qui nostro ævo in valuit maxime.

An vero probatius est LATET MIHI? Videtur ita Scioppio ad Minervam p. 74. Sane analogia Linguæ favet, nec exempla desunt, Ciceronis post Red. in Senatu cap. 6. *nobis hæc auctoritas latuit*: & in Catil. cap. 6. *quod mihi latere valeat*, ut vulgati libri habent: Varronis lib. 8. de L. L. quod supra indicavimus: Lucani lib. 1. 417. *tu caussa mihi late*. Cui vero & hæc exempla pauciora justo, aut rara & singularia videbuntur, is non errabit, sed stilo suo consulet, si, quod Cicero aliis locis omnibus, quod Cæsar, Livius, Sallustius, & optimus quisque alius fecit, si, inquam, abstineat ab utroque Casu, & neque dativum, neque accusativum huic verbo adjiciat.

NON VERO rejicit Valla lib. 2. cap. 24. & Scioppius ad 5. Vossium n. 20. & recte. Nam classici habent *non autem*: contra, *autem* cum *nec* vel *neque* non jungunt, sed dicunt *neque vero*, *nec vero*. A Triboniano itaque videtur esse, quod

in

in Ulpiani Lege 6. D. de off. proconf. n. 3. legitur : *Non vero in totum xeniis abstinere proconsul*.

PARTICIPARE ALICUI REI, id est participem rei fieri, sine exemplo dicitur. Vera Syntaxis verbi *partecipare* pro *participem fieri* est cum accusativo. Cic. 2. Tusc. cap. 17. *Qui alteri exitium parat, eum scire oportet sibi paratam pestem, ut participet parem*. Aut Præpositione 1. de Lege cap. 12. *ad partecipandum alium ab alio*. Quod si *participem facere* notat, plures sunt sintaxeos modi. Livius 3. cap. 12. *suas laudes participare cum Cæsone*. Plautus Mil. act. 1. sc. 3. *sermone suo aliquem familiarium participaverit de amica*. Apulejus lib. 9. *meum dominum comis hospes opipari prandio participat*, & ante paullo : *mensam nobiscum secura partecipat*. At quod Plautus habet Cist. 1. sc. 3. *participare quem consilii*, græcissat, nec temere imitandum est.

PARVI quid CURO, incuriose a quibusdam dicitur. Nam *Curo* ad *æstimandi* verba non pertinet, ut Genitivum casum requirat. Rem ergo hanc cum Sallustio Jug. 85. sic efferres, *parui id facio*: aut cum Livio 21. cap. 43. extr. *Non ego illud parui æstimo*.

SEQUITUR quod, male: *Sequitur, ut*, bene ac latine. Cicero Parodoxo 3. *Sequitur igitur, ut etiam vitia sint pariæ*. Idem de Fato cap. 10. *Si verum non est, sequitur, ut falsum sit*. Notent disputantes academici, quibus nihil frequentius est quam *sequitur, quod* &c. Licet tamen etiam Infinitivum addere. Cic. 2. de Nat. D. cap. 30. *Quo*

Quo constituto, sequitur, ab animantibus principiis eam esse generatam.

VERSARI CIRCA rem, Ciceroeianum non est, sed IN RE. Lib. 5. epist. 12. *si uno in argumento unaque persona mens tua tota versabitur*. Et 1. Off. cap. 6. *Omnis cogitatio motusque animi aut in consilis capiendis, aut in studiis scientiæ cognitionisque versatur*: & cap. 9. *quod* (philosophi) *in veri investigatione versentur*, & cap. 42. *Opifices omnes in sordida arte versantur*. At *versari CIRCA rem*, qui ante Neronis ævum dixerit, non habemus, neque tum valde usitatum erat, sed in raris ponebatur. Seneca ad Marciam cap. 19. *circa aliquam versantur materiam*. Sueton. de Gram. cap. 18. *Hic initio circa scenam versatus est*.

DATIVUS cum verbo PASSIVO, pro ablativo & præpositione, sæpe aliquid duri & peregrini sonat, nec ubique potest eum Græcorum consuetudo excusare. Poetis his plus licet, quam prosæ scriptoribus. Dixit Virgilius *neque cernitur ulli*: Ovidius *non intelligor ulli*. Quis autem feret ita soluto sermone loquentem? Notat insuper Vossius, hanc Græcorum imitationem potius in Participiis, quam ipsis Verbis fieri. Cic. Att. 13. epist. 24. *ego audita tibi putaram*, id est, a te. Tacitus 11. cap. 27. *audita scriptaque senioribus, tradam*. Videas ergo, ne quid ab auribus æque ac nativa Latinorum indole abhorrens stilo tuo indulgeas.

Tandem de syntaxi tritissimæ phraseos GRATIAS AGERE aliquid addere non alienum ab re est. Vulgo nostrates ita construunt, *gratias agere pro bene-*

beneficiis, *pro meritis*, *pro re*, idque usurpant eo lubentius, quo magis cum vernaculo sermone congruit. Non damno, neque Germanismi accuso, si modice adhibeatur, veteres enim usi sunt etiam, sed rarius. Cicero Att. 16. epist. 20. *Confido foro, ut alio generi litterarum utamur, tibique pro tuo summo beneficio gratias agamus*. Hirtius Bell. Afric. cap. 45. *cum existimasset, pro suo beneficio ab iis gratias sibi actum iri*, & cap. 90. *Uticenses incolas* (Cæsar) *cohortatus gratias pro eorum studio erga se agit*. Rarius est *ob rem*. Plinius lib. 9. epist. 31. *ob quæ gratias agerem*. Alii amant formam *DE re gratias agere*, qua sæpius usus est Manutius in Epistolis. Verum & hæc perrara fuit veteribus, nec jam succurrit aliud, quam Ciceronis exemplum lib. 1. ad Attic. extremo: *Pæti negotia tibi commendo: de quibus tibi ille agit maximas gratias*. Nam quod idem ad Atticum scripsit lib. 14. epist. 22. *Atticam meam gratias mihi agere de matre gaudeo*, id alium sensum & constructionem poscit. Veterum ea consuetudo est, ut vel simpliciter dicant *gratias agere*, vel, si materia omnino exprimenda est, id per *Qui* pronomen, aut *Quod* conjunctionem subjiciant, v. g. 16. ad Attic. epist. 7. *Ego vero austro gratias miras ago, qui me a tanta infamia averterit*. Cæsar 2. Civ. cap. 21. *Cæsar habita concione Cordubæ omnibus generatim gratias agit; civibus Romanis, quod oppidum in sua potestate studuissent habere; Hispanis, quod præsidia expulissent; Gaditanis, quod conatus adversariorum infregissent*.

* *Referre gratiam PRO re* extra dubitationem est.

est. Cic. 5. epist. 5. Cæsar lib. 5. cap. 27. extr. Nepos Themist. cap. 8. extr.

CAPUT VI.

De Græcismis insulentibus.

LAtinam linguam multa debere Græcæ, per se clarum & manifestum est. His vero addita sunt posteriori tempore, quæ ingrata sunt Latinis auribus, cum etiam Græcorum in hac lingua usum ex classicorum consuetudine dijudicari & æstimari oporteat. Quæ illi verba donarunt civitate, ut *tyrannus*, *barbarus*, *epistola*, *eclipsis* &c. eadem & nos pro vere Latinis habemus: quorum autem in antiquitate aut rarus usus fuit, aut nullus, de iis quoque merito est quod dubitemus. Ordine perlustramus, quæ hodie maxime usitata sunt, antiquis autem vel obscura fuerunt, vel ignota.

ABYSSUS non facile inveneris extra Ecclesiam. Christianorum exempla Curis Secundis reddidimus. Neque profanis Græcis valde usitatum est. Latine dices *profundum*, *vorago*.

AGON & AGONIZARE. Gr. αγωνιζειν est *certare*, & αγων *certamen*. Sed neque Verbum Latini suum fecerunt, neque Nomen de morientium angore usurparunt, præter Ecclesiasticos, quemadmodum Juvencus Lazarum moriturum dixit *sub agone jacere*. Latini hoc supremum periculum vitæ descripturi ajunt *animam agere*, ut Cælius Ciceroni 8. ep. 13.

ANATOMIA neque cum Græco convenit, quod est

est ανκτομη, unde Vossius formari vult *Anatome*.

Autochiria vox pure Græca, sed vel peregrinæ notionis, si pro αυτοφονια sumitur, quia Hesychio generatim est το τη εαυτυ χειρι ποιησαι τι: vel, si quando ad cædem sui ipsius applicatur Græcis, quemadmodum idem Hæsychius αυτοχειρ & αφτοχειρι eo tradit, quæ aliis etiam sunt generalia; tamen in Latio nova hæc vox & inaudita fuit.

Blasphemia vox Ecclesiastica: Latinis *exsecratio*.

Eremus & Eremita itidem Ecclesiæ vocabula; vide Cur. Poster.

Exovericus, *pure Græcum* εξωτερικος, a Latinis paucis receptum, qui malunt *externus*, *peregrinus*, *adventicius*, aut si Græcum etiam addunt, *exoticus*. Gellius 20. cap. 5. distinguit inter Aristotelis libros *Exotericos* & *Acroaticos*. Alibi ipse (13. 5.) dixit *vinum exoticum*, id est peregrinum.

Hypocrisis, Hypocrita, ut hodie accipiuntur, sunt ecclesiasticæ notionis, & *simulutionem ac simulatorem pietatis* significant. Olim *Hypocritæ* artifex threatralis erat. Adi Sueton. Neron. cap. 21. & interpretes.

Methodus non facile Latinorum veterum aliquis dixit. *Via* est, qua ingredimur studia, vel ad illa adducimus.

Mœchari, μοιχασθαι vel μοιχευειν, solius fere Catulli est (Epigram. 95.) ex antiquis: ceteri, qui utuntur sunt Ecclesiastici. *Mœchus* autem,

tem, æque Græcum, a pluribus in civitatem receptum eſt, etiam optimæ auctoritatis.

NEOTERICUS, νεωτερικὸς, non habent antiqui & claſsici, ſed qui ſunt recentioris Latinitatis, ut Aurel. Victor de Orig. Gent. Rom. *ut quiſquam neotericorum adſeveravit*: Claud. Mamertus de Anim. lib. 1. cap. III. *neotericus ſcriptor*. At adverbium *Neoterice*, ut rarum & ſingulare, in Aſcon. Pediani comment. in Divin. Verr. obſervamus. Probatiora ſunt *recentior*, *junior*.

ORPHANUS, pupillus. Laur. Valla 4. Eleg. cap. 33. *Græcum*, inquit, *nomen eſt*, *non ſane a veteribus uſitatum*.

PAUSA, id eſt *quies*, antiquiſſimos auctores habet, Accium, Lucilium, teſtante Nonio: verum tradit Macrobius, Virgilium & æquales ab hoc verbo & ſimilibus peregrinis abſtinuiſſe. Poſterior ætas in uſum quodammodo revocavit. Gellius 19. cap. 5. *cum bibendæ nivis pauſa fieret nulla*. Arnobius lib 5. *cum ab Iovis ipſius maledictis nullam pauſam facere vel exigui temporis intercapedine quiveritis*. Æque aut magis inuſitatum eſt Verbum *pauſare*. Fulgentius Myth. 1. cap. 6. *non pauſando furiam concipere*. Vſus poſtulat *quies*, *intermiſſio*, *quieſcere*.

PRAXIS Græca quidem vox, ſed ut hodie uſurpatur, Latiniores ſubſtituunt *uſus*. Cicero 13. epiſt. 16. *valet ingenio*, *habet uſum*, *jampridem in eo genere ſtudii litterarumque verſatur*. Plinius 1. epiſt. 10. *Pars philoſophiæ pulcherrima agere negotium publicum*, *quæque ipſi* (philoſophi) *doceant*; *in uſu habere*: & epiſt. 20. *Vſus magiſter egregius*.

THRONUS eccleſiaſticorum magis, Juvencii, Pru-

dentii,

dentii, quam veterum Latinorum est, qui *folium* dixerunt.

ZELUS hoc est *æmulatio*, & verbum ZELARE (vel *zelari*) pro *æmulari* Sripturæ interpres Vulgatus sæpe dixit. Etiam Fulgentius 1. Myth. cap. 5. *amoris zelus atque invidiæ*; & lib. 11. *zelataque Scyllam, fontem venenis inficit*. Sic quoque *zelotes* inusitatum veteribus: *zelotypus* autem & *zelotypia* paullo usitatiora.

Hæc de simplicibus vocabulis: nunc de junctorum ordine græcissante. Talis maxime est INFINITIVORUM, quibus Græci utuntur tum pro Conjunctivis cum *UT* post verba *petendi*, *hortandi* &c. tum pro Supinis & Gerundiis, quod utrumque Latinis, durum est & insolitum. v. g. Græci & nostri Act. 16. 39. ηρωτων εξελθειν, *baten sie hinauszugehen*, incommode vertes *rogabant exire*, sed *ut exirent*. Dionysius Halicarn. lib. 11. extr. παρακαλουντες φιλους, Ρωμαιων γενεσθαι, *hortantes, ut amici P.R. fierent*. Isocrates παροξυνθειη πολεμειν *instigetur ad bellandum*. Hoc nonnunquam Latini æmulantur, sed sine gratia. Hyginus Fab. 166. *instigavit petere*; & Fab. 194. *cum a rege petiisset, per civitatem artem suam illustrare*. Habet enim hic auctor, ut multa vocabula Græcanica, sic sæpenumero etiam syntaxin Græcam. Ammianus, Græcus miles, extremo opere, *moneo procudere linguas ad majores stilos*.

Deinde Latini nonnunquam Græcos imitati Infinitivum ponunt, ubi Gerundio opus est. Nepos Lysand. cap. 1. *iniit consilia reges Lacedæmoniorum tollere*. Livius lib. 6. cap. 18. *tempus est majora conari*. Notanda hæc sunt, non temere imitanda.

Pro

Pro Supinis etiam aut Participiis iisdem Græcorum æmulatores adsumunt Infinitivos. Hyginus Fab. 27. *arbitrans eam injuriam patris exequi venisse*; & Fab. 88. *ad flumen exit sanguinem abluere*. Apuleius 5. Metam. extr. *perpetrare venitis*, ita Elmenhorst. at *perpetraturæ* Pricæus. Nec vero illud ab ingenio Apuleji alienum est.

Porro Græcismus est, cum adjectivis adduntur Infinitivi, quod in carmine frequens & elegans, durum & peregrinum in prosa. v. g. Horat. 1. Od. 1. *indocilis pauperiem pati*. Virgil. Ecl. 5. *boni inflare calamos*. Gellius 7. cap. 17. *digna quæri tractarique*. Tacitus lib. 14. cap. 60. *canere tibiis doctus*.

Hæc fideliter tironibus inculcanda sunt, ne inscientes durioribus Græcismis implicentur, volebam dicere Germanismis, quia nostra lingua & Græca instructura Infinitivorum ferme conveniunt, dum utraque Supinis & Gerundiis destituta est: etiam nostrates post *hortandi* & similia verba Infinitum æque, ac Conjunctivum Modum ferre possunt.

JUBEO TIBI seu cum Dandi casu etiam ad Græcanicas ρησεις a Vossio refertur. Rara antiquioribus syntaxis, sequiore ævo usitatior. Tacitus 13. cap. 40. *quibus jusserat.* Claudian. 11. in Rufin. 155.

Hispanis Gallisque jubet.

& Prudent. in Romano 386.

Desiste Judex sæculi tantum nefas
Viris jubere fortibus & liberis.

CAPUT VII.

De Poeticis soluto sermone fugiendis.

ABSQUE ILLO ESSET. Vorstius cap. 9. Susp. Lat. *Duo Comici*, inquit, *ut multa alia singularia, ita & hoc habent, ut per ellipsin quandam,*

 di-

dicant ABSQUE ILLO ESSET. Cicero & æquales aliter loquuntur. Philipp. 4. cap. II. *Quod erat præsidium salutis libertatisque vestræ, si C. Cæsaris, fortissimorumque sui patris militum, exercitus non fuisset?* & pro Archia cap. 10. *nisi Ilias illa extitisset*. Corn. Nepos in Con. cap. II. *si ille non fuisset*. Livius II. c. 10. *Pons Sublicius iter pæne hostibus dedit, ni unus vir fuisset, Horatius Cocles*. Plura exempla collegit Vorstius, vir in his litteris diligentissimus.

* Formula *absque illo esset*, excusari potest Comicorum auctoritate; altera *sine illo esset*, quam quidam ad illius modum effingunt, ἀναπολόγητος est.

AMARE pro *solere*, Buchnero judice, Græca loquendi ratio est, poetis, quam prosæ scriptoribus, convenientior. Vid. Horat. II. Od. III. *v.* 10. & lib. III. Od. 16. *v.* 10. &c. Nec Cicero, aut æqualis, ad prosam transtulit, sed secundi ordinis scriptores, Plinius 13. c. 4. *palma toto anno bibere amat.* Tacitus An. 4. cap. 9. *ut ferme amat posterior adulatio*. Apulejus principio Floridorum: *quod genus in comœdia fieri amat*. Quintilianus idem, ut insolens & novum, in Sallustio notat lib 9. cap. III. *Ex Græco*, inquit, *translata Sallustii plurima, quale est; Vulgus amat fieri*.

CLUO vel CLUEO pro *vocor*, *nominor*: Nonius ex Lucilio, Ennio, Pacuvio probat, quibus addi possunt Plautus & Lucretius, ut sic non tam poeticum videatur, quam antiquatum & obsoletum. Posteriores quidam reduxerunt, Prudentius Psychom. principio: *Christe, qui patria virtute cluis*.

CŒLI. Multitudinis Numerus Vulgato Sripturæ Interpreti & Ecclesiasticis crebro usitatus, ignotus

pror-

prorsus est scriptoribus soluti sermonis classicis. Unde Cæsar apud Gellium lib. 9. cap. 8. ad Ciceronem scripsit, *quod arena nunquam multitudinis numero appellanda sit, sicut neque cœlum, neque triticum*. Ex poetis fere solus Lucretius lib. II. v. 1095.

Quis pariter cælos omnes convertere?

Hoc vocat Vossius Arist. p. 592. *poeticam licentiam*, qua non promiscue omnibus est utendum. An Cicero etiam *cælos* dixerit, disputatur Curis Secundis. Philosophis aliquid licet, ut de singulis rebus, si opus est, loquantur pluraliter; quemadmodum Democritus apud Ciceronem II. Acad. cap. 17. de *Mundis* disseruit *innumerabilibus*.

EST pro *licet*, e. c. *videre est*, poetis ex Græcorum imitatione elegans. Virg. 6. 596. *Cernere erat*. Horat. I. Satyr. II. v. 101. *videre est*, & ante v. 78. *Unde laboris plus haurire mali est*. Ovidius III. Metam. 478.

— liceat, quod tangere non est, Adspicere.

Rarius id in soluta oratione, præsertim sæculo Augusteo. Livius lib. 42. cap. 41. *Quæ objecta sunt mihi, partim ea sunt, quibus nescio, an gloriari debeam; partim quæ fateri non erubescam; partim quæ verbo objecta, verbo negare sit*. Plinius & Gellius aliquoties eo usi sunt: ille lib. XI. cap. 37. *fulgent radiantque oculi, ut contueri non sit*; & lib. 17. cap. 9. *de nostris moribus bene sperare est*: hic lib. 12. Noct. Att. cap. 9. *Est plurifariam videre atque animadvertere in veteribus scriptis*.

FESTUM substantive prosaici scriptores ætatis Augusteæ non dixerunt, nec qui proxime secuti sunt, crebro, sed fere omnes *festus dies*. Cicero II. Phil.

cap 25. *Omitto Etruriæ festos & auctos & institutos dies*. Livius 40. cap. 14. *die festo inter æquales largiore vino sum usus:* Curtius 8. cap. 5. *festo die omni opulentia convivium exornari jubet*: Florus III. cap. 18. *festo die Latinarum*. Nec Virgilius aliter I. Georg. 268.

Etiam festis quædam exercere diebus,
Fas & jura sinunt.

& 6. Æn. v. 69. *templa instituam festosque dies* At Ovidius sæpissime substantivam formam adhibuit. e. g. III. Metam. v. 3. *conjugalia festa*, & lib. 10. 431.

Festa piæ Cereris celebrarunt annua matres.

& Statius II. Silv. 7. v. 90.

O nunquam data festa longa summis.

etiam Thebaid. 4. v. 301.

Quæ tibi festa litat. Barthius: tua festa frequentat, & diebus sacris tibi tuis rite placentibus cum cerimoniis operatur. Horatius quoque Epod. II. v. 50. *festis Terminalibus*, & II. Epist. II. v. 197. *festis Quinquatribus*, nisi *diebus* utroque loco subauditur, sicut lib. III. Od. 18. idem dixit:

Festo quid potius die
Neptuni faciam?

Post hæc tempora Plinius etiam scripsit 16. cap. 35. *festa sua polluit*: Gellius 18. cap. 11. *Deo, cujus id festum erat*, quos sequuntur recentiores magno numero.

GENITOR, GENITRIX. Laur. Valla III. Eleg. cap. 70. *Oratores*, inquit, *sæpius dicunt Pater, quam Genitor; Mater, quam Genitrix*, Poetis autem hæc sunt usitatissima. Cicero quidem de Universo cap. 8. habet etiam, sed metaphorice intellectum, *quo* (animo) inquit: *nihil ab optimo & præ-*

præstantissimo genitore melius procreatum. Columella Operis præfat. *ille mundi genitor* ; & Plinius 15. cap. 4. *Græci vitiorum omnium genitores.*

GRATES agere. Rob. Stephanus & Phil. Pareus: poeticum magis quam *oratorium*. Ovidius in Ibin *v.* 25. *Huic meritas grates mansueto pectore semper agam*, & sic quoque cum verbis *persolvere*, *exsolvere*, *pendere*, *rependere*. Virgilius I. Æn. *v.* 600. *grates persolvere dignas*. Statius III. Silv. III. *v.* 155.

Summe ducum grates, aut quæ piæ vota rependant?

& v. Silv. 5. *v.* 45.

Suetas exsolvite grates

& XI. Theb. *v.* 223.

-- Dignas sed pendere grates
Haud mortale opus est.

Vt vero plura poetica; ita & hoc ad prosam, sed rarius, adsumtum est. Curt. 3. cap. 6. *grates habebant velut præsenti Deo.* Tacitus 4. An. cap. 15. *Nero egit grates patribus.*

LETUM pro *morte*, poetis itidem, quam oratoribus, congruentius est. Vid. Buchn. Commut. rat. dic. Cicero sane rare habet., Curtius semel, nempe 8. cap. 9. *admovere leti diem*, quod est se interficere. *Letalis* quoque ut plurimum poetarum est, tamen etiam Plinii lib. XI. cap. ult. *non utique septimo* (die) *letalis inedia*; qui & Adv. *letaliter* eod. lib. c. 37. in usu habet.

NATUS, GNATUS. Valla c. l. *Oratores sæpius Filius dicunt, quam Natus*. Multitudinis numero etiam Cicero non abstinuit, sed conjunxit cum *parentibus*, quo addito vox altera magis declaratur, de Amic. cap. 8. *ex ea caritate, quæ est inter natos & parentes.*

OBLIVIA plural. poetis proprium : ceteris *oblivio*.

POTIS, POTE EST, pro *potest*, vel αρχαικον, vel poeticum est, ut Curis Poster. probavimus.

SALUTARI pro *vocari*, valde tritum hodie, sed si de auctore quæras, omnes Horatium poetam monstrant, cujus est de Arte v. 87. *poeta salutor*, quamvis & hoc loco non simpliciter *vocari* significat, sed ad ritum salutantium veterem respicitur, quasi pro *salve Horati*, dixerint *salve*, vel *ave poeta*. Eadem ratio est illius Curtiani (6. cap. 11.) *cum primum se Jovis filium salutari jussit rex*.

VENIT pro *Est*, sequente Participio Passivo Futuri Temporis, poetis originem debere creditur. Tibulli verba lib. 1. Eleg. 2.

Quid Tyro recubare toro sine amore secundo
Prodest, cum fletu nox vigilanda venit.

Scaliger in Commentar. interpretatur *vigilanda est*. Adde Buchneriana Fabri supplementa, de cujus summi Viri sententia, quidquid est hujus phraseos, *poeticum est*. Minus ergo se probat vulgatum *considerandum venit*, cetera.

EPITHETA quoque POETICA solutam orationem deformant. Hujusmodi sunt *auricomus*, *altivolans*, *fatifer*, *flammifer*, *luctificus*, *noctivagus* &c. Neque tamen (laudati Buchneri verba sunt) hoc genus plane repudiari debet, sed usus meliorum auctorum respiciendus est, probandaque in primis usitata ac recepta. Habent enim castissimi scriptores, Cicero 4. epist. 3. *pestifer*, Nepos Epam. 9. *mortifer*, Livius præfat. Operis *frugifer*, Columella 7. cap. 12. *letifer*, Plinius 7. cap. 3. *fœtifer potu Nilus*, & 38. cap. 10. *somnifica medicamenta*, & id genus alia.

GRÆ-

GRÆCISMOS INFINITIVORUM, de quibus præcedente capite actum fuit, in primis poetæ amant. Virgilius Ecl. 10. *cantare periti*: Tibullus 3. Eleg. 2. extr. *caussa perire fuit*: Horatius 1. Od. 1. *indocilis pati*. & Od. 2. *Proteus pecus egit altos visere montes*. Hæc dedecent prosam.

CAPUT VIII.

De nonnullis dubiis & præteritis.

ABBREVIARE. Vegetius prologo lib. 3. *Quæ per diversos auctores librosque dispersa Imperator invicte, mediocritatem meam abbreviare jussisti*. Hodie plerumque ad scripturæ compendium refertur, quod veteres dicebant *notare*. Fabius procem. Inst. Orat. *alterum, quantum notando consequi potuerant, interceptum, boni juvenes temerario editionis honore vulgaverant*. Turnebus h. l. *notare est compendioso scribendi genere excipere*. Adde supra dicta cap. 1. in *Abbreviatura*.

MANUDUCTIO quis veterum dixerit, non apparet. Habet aliquid in simili voce *manumissio*: verum analogia nuda, sine auctore, non valet in foro Latino. Dicemus *ductus*, item *ductum cujus sequi*, *ad ductum cujus se applicare*.

VARIABILIS & INVARIABILIS incertæ auctoritatis sunt: *Mutabilis* autem & *immutabilis* certissimæ.

ÆQUIPOLLERE quoad nunciatum erit, quo auctore se tueatur, non dicemus, sed *æquari*, *æquiparari*. Plus dubitatur de *Æquipollentia*.

SIVE adhibetur, ubi idem diversis nominibus explicandum est, v. g. *Diana sive Phæbe est eadem quæ Luna*. Inepte dixeris *Diana aut Phæbe*, *Diana vel Phæbe*.

ORDINARIE Adverbium non probant Lexica, neque in lectione auctorum veterum observavimus.

IN-


INDEX
VERBORUM.

epi-

incon-

mul-

pro-



FINIS.



